Google

Fa
28571

97. 8.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEX. POLITI

OPUSCULA DUO.

Digitized by Google

Digitized by Google

R: 179736

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

85-
P74a
-5

ORATIONES

AD ACADEMIAM PISANAM.

EJUSDEM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBRI DUO.

28571



R O M Æ

Ex Typographio Paleariniano.

ANNO REP. SAL. CIↃ. CIↃCC. XLII.

CUM APPROBATIONIBUS.

Digitized by Google

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO,

Alexander Politus de Cl. Reg. Scholarum Piarum
S. P. D.

SIqua unquam eſt, BENEDICTE, Pontifex Maxime, bonarum artium atque diſciplinarum, quæ plurimùm ad rem Chriſtianam contulerit, ea quidem certè in primis

Digitized by Google

mis eſt eloquentia. Teſtes ſunt locupletiſſimi, non Paullus modò, Chriſtianæ eloquentiæ princeps, qui eloquentiâ ſuâ fulgurare, ac tonare, totumque terrarum orbem concutere viſus fuit; ſed etiam complures alii, qui verbis ac ſcriptis ſuis Religionem Chriſtianam mirificè propagarunt, atque a gentium erroribus aſſeruerunt, viri oppidò quam ſapientes atque eloquentes, eòque eloquentiores, quò ſapientiores, de Græcis quidem Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanaſius, Gregorii tres, Baſilius, Johannes Chryſoſtomus; de Latinis verò Tertullianus, Lactantius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius, Leo, Gregorius Magnus. De his Auguſtinus diſertè teſtatus eſt, permultùm ſeſe non ad eloquentiam modò; ſed etiam ad ſapientiam ex Ciceronis Hortenſio profeciſſe, eoque ex libro, incredibili animi æſtu, ad ſapientiam illam immortalem exarſiſſe, atque ad Deum, qui ipſa ſapientia eſt, aſſur-

ſurgere cœpiſſe. Hieronymus verò, ad eloquentiam comparandam quàm deditus atque addictus Ciceroni ſuerit, immo & quàm totus propemodum in Cicerone habitaverit, vel ægrotus ipſe Hieronymus ſatis patefecit, cum ipſe ſibi ad ſummi judicis tribunal vapulare viſus eſt, quòd eſſet Ciceronianus. At fuit illud quidem Hieronymi ſomnium, ut ipſe ingenuè Hieronymus confeſſus eſt, cum objectum ſibi a Ruffino perjurii crimen dilueret (promiſerat enim in ſomnis Hieronymus, profanos ſeſe libros nunquam ampliùs lecturum); ſed tamen non vanum illud ſomnium fuit, qualia ſomnia illa, quibus, ut Hieronymus ait, ſæpe nos deludimur; ſed admonitio Hieronymo divinitus in ſomnis facta, ut ne ita ſeſe in Ciceronis lectionem immergeret, ac veluti ingurgitaret, ut propterea ſacrarum litterarum lectionem, quemadmodum Hieronymus tunc adoleſcens faciebat, negligeret aut faſtidiret.

Quip-

Quippe Hieronymum Deus divinorum librorum interpretem, doctrinæque Chriſtianæ magiſtrum deſtinaverat. Neque verò a Cicerone ac Poëtis, ceteriſque profanis Ethnicorum libris lectitandis unquam poſtea deſtitit Hieronymus, quod ipſe palam oſtentavit, neque inficiatus eſt Ruffino; ſed, quam ex iis libris, ac præſertim ex Cicerone, eloquentiam quæſierat, totam ad ſacram Chriſtianorum doctrinam illuſtrandam atque confirmandam convertit. Qua in re tantùm abſuit, ut violati jurisjurandi religione vir ſanctiſſimus unquam tangeretur, ut a Ciceronis etiam eloquentiâ viam ſibi muniendam ad Chriſtianam eloquentiam judicaverit. Quo de viro ſic ego ſtatuo, non tam eum præclarè, neque tam eloquenter, de rebus noſtris, ſive ad veritatem illuſtrandam, ſive ad errores refellendos, ſcripturum fuiſſe, niſi, Cicerone lectitando, ad tantam illam eloquentiam ab ineunte ſeſe ætate paraviſſet,

Digitized by Google

viſſet, &, quam ex Cicerone eloquentiam didicerat, ſtudio atque meditatione corroboraſſet. Atque hæc ego paucis de eloquentiâ, hinc ut omnes perſpiciant, nihil penitus a majeſtate tuâ, & pontificatus tui maximi ſanctitate alienum me facere, ſi tibi, qui rei Chriſtianæ ſummâ cum poteſtate divinitus tibi traditâ præſides, dedicare audeo atque offerre Orationes ex iis nonnullas, quas ego de eloquentiâ ceteriſque optimis diſciplinis pro munere meo habui ad Academiam Piſanam: quibus in orationibus meis non planè deſpero, meum qualecunque Ciceronis atque eloquentiæ ſtudium, tanquam in imagine quadam ac veſtigio, apparere. Sunt enim nonnulli, inepti ſanè homines & ſuperſtitioſi, qui, Hieronymi auctoritate abuſi, quum ſint ipſi bonarum omnium artium rudes, ſtudia hæc humanitatis atque eloquentiæ, tanquam ab homine Chriſtiano aliena, audent ſuperbè reprehendere: qui

Hieronymianum illud ſomnium quò tandem ſpectaverit, minimè omnium percipiunt. Ego verò libenter fateor, adductum me vehementer exemplo Hieronymi atque Auguſtini, jam inde a puero Ciceroni atque eloquentiæ, quàm potui diligentiſſimè, ſtuduiſſe; &, quanvis id, quòd volebam, minimè perfecerim; tamen rectè me egiſſe arbitror, quòd ſtudia illa qualiacunque eloquentiæ mea ad ſacras litteras excolendas atque ornandas referre voluerim. Neque enim eloquentem me unquam profeſſus ſum, a qua ego laude, quàm qui maximè, longè abſum; ſed ſtudioſum duntaxat eloquentiæ. Inde autem, quòd ſacris litteris tantopere proſunt profanæ, Romani ipſi Pontifices, quorum maximè eſt, ſacroſanctam Chriſti doctrinam ſarctam tectam conſervare, ac tueri, ſecundùm res divinas, nihil in rebus humanis habuiſſe antiquius videntur, quàm ut liberalium doctrinarum atque

Digitized by Google

que eloquentiæ ſtudia protegerent, &, quantùm poſſent, promoverent. Unde etiam factum eſt, ut, quibus Pontificibus Romanis humaniores litteræ atque eloquentia magis floruerunt, eò etiam magis, iiſdem Pontificibus, ſacrarum litterarum ſtudia, ad Chriſtianæ doctrinæ uſum atque ornamentum, viguerint. Atque hîc ego, Pater Beatissime, ad gloriam Romanorum Pontificum ſempiternam, dicam, quod neminem adhuc unum ſatis animadvertiſſe, valde miratus ſum, Latinarum Græcarumque litterarum reſtitutarum gloriam Romanis in primis Pontificibus deberi. Hanc plerique omnes gloriam aliis vindicant, quorum quidem laudibus tantùm abeſt, ut ego quidquam detractum velim, ut etiam præclara eorum in litteras promerita ultrò atque palam prædicem. Sed cum ex ſuperiorum temporum memoriâ Pontifices Romanos repeto, Eugenium IV. Nicolaum V. Pium II. Si-

 xtum

xtum IV. Leonem X. & ipſos litteratiſſimos, & litterarum atque litteratorum hominum ſummos fautores, quorum ſanè temporibus bonæ omnes artes atque eloquentia, quæ ſeptingentos jam annos veluti intermortuæ fuerant, reviviſcere, ac recreari cœperunt; non poſſum non fateri, primas ac principes eorundem ipſorum Pontificum partes in bonis litteris inſtaurandis atque reſtituendis extitiſſe. Tantum eorum Pontificum fuit erga litteras ac bonos libros ſtudium, & tanta erga doctos eruditoſque homines liberalitas atque beneficentia. Clariſſima horum Pontificum exempla quum tibi, BENEDICTE, PONTIFEX MAXIME, ita in animo obverſentur, ut ea non æmulere modò, ſed etiam longo poſt te intervallo relinquas, itaque litteras bonoſque libros in oculis feras, ut vel propriam tibi ac ſelectiſſimam ex omni doctrinarum atque eruditionis genere bibliothecam ad uſum tuum ac tuorum dili-

ligentiſſimè inſtruxeris, quid ego dubitem ad ſolium adire Sanctitatis tuæ, & nomini tuo libellum hunc meum conſecrare, qui, ſi nullâ aliâ re, certè ſeſe tibi qualicunque eloquentiæ nomine commendat? Quantum enim doctrinâ atque eruditione pleriſque Romanis Pontificibus, qui ante te fuerunt, antecellas, ſcripta uberrimè tua teſtantur. Spero equidem, Pater Beatissime, qualiacunque hæc meæ erga te obſervantiæ officia non omnino tibi improbatum iri: quæ ſi tibi probari ſenſero, multò his etiam pro viribus meis majora brevi me præſtiturum confido. Vale. Piſis a. d. xv. Kal. Decemb. an. M. DCCXLI.

JO-

Digitized by Google

JOSEPH AB ANGELO CUSTODE

CC. RR. Pauperum Matris Dei Schol. Piar.

PRÆPOSITUS GENERALIS.

C*UM librum, cui titulus*: Orationes ad Academiam Piſanam, & Animadverſiones in Euſtathium ad Dionyſium Periegetam a Patre Alexandro Polito *Religionis noſtræ Sacerdote Profeſſo duo ex noſtris, quibus commiſſum fuit, recognoverint atque approbaverint; ut typis mandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, facultatem in Domino concedimus. In quorum fidem &c.*

Datum Romæ in Ædibus noſtris Scholarum Piarum S. Pantaleonis die 19. *Julii an.* 1742.

Joſeph ab Angelo Cuſtode
Præpoſitus Generalis.

Laurentius a S. Hiacyntho
Secretarius.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiepiſcopus Tarſen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

J*Ubente Reverendiſſimo P. Nicolao Maria Ridolfi, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, ſumma cum animi voluptate legi* R. P. Alexandri Politi de Cler. Regul. Scholarum Piarum Orationes *ex iis nonnullas, quas ille de Eloquentia ceteriſque optimis diſciplinis pro munere ſuo habuit ad Academiam Piſanam*: binos *præterea* ejuſdem clariſſimi Viri Animadverſionum in Euſtathium Periegetam libros, *quibus Dionyſium ipſum Periegetam, & antiquam Geographiam commodùm illuſtrat. Quæ proinde diſertiſſimi omnique doctrinarum atque eruditionis genere præſtantiſſimi Auctoris opuſcula, tantum abeſt, ut orthodoxæ fidei boniſque moribus adverſari dicam, ut potius doctis erudítiſque hominibus maxime probatum iri ſperem, ſi in publicam lucem emittantur. Ita ſentio. Ex Bibliotheca Vaticana* VI. *Id. Jul.* MDCCXLII.

Joſeph Simonius Aſſemanus
Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

APPRO-

APPROBATIO.

L*Egi Alexandri Politi viri doctiſſimi*, *& in Græcis atque Latinis ſcriptoribus mirandum in modum verſati* Orationes ad Academiam Piſanam, duoſque in Euſtathium ad Dionyſium Periegetam animadverſionum libros; *ut Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici F. Aloyſio Nicolao Rodulphio obtemperarem. Tantum autem abſuit, ut quidquam in eis deprehenderim, quod aut a fidei Catholicæ dogmatis, aut a bonis caſtiſque Eccleſiæ moribus diſcreparet; ut potius, quæ continent, omnia ſolide cumprimis ab homine tanto, accurate, diſtribute, ſummaque elegantia pertractata eſſe cognoverim. Itaque judico nihil in cauſſa eſſe poſſe, quo minus in lucem edantur. Ita cenſeo.*

Datum Romæ in Æd. Minerv. Idib. Jul. 1742.

F. Thomas Maria Mamachi Ord. Præd.
Sac. Theol. Profeſsor.

IMPRIMATUR.

F. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ORA-

Digitized by Google

ALEXANDRI POLITI

DE CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM

Orationes ad Academiam Piſanam.

ORATIO I.

De Litterarum Græcarum neceſſitate.

UTINAM tantum mihi ingenii, Auditores ornatiſſimi, tantum eſſet eloquentiæ, quantum res ipſa poſtulat, ut in hoc celeberrimo, atque ad dicendum ampliſſimo loco, hac litteratorum hominum frequentiâ, hoc lectiſſimorum atque honeſtiſſimorum adoleſcentium concurſu, verba ego facturus de linguæ Græcæ, atque adeo de litterarum Græcarum præſtantiâ atque neceſſitate, parem argumento orationem invenirem! Nanque ipſa quidem argumenti magnitudo atque varietas, quo in argumento maxima ſeſe ingenia ſæpius exercuerunt, ipſo ſtatim dicendi initio, me ita perturbat ac propemodum obruit, ut, quid ego potiſſimùm dicam, penitus ignorem, &, quæ aliàs mihi, vel cum de graviſſimis rebus diſputarem, nunquam defuit, oratio hîc me mea deficere prorſus videatur. Quid enim linguâ Græcâ ad omnem eruditionem accommodatius, quæ janua quædam eſt ad omnes diſciplinas? Quid Græcis litteris uberius, atque copioſius? quid ad omnem doctrinam magis neceſſarium? quibus omnes doctrinæ uberrimè continentur. Nolite enim errare, adoleſcentes, qui huc Piſas, ad hoc domicilium, ad hanc ſedem Sapientiæ, ſtudio & ardore quodam animi incredibili, Sapientiæ ipſius addiſcendæ cauſsâ, quàm frequentiſſimi conveniſtis. Nolite, inquam, exiſtimare, cum de linguâ Græcâ agitur, leve quidquam agi, quod ad Sapientiam parùm pertineat. Agitur in linguæ Græcæ negotio ſumma univerſæ doctrinæ, agitur orbis omnium diſci-

ſciplinarum, ipſa agitur Sapientia, cujus ſummum certè apicem ſine Græcæ linguæ cognitione attingere nunquam poſſitis. Quare, ſive vos Poëticæ atque Oratoriæ ſtudia delectant, ſive tenet, quæ rerum humanarum ſapientia eſt, Philoſophia, ſive eruditus pulvis ac reliquæ Mathematicorum diſciplinæ invitant, ſive Medicorum præcepta alliciunt, ſive Juriſprudentia, ſive antiquitatis cognitio, ſive rerum divinarum ſcientia, quam Theologiam vocamus, oblectat, quancunque tandem ſapientiæ partem ſectemini, tum humanæ, tum etiam divinæ, illud apud vos ſtatuite, ad perfectam atque exquiſitam harum omnium rerum notitiam linguam Græcam non perutilem modò eſſe; verum etiam perneceſſariam. Volo enim, vobis ſit penitus perſuaſum, quod oratione meâ breviter oſtendam, neminem quenquam ſine Græcis litteris fieri poſſe perfectum, ac conſummatum in doctrinis, hoc eſt, ſumme perfecteque doctum atque eruditum. Unde facilè intelligatis, quò majori vos ſtudio ad ſapientiam nitimini, eo magis vobis eſſe in Græcas litteras incumbendum.

Neque vero, Auditores, Græcæ linguæ ad omnes doctrinas perfecte acquirendas neceſſitatem opus eſt altiùs repetere ex ipsâ ejuſdem linguæ præſtantiâ, & vi prorſus ejus admirabili ad res quaslibet atque naturas, animique noſtri omnes omnino notiones, quæ infinitæ propemodum ſunt, omneſque variæ, perfectiſſimè exprimendas. Quam quidem vim tantam eſſe volunt, ut ſapientiſſimus Plato maximam partem ſapientiæ in vocabulis Græcis interpretandis, eorumque origine indagandâ in Cratylo ſuo poſuerit; eaque ipſa vocabula viri doctiſſimi proprietate quadam ſuâ res, quas ſignificant, meliùs repræſentare affirmaverint, quàm ſi res oculis ſubjicerentur. Nam ſi vellemus quidem Græcæ linguæ laudes vel leviter attingere, &, quæ de Græcæ linguæ dignitate ſunt ab aliis magnifice atque ambitioſe jactata, in medium proferre, longiùs ſane excurreret oratio mea, quàm coarctatio hæc & anguſtiæ temporis patiantur. At enim, quò lingua Græca ceteris aliis linguis excellentior eſt, atque præſtantior, eò etiam magis, quàm aliæ linguæ, eſt eadem neceſſaria. Niſi ſi fortè, quia alia eſt vocabulorum, quæ ſignificant, alia rerum, quæ ſignificantur, ſcientia, linguam quoque Latinam ad bonas litteras, atque ad majorum rerum doctrinas

parùm

parùm neceſſariam judicemus. Nihil eſt enim Poëticæ, nihil Oratoriæ, nihil Dialecticæ artis, nihil Phyſicæ, nihil Geometriæ, Mathematicarumque diſciplinarum, nihil Theologiæ, nihil denique reliquarum omnium artium, atque doctrinarum, quod a noſtris hominibus non ſit Etruſcis libris traditum, atque eleganter ſermone patrio explicatum. Et tamen quòd hæc iſta maximam partem e Latinis ſunt fontibus hauſta, nemo ferè eſt, quin fateatur, eum, qui Latinè neſciat, tametſi Etruſcè omnia didicerit, poſſe quidem doctum eſſe, boniſque artibus eruditum; perfectum tamen & conſummatum in doctrinis eſſe non poſſe. Quòd ſi Latina lingua adeo eſt ad ſummam doctrinam neceſſaria, ut ſine eâ ſemidoctorum tantùm numero quis habeatur; quid tandem cenſendum de Græcâ, quæ ad perfectam Latinæ linguæ cognitionem ſummopere eſt neceſſaria? Non equidem hìc ego detractum quidquam velim linguæ Latinæ, cui tantam aliquando verborum copiam ſermoniſque ubertatem aſſerebam, ut eam Græcæ penè exæquarem. Sed dico id, quod maximâ doctiſſimorum hominum conſenſione receptum comprobatumque eſt, quidquid eſt hujus linguæ Latinæ, ſine Græcis litteris a nemine quoquam ſciri poſſe, certe quidem perfectè atque accuratè. Quod ni ita eſſet, quid tandem in cauſsâ eſſe exiſtimaremus, quamobrem Quinctilianus puerum a Græco ſermone mallet incipere, & doctiſſimi quique viri unam linguam cum alterâ conjungendam præciperent? Scio, illam etiam cauſſam afferri, quia diſciplinæ noſtræ a Græcis fluxerunt. Sed hæc etiam cauſsa oſtendit, perfectam Latinæ linguæ ſcientiam a Græcâ prorſus linguâ pendere. Et profecto quid eſt in Latinis, quod germanè Græcum non ſit, aut Græcam certè originem non redoleat? Græca ſunt Latinæ linguæ vocabula, Græca Latinæ orationis ſtructura, Græca Grammaticæ Latinæ præcepta. Nomina ipſa, quibus tum Grammaticen, tum reliquas fere omnes diſciplinas appellamus, ſunt Græca: neque ipſas tantùm diſciplinas; ſed & res quaslibet omnium diſciplinarum, Græcè nominamus. Poëticam aut Rhetoricam ſi explicamus, ſi de Dialecticâ diſſerimus, ſi Phyſicen, ſi Ethicen, ſi Politicen docemus; ſi Medica, ſi Mathematica, ſi Theologica tractamus, quacunque de re, aut arte diſputemus, Græcis ubique vocabulis utamur, opus eſt, quæ trito jam uſu longâque conſuetudine, pro noſtris, hoc eſt, pro Latinis, du-

Digitized by Google

cuntur. Jam verò ſi noſmet ipſi ad ſcribenda carmina conferimus; tota hæc metrica ratio eſt Græcorum, neque ad ſummorum Poëtarum laudem adſpirare nobis licet, niſi, ſummi Latinorum Poëtæ Virgilii exemplo, Poëtas nobis Græcos imitandos, &, quantùm poſſumus, exprimendos propoſuerimus. Operam ſi damus eloquentiæ, ad Græcos oratores unicè æmulandos dux nobis & auctor, pater ipſe Romanæ eloquentiæ, M. Tullius, qui ſeſe totum ad Græcorum, atque in primis Demoſthenis, exemplum conformavit atque effinxit. Qua de cauſâ non immeritò viſa eſt Quinctiliano diſcipula Græcæ, facundia Latina. Dialecticæ ſi ſtudemus, quæ ſcientia eſt diſſerendi, regulas omnes hujus artis, totamque inveniendi & dijudicandi rationem ut perfectè recteque teneamus, opus nobis eſt Græcis magiſtris, atque in primis Ariſtotele. Quæ enim de hac arte ſubtiliùs diſputant Latini, omnia ſunt ii a Græcis Ariſtotelis interpretibus commode atque opportune mutuati. Locus hic admonet Auditores, ut, quod vulgo diſcrimen eſſe ſtatuunt inter hominem, Dialecticæ artis penitus rudem, & eum, qui totam Dialecticam ex regulis ejus artis accurate diligenterque didicerit, id ego diſcriminis inter homines ponam, peritum alterum linguæ Græcæ, alterum ejuſdem planè linguæ ignarum atque imperitum. Homo enim bono ſanoque judicio, ingenioque perſpicaci præditus, ſed Dialecticæ expers, ſcit ille quidem multa naturali acumine mentis ſuæ: neque ille tamen eſt perfectè ſciens, quia neſcit ſe ſcire; quia nimirum rationem illam ſcientiæ ignorat, quæ ex certâ atque evidenti ratiocinatione colligitur. Ita & homo Latine doctus, ſed indoctus Græce, ſcit ipſe etiam multa, quæ de Dialecticâ, ac Philoſophiâ, reliquiſque omnibus diſciplinis, Latinis ſunt litteris copioſe ſciteque conſignata; ſed tamen ſcientiâ caret, perfectâ illâ atque exquiſitâ, qua ſciat ſe ſcire: quia nimirum vim minime intelligit eorum verborum, quæ majoribus quibuſque doctrinis explicandis aſſignata ſunt a Græcis, religioſeque retenta a Latinis. Quid dico verborum? ne ſententiarum quidem vim percipit, quæ reconditiores quaſdam Græcorum doctrinas continent, neque eas tamen doctrinas ſatis patefaciunt, cum redduntur Latine. Age verò, reliquæ etiam diſciplinæ, ad quas quendam veluti aditum aperire videtur Dialectica, quàm aptè ex Græcis litteris pendent, & cum

Digitized by Google

iis connectuntur! quàm Græca eſt tota earum doctrina, nec niſi Græcè ſcientibus nota atque manifeſta! Sententia fuit olim Ælii Stilonis de noſtro Plauto, Varroni valde celebrata, Muſas Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latine loqui vellent. Tanta in Comico illo Latine loquendi concinnitas atque elegantia. Quantò illud melius ac certius, Muſas Græco ſermone uſuras fuiſſe, ſi diſciplinas docere homines vellent! Nam quod eſt a doctis viris egregiè animadverſum, Plautinum ſi ſermonem Muſæ adhiberent, meretricio eæ plebeioque more loquerentur. At ſi Muſæ Græco ſermone in liberalibus artibus tradendis uſæ fuiſſent, ſermone certe uſæ fuiſſent maxime omnium ad ſapientiam appoſito atque accommodato. Quid autem dico, Græce Muſas locuturas fuiſse, ſi liberalibus artibus, univerſiſque doctrinis erudire homines vellent? Non ne enim & locutæ ſunt Græce, & nunc etiam Græcè loquuntur? Sunt enim Muſæ, artes ipſæ liberales, ex Memoriâ & Jove, hoc eſt, intelligentiâ, procreatæ; ideoque novem numero eſse dicuntur, quòd novem potiſſimum artibus liberalibus univerſa doctrina atque eruditio eſt comprehenſa. Atqui artes omnes liberales loquuntur Græce, itaque loquuntur, ut non niſi Græco ſermone tota earum doctrina bene perfecteque explicari poſse videatur. Mathematicæ diſciplinæ quid loquuntur, aut loqui etiam poſsunt, niſi Græce? quas ſcriptis ſuis mirum quantum illuſtraverint Euclides, Apollonius Pergæus, Archimedes, Pappus Alexandrinus, Theon Smyrnæus, Theon Alexandrinus, Proclus, Eutocius Aſcalonita, Theodoſius Tripolita, Serenus Antiſſenſis, Ptolemæus. Philoſophia, quæque partes ejus numerantur, Phyſice, Ethice, Politice, quid loquuntur, niſi Græce? ubi choros veluti ducunt Philoſophorum maximi atque ſapientiſſimi, Plato atque Ariſtoteles. Sed præſertim in Phyſicâ, in ſummâ illâ atque incredibili naturæ varietate, quàm longe, & quàm late Græcus ſemet ſermo effert, ac veluti exultat! ubi naturæ auctor mundique opifex Deus ſeſe in primis contemplandum objicit, ubi de naturæ cauſſis, de cœlo, de elementis philoſophamur, ubi animalium, plantarum, lapidum, metallorum, mundi denique univerſi hiſtoriam, ad ſingulas rerum omnium cauſſas exponendas, non minùs varie, quàm copioſe, ſummâque cum animi noſtri voluptate, conteximus. Horum omnium notitiam quàm

ne-

neceſſe ſit e Græcis auctoribus petere, exemplo ſatis ſuo palam fecit C. Plinius, is, qui non e Latinis modo ſcriptoribus; ſed etiam maxime e Græcis, ex quibus illi ipſi Latini doctrinas ſuas maximam partem hauſerant, naturalem hiſtoriam ſuam adornavit. O Plinianæ illius hiſtoriæ admirabilem non minùs, quàm ſit naturæ ipſius, varietatem! Quali quantoque nos Latini theſauro caruiſſemus, ſi Græcæ Philoſophiæ opes nobiſcum Plinius in illo libro non communicaſſet! Quid enim unquam in naturæ theſauris latet, quod de Græcorum theſauris Plinius in Latinorum uſum non deprompſerit? Ferunt, hiſtoriam Animalium Ariſtotelicam maximo olim in pretio, permagnâque in admiratione fuiſſe, quam ut Ariſtoteles, ſummo vir ingenio ſummâque diligentiâ, certius atque exploratius conſcriberet, aliquot hominum millibus uſus eſt, qua venatorum, qua aucupum, qua piſcatorum, aliorumque omnis generis, per quos de animalis cujuſque naturâ certior fieret. Quanto porro admirabilior Hiſtoria illa Naturalis Plinii, qua non quinquaginta modo Ariſtotelis De animalibus volumina in arctum, ut ipſe ait, collegit; ſed etiam rerum in primis dignarum viginti millia, & totam naturæ univerſitatem, quantacunque ea eſt, ex ſcriptoribus centum iiſque præclaris, atque exquiſitis, atque ex duobus ferme voluminum millibus, in ſuas veluti claſſes, pulcherrimo ordine, digeſſit atque diſpoſuit! Et tamen tota illa Naturalis hiſtoria ſine eruditione Græcâ perfecte intelligi non poteſt. Adde, quæ de Græcis habet Plinius, non omnia eum feliciter, neque exacte reddidiſſe: aliqua etiam eum ne intellexiſſe quidem. Adde loca, eaque non pauca, in quibus a vero penitus aberravit. In his igitur tute etiam ſimul erres, oportet, niſi ad veram Græcorum ſcriptorum ſententiam pervidendam lumen tibi Græcæ eruditionis præfulgeat. At in Medicis præceptis, ubi ſalus noſtra ac vita agitur, aliquid offendere quàm grave eſt, quàm periculoſum! Unde etiam facilè colligas, quàm ſint Græcæ litteræ ad rem medicam neceſſariæ. Magnus profecto philoſophus Plinius: ſed & idem magnus medicus. Qui enim Plinio obtrectant, eos ſane ne audiendos quidem putaverim. Bono ille publico natus, non ſatis habuit opes omnes naturæ de Græcorum ſcriniis proferre, niſi etiam optimis medicinæ præceptis corporum ſalubritati vitæque noſtræ conſuleret. At enim, dum medicorum ali-

aliquando errata Plinius coarguit, quàm graviter & ipſe aliquando decipitur atque errat! Quos quidem ejus errores, niſi ex Græcis ſcriptoribus, fruſtra nos emendaturos ſperemus: præſertim quum idem ipſe Plinius disertè teſtetur, neminem antea Latino ſermone ea, quæ ipſe affert, morborum remedia perſcripſiſſe. Unde evidenter appareat, illa eum omnia e Græcorum fere ſcriptis corraſiſſe. Sic omnia ferè e Græcis, quicunque olim alii, ſeu ante, ſeu poſt Plinium, Latinis litteris rem medicam tradiderunt, Scribonius Largus, Corn. Celſus, Iſagoges vetus auctor qui vulgo dicitur Soranus, Cælius Aurelianus, Q. Serenus, Theodorus Priſcianus: ex quibus Corn. Celſus, quanvis, Quinctiliano teſte, mediocri vir ingenio fuerit; tamen in legendis medicis Græcis, maximeque Hippocrate, adeo profecit, ut aut Hippocratis fidus interpres, aut Hippocrates ipſe Latinus eſſe videatur. Quare ita iſti omnes legendi, ut, ad perfectam rerum medicarum intelligentiam, Græcos, atque in primis omnis medicinæ parentem Hippocratem identidem conſulamus. Nam ſi noſtrorum nonnulli Latinos potiſſimùm medicinæ auctores ſunt poſtea ſecuti, ut de ſeſe candide ingenueque profitetur Marcellus Burdigalenſis; tamen, quum ii, quos ſecuti ſunt, ex Græcis profecerint, fit, ut perfecta omnis medicinæ cognitio ſit ex Græcis tandem repetenda. Quid ego jam dicam de juriſprudentiâ? Non eſt quidem noſtrorum temporum, quod, florentibus Romanis rebus, vel in ipsâ urbe Româ aliquando in uſu & conſuetudine fuit, ut juriſprudentes Græcè de jure reſponſitarent. Sed, quando jam omnia fœdiſſimè barbaries inquinavit, & Romanarum fere conſuetudinum oblitterata eſt memoria, nego, ſine Græcarum litterarum ſcientiâ rectam ſæpe haberi poſſe ſcientiam legum Romanarum; nego, vobis, perſtudioſi juris civilis adoleſcentes, perſpectum plane eſſe poſſe, quod vel in Codice Juſtinianeo, vel in Conſtitutionibus Novellis, vel in venerabili ac ſacroſancto Pandectarum volumine, atque adeo in Inſtitutionibus ipſis Juris civilis, paullò interius magiſque reconditum continetur. Quod enim in illo ſapientiæ prudentiæque Romanæ theſauro incluſum eſt atque abditum, nobis quidem certe, qui ab illis temporibus, moribuſque & ritibus tam longè abſumus, apertum nunquam patenſque fuiſſet, niſi illud Græci fuſiùs diſtinctiùſque explicaſſent. Neque enim tunc Romanis

Digitized by Google

nis ea, quæ vulgò notiſſima, ac tritiſſima erant, opus erat fuſiùs exponi aut clarius. Inde ab illâ Romanarum legum ac ſententiarum obſcuritate tot illæ Græcæ in Florentino Pandectarum codice explicationes legum, inde Inſtitutiones civiles a Theophilo Græce interpretatæ, inde ab eruditione Græcâ tanta Romanis legibus lux allata. An ne igitur exiſtimabimus, meliùs illa homines barbaros, & ſæpe ridiculos, quàm Græcos, eſſe interpretatos? At enim barbaræ illæ & ridiculæ interpretationes per ſe ſatis declarant, quàm parum ſit iis fidendum: quum præſertim barbari illi homines, ubi Græcis verbis Romanæ leges contexuntur, aut certè adſperguntur, ſuam Græci ſermonis ignorationem ingenue, ne dicam impudenter, fateantur. Atqui ſine Græcis ſæpe ignorantur Latina. Et id ſane quàm etiam interdum periculoſe! quum ſæpius fortunarum, aliquando etiam capitis periculum in non bene perceptis legum verbis agatur. Ex jure autem civili aptum eſt canonicum, & cum eo connexum: ut proinde jus canonicum non minus, quam civile, linguæ Græcæ ſcientiam, ad perfectam Canonum, tum Græcorum, tum etiam Latinorum, intelligentiam, deſideret ac requirat. Video nos jam, ceteris breviter percurſis diſciplinis, ad reliquarum omnium diſciplinarum principem ac magiſtram, ad Theologiam nimirum, quæ prima eſt princepſque ſapientia, veluti gradatim perveniſſe. Hîc ego valde vereor, Auditores, ne, dum Græcas litteras ad divinarum rerum ſcientiam perfectè comparandam ſummopere neceſſarias demonſtro, ſeſe oratio mea ambitioſius jactare, & plus nimio efferre velle videatur. Ubi enim liberius aut certe libentius, excurrat atque expatietur, quam eo in campo, in quo ſum ego tot annos Florentiæ atque alibi, nec ſine aliquo fortaſſe auditorum meorum fructu, exercitatus? Quorſum autem his omnibus, qui ſacras litteras profiterentur, lingua Græca non minùs, quàm Latina, a ſanctiſſimis ſapientiſſimiſque Patribus commendata fuit, niſi quia Græca non minùs quàm Latina, eſt ad exactam atque exquiſitam ſacrarum litterarum notitiam neceſsaria? Fateor quidem libentiſſime, quod non niſi impudentiſſime negari poteſt, multos fuiſse, & eſse præſtantes Theologos, qui, tametſi linguæ Græcæ ſubſidio deſtituti; tamen, ob excellentem Theologiæ ſcientiam, miris ſingularibuſque laudibus celebrantur. Sed, ut illi multò ſane doctiores

ex-

excellentioreſque fuiſſent, ſi Græca cum Latinis conjunxiſſent; ſic etiam dico, poſſe quidem unum aliquem ſine Græcæ linguæ ſcientiâ bonum eſſe Theologum; talem tamen Theologum, qualem nos quærimus, perfectum nimirum omnibuſque numeris abſolutum, eſſe eum non poſſe. Officium perfecti Theologi eſt, Chriſtianos Patres, qui veritatem nobis divinam veluti per manus tradiderunt, mente ſuâ comprehendere. An ille mihi Patres comprehenderit, qui majorum gentium Patres Græcos, Gregorios tres, Athanaſium, Baſilium, Johannes, Chryſoſtomum & Damaſcenum, Cyrillum, Epiphanium, ne legere quidem poſſit, nedum ipſe per ſeſe intelligere? Officium perfecti Theologi eſt, verba ipſa ſacroſanctorum Canonum, quibus capita quælibet Religionis Chriſtianæ ſunt a Latinis Græciſque Patribus in ſolemnibus conventibus certò definita atque explicata, diſcernere atque dijudicare. An ille mihi Græcorum canonum verba dijudicaverit, qui non niſi Latinam, qualiſcunque ea eſt, eorundem verborum interpretationem percipiat? Officium denique perfecti Theologi eſt, ſingula Dei verba, quæ in ſacroſanctos Canonicoſque libros divinitus relata ſunt, accuratè inveſtigare, atque ex recepto probatoque Chriſtianorum ſenſu, diligenter exponere. An ille mihi divina Fœderis Novi verba, quæ certè quidem ſunt Græca, accuratè expoſuerit, qui ne intelligere quidem ea poſſit, niſi per interpretem Latinum? Nam ut interpretis hujus Latini editio vulgata maximam apud nos auctoritatem obtineat, eamque ex veteri conſuetudine, atque ex Patrum Tridentinorum decreto, pro authenticâ habere debeamus; tamen nonnulla ſunt ibi ambiguè dicta, nonnulla ſubobſcurè, in quibus ſit nobis omnino ad codices Græcos confugiendum, ut perfectam atque accuratam ſingulorum Dei verborum intelligentiam ipſi per nos pro viribus aſſequamur. Adde cognitionem ſacræ antiquitatis, totiuſque Chriſtianæ hiſtoriæ, quæ perfecto conſummatoque Theologo ad omnem doctrinam atque eruditionem valde eſt neceſſaria. Quàm turpiter docti & eruditi homines ex ignoratione linguæ Græcæ in ſacrâ aliquando hiſtoriâ errarunt! Invitus, fateor, partem hanc attingo orationis meæ, quæ de magnorum hominum clariſſimorumque virorum laudibus nonnihil detrahere poſſe videatur. Sed, quando argumenti huc me neceſſitas impulit, ac ferè nolentem coëgit, date mihi

veniam, Auditores, ſi exemplum vobis affero, meo quidem judicio, maximè omnium memorabile. Siquis favet, aut unquam favit Cæſari Baronio, ut favere omnes maximè debent, qui ſacræ hiſtoriæ ſtudio ducuntur, is ſum ego, Auditores. Atque ut omnes intelligant, me Cæſari Baronio tantum laudis dare, quantum alteri cuiquam vel clariſſimorum virorum poſt renatas litteras, in ſacrâ certe hiſtoriâ, dandum unquam cenſuerim; dico, ſive operis magnitudinem, ac difficultatem, ſive hominis diligentiam, fidem, eruditionem, judicium, attendas, majora eſſe Baronii in Chriſtianam hiſtoriam merita, quàm ut a quoquam æquari laudibus poſſint; neminem alterum æquè ac Baronium, oblivionis atque errorum tenebras, temporum ac rerum poſt Chriſtum geſtarum continuâ ſerie in conſpectu poſitâ, ex ſacræ antiquitatis memoriâ diſpuliſſe; plus uni nos Baronio, quàm ceteris ſimul omnibus, qui ab hinc ducentis & ampliùs annis res noſtræ Religionis ſacroſque ritus ſcriptis ſuis illuſtrarunt, debere. Satis opinor Baronium a me eſſe laudatum, itaque laudatum, ut nemo fortaſſe alter majores amplioreſque laudes Annalium Chriſtianorum parenti, ſacræque hiſtoriæ conditori, unquam impertiverit. Atque is tamen, vir talis, ac tantus, quòd Græcè parum ſciebat, in re oppidò graviſſimâ, quippe quæ ad Sanctorum in primis virorum cultum ac venerationem intimè pertineret, erraverat quàm graviſſimè. Siquidem Xynoridis cujuſdam Martyris nomen in Faſtos Romanos retulerat, tanquam videlicet ex Johanne Chryſoſtomo: quum tamen Chryſoſtomus Ξυνωρίδα, non Martyrem nominet ullam feminam; ſed par nobiliſſimum dicat illuſtrium ac præclarorum Martyrum, Juventini & Maximini. Itaque ea vox ξυνωρὶς a Græcis, atque etiam ab Hieronymo, cujus maximè auctoritate abutebatur Baronius, ad Græcorum exemplum, accipitur. Correxit quidem poſtea Baronius errorem ſuum. Quod perſpicuè apparet ex ſecundis ejus curis in Faſtos Romanos, ex quibus ſuæ illius Xynoridis memoriam penitus delevit. Sed vos inde clariſſimè perſpicitis, quàm ſint Græcæ litteræ non ad profanas modò; verùm etiam ad ſacras hiſtorias, atque ad omnem tum humanarum, tum etiam divinarum rerum eruditionem neceſſariæ. Reſtat, Auditores, ut iis breviter occurram, qui ad res omnes Græcorum pernoſcendas ſatis præſidii atque adjumenti

ti

Digitized by Google

ti collocant in interpretationibus Latinis. Quibus ſanè imperitis hominibus ita ego occurrendum cenſeo, ut non proinde, id quod faciunt nonnulli, elevari quadantenus atque imminui velim Latinorum interpretum fidem atque auctoritatem. Eſt etiam nonnemo, qui genus hoc interpretum Latinorum in contemptum adducere minimè vereatur: quaſi ſcilicet qui ad Græcos Latinè interpretandos operam ſuam atque induſtriam conferunt, homines ſint ii tenuiori litteraturâ, qui, quum ex ſcriptis ſuis nomen in doctis atque eruditis habere nequeant, ex alienis ſcriptis interpretandis atque illuſtrandis nominis ſibi celebritatem quærant. Ego contra ſic ſentio, ut Græcorum interpretandorum munus difficillimum eſt, ita viros longè doctiſſimos atque eruditiſſimos eos fuiſſe, qui bonos Græcos ſcriptores bene Latinè ſint interpretati, atque illuſtraverint: qui quum ipſi potuiſſent boni ſcriptoris, oratoriſque & poëtæ partes omnes explere, majorem tamen publicæ utilitatis, quàm laudis ſuæ, rationem habendam eſſe judicarunt. Quippe homines aliis, & non ſibi tantùm, nati, labores doctrinaſque omnes ſuas eò referendas eſſe duxerunt, ut hominibus prodeſſent. Non magis autem ſeſe illi nobis profuturos ſperarunt, quàm ſi veteres illos Græcos, quos, tanquam homines ſapientiſſimos, & de humano genere optimè meritos, tota ſemper antiquitus coluit atque celebravit, Græcos, inquam, illos, a quibus ad Latinos omnis doctrina, univerſaque eruditio manavit, nobis legendos traderent, Latinè a ſeſe interpretatos. Neque enim litteratis hominibus, quibus litteræ ad omnem modeſtiam moderationemque animi præluxerunt, nominis ſui celebritas propoſita eſſe debuit, ſed communis liberaliſſimorum ſtudiorum, ſtudioſorumque hominum utilitas. Abſit igitur, longiſſimè abſit, Auditores, ut quod docti viri publici boni cauſsâ fecerunt, ut Græcos ſcriptores, Latinè a ſe verſos, nobiſcum communicarent, id nos iniquè in malam partem accipiamus, perinde quaſi, quum non poſſent ipſi a ſuis, voluerint illi ab alienis ſcriptis inclareſcere. Immo verò illud certò nobis penituſque perſuadeamus, non potuiſſe illos Græcorum ſcripta tam bene ac laudabiliter interpretari, niſi ſummâ iidem eruditione, ſummâque doctrinâ fuiſſent; gratiaſque iis agimus, quòd e fontibus Græcis rivos uberrimos omnium doctrinarum ad Latinos deduxerint. Nam quòd aliqui, quos ne inter-

Digitized by Google

terpretes quidem dici velim, utriuſque linguæ parùm periti, illotis, ut ajunt, manibus, ad Græcos fontes aperiendos acceſſerint, unde lutulentæ ad nos ſpurcæque aquæ ſunt derivatæ; non certè quidem propter horum iſtorum inſcitiam, atque negligentiam, detrahendum eſt univerſo generi interpretum Latinorum. Odyſſeam Latinè tranſtulit Livius Andronicus. Euhemerum, qui hiſtoriam de diis ſcripſerat, Latinum fecit Ennius. Platonis Protagoram & Timæum, itemque Aratum, & Xenophontis Oeconomica, Demoſthenisque & Aeſchinis adverſarias orationes M. Tullius Latinè eſt interpretatus. Quid antiqua exempla commemoro? quando clariſſima omnium ſunt & teſtatiſſima recentiora. Quotuſquiſque enim eſt doctiſſimorum atque eruditiſſimorum virorum a trecentis ferè annis, ideſt, poſt litteras reſtitutas, qui non in Græcis Latinè interpretandis operam potiſſimùm ſuam poſuerit, atque inde non ſit ſummam ipſe doctrinæ atque eruditionis laudem conſecutus? Itaque, quantùm alii ad Græcæ linguæ præſtantiam ſimul ac neceſſitatem extollendam Latinis interpretibus detraxerunt, tantum ego iis laudis, ad ejuſdem linguæ præſtantiam ac neceſſitatem augendam, impertiam. Nam ut ſummi illi viri in omni doctrinarum genere fuerint, ut artes liberales, diſciplinaſque univerſas, pro ſummorum Criticorum officio, egregiè calluerint, ut, propter eximiam utriuſque linguæ peritiam, maximâ illi facultate ad Græcos ſcriptores enarrandos atque emendandos excelluerint; tamen Græcæ linguæ tanta eſt vis atque dignitas, tanta copia atque varietas, ut nec Tullius, nec quicunque alii ſummo ingenio viri, quæ dicta ſunt a Græcis, omnia Latinis vocibus perfectè ſemper expreſſerint, neque verò exprimere aliquando potuerint. Unde, diſciplinarum atque artium liberalium percupidi, perſtudioſique adoleſcentes, tandem aliquando intelligatis, meliùs omnino vos Græca eſſe percepturos, ſi Græca ipſi per vos legeritis. Quod quidem ſatis ſuperque eſſe arbitror ad id, quod ab initio demonſtrandum ſuſceperam, ſine Græcarum litterarum adjumento nullo modo fieri poſſe eum, quem in unoquoque veſtrum, optimi adoleſcentes, optamus ac quærimus, perfectè doctum, atque omnium omnino diſciplinarum ſummè atque exquiſitè ſcientem. Nec enim ſperandum, quæ a Græcis de bonis artibus ac diſciplinis ſunt graviſſimè ac ſapientiſſimè conſcripta, ea

vos

Digitized by Google

vos omnia perfectè per Latinos quoſcunque interpretes eſſe intellecturos. O Græcæ igitur linguæ præſtantiam! O beatam Græcæ linguæ ad omne genus eruditionis atque ad omnes diſciplinas perfectè acquirendas neceſſitatem! Atque unde putatis, bonas litteras, artes omnes liberales, optimas omnes diſciplinas tandiu ſquallore ac ſitu obſitas, jacuiſſe, niſi ex neglecto ſtudio litterarum Græcarum? unde bonas litteras erectas ac reſtitutas revixiſſe, atque refloruiſſe, niſi ex recreatis litteris Græcis, poſteaquam nimirum Coſmus ille Medices ſenior, ejuſque nepos Laurentius, afflictas tot jam ſæcula Græcas litteras, ac propemodum intermortuas exſuſcitarunt atque refecerunt? Quare, quòd in nobiliſſimo hoc ac florentiſſimo gymnaſio, præ ceteris aliis Italiæ totius Academiis, bonæ omnes artes tantopere vigeant, atque effloreſcant, quòd Piſæ, veluti alteræ Athenæ, propriâ quadam præcipuâque appellatione, doctæ vocitentur, quòd curſus facilis hic vobis, atque expeditus futurus ſit, adoleſcentes, ad ſapientiam atque ad univerſas doctrinas, debere vos beneficium hoc ſcitote litteris Græcis, ex quibus magiſtri veſtri uberrimos doctrinarum omnium fructus ad eruditionem veſtram retulerunt. Eorum ego vobis clariſſima exempla propono, eos vos imitamini, ut, quemadmodum illi, Græcarum litterarum ſubſidio, ſummi ac perfecti in circuitu, & quaſi orbe diſciplinarum evaſerunt, ita & vobis Græcas litteras ad ſummam rerum omnium ſcientiam perneceſſarias exiſtimetis.

ORA-

ORATIO SECUNDA.

De liberalium omnium artium ac doctrinarum ad eloquentiam neceſſitate.

CUm multa majores noſtri, ad ornanda litterarum ſtudia, eaque in dies augenda, præclarè atque ſapienter inſtituerunt, tum illud, meo quidem judicio, multò omnium præclariſſimè atque ſapientiſſimè, quòd eorundem ipſorum ſtudiorum ſolemni de more inſtaurandorum initium ab excultâ aliquâ & elaboratâ oratione duci quotannis voluerunt. Nam ſi tantam quotidiè experimur vim eſſe eloquentiæ, ut, quacunque de re copiosè ornatèque dicamus, auditorum animos, quò volumus, facilè impellamus, unde volumus, deducamus; qualem tandem ac quantam apud honeſtos optimorum adoleſcentium animos vim ejus orationis futuram exiſtimabimus, quæ ab homine aliquo diſerto, neque prorſus inerudito, ex hoc ampliſſimo loco, tantâ & tam celebri ſapientiſſimorum virorum audientiâ, de re longè omnium maximâ atque pulcherrimâ, de omni nimirum doctrinâ atque ſapientiâ, paullò diligentiùs atque accuratius habeatur? Hanc qui cauſſam habendæ hodierno die orationis ſibi huc uſque ante oculos poſuerunt, ſummâ viri doctrinâ atque eloquentiâ, magnifica inde atque in primis præclara orationibus ſuis argumenta de præſtantiâ atque utilitate litterarum, deque earundem fructu atque utilitate, aliaque talia ſunt diſertiſſimè perſecuti, quibus vos potiſsimùm, præſtantiſsimi adoleſcentes, vel deſides a languore atque ignaviâ revocarent, vel ardentes jam atque erectos ad ſtudium artium atque doctrinarum acriùs cohortarentur. Verùm cum ego, Auditores, ad theatrum hoc ampliſsimum ſapientiæ, virtutumque omnium ſeminarium oculos pauliſper converto, cum ſapientiam veſtram, Patres ampliſsimi, ſummamque rerum omnium doctrinam, attentè mecum reputo, cum præclara ingenia veſtra, adoleſcentes, contemplor, atque intueor, altius quid-

dam majores illi noſtri reſpexiſſe mihi videntur, atque animo agitaſse, cum in curſu hoc ineundo omnium diſciplinarum primas veluti partes, totiuſque curſus auſpicia oratori atque eloquentiæ conceſſerunt. Inſederat nanque in eorum animis ſpecies quædam perfectæ ſummæque eloquentiæ: quam dum cogitarent, atque, ad incendendos honeſtiſſimarum omnium artium amore adoleſcentes, expreſſam etiam in aliorum animis vellent, diem hunc celeberrimum, proprium & quaſi legitimum oſtentandæ eloquentiæ eſſe debere cenſuerunt. Nec enim perfecta eſſe poteſt eloquentia, niſi rerum maximarum ſcientiam, doctrinaſque univerſas complectatur. Quod ut ſtudioſis eloquentiæ ac litterarum adoleſcentibus ſit penitus perſuaſum, illud mihi explicandum, quod eſt a M. Tullio accuratiſſimè diſputatum, ſummam perfectamque eloquentiam ex omnibus ſimul doctrinis, omniumque liberalium artium ſcientiâ coaleſcere. Argumentum illud quidem ſapientiâ veſtrâ perquam dignum, Auditores, multòque etiam difficilius, quàm ut a me, qui nullâ ſum planè eloquentiâ, commodè pertractetur. Sed, quando ii, qui auctoritate atque imperio plurimùm valent, hanc mihi oratoris perſonam ſuſtinuerunt, ſinite me, Auditores ornatiſſimi, ſi non pro dignitate, pro viribus certè meis, perſonam hanc ſuſtinere.

Ac primùm velim, Auditores, vobis ante animum proponatis imaginem illam ſummæ perfectæque eloquentiæ, cujus qui compos fuerit, ſit is ſummus perfectuſque orator. Hîc ego non diſputo, utrum tali quiſquam exiſtat, aut etiam unquam extiterit eloquentiâ, ſummâ atque perfectâ: quando in magnâ Romanorum oratorum copiâ Marcus ille Antonius, vir, ſiquis alius, temporum ſuorum facilè eloquentiſſimus, ingenuè apertèque profitebatur, diſertos a ſeſe cognitos fuiſſe nonnullos, eloquentem adhuc neminem. Sed dico, iis omnibus, qui rectis ad eloquentiam ſtudiis contendunt, ſtatuendum eſſe ante oculos id, quod in eo genere perfectum eſt atque abſolutum, eòque labores conatuſque omnes eſſe dirigendos, atque ad ſummum illud exemplum, unde cetera expreſſa ſunt, univerſa eſſe ſtudia conformanda: quò ſi minimè perveniant; tamen, quod ajebat Tullius, honeſtum eſt, ſequentem prima, in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Is igitur mihi eloquens, qui de omnibus rebus, quæ in hominum diſceptationem veniant, pro rei cujuſque na-

Digitized by Google

naturâ, poſſit copioſè ornatèque dicere; qui rerum omnium, de quibus poteſt dicere, ſcientiam comprehenderit; qui, quæcunque aliarum omnium artium ſunt, atque diſciplinarum, quæque in reliquis omnibus ſtudiis ſunt longè latèque diſperſa, ac propemodum infinita, unus omnia complexus fuerit; qui ad hanc tantam rerum maximarum ſcientiam ornatum etiam cultiſſimæ atque elegantiſſimæ orationis adjunxerit; cui rerum copia copiam quoque verborum largiſſimè ſuppeditet. Is denique mihi eloquens, qui ſimul & ſapiens; atque ea mihi demum eloquentia, copioſè eloquens ſapientia. Atque hæc omnia generatim damus oratori. Quòd ſi etiam ſingula, ex quibus conſtat atque eſfloreſcit eloquentia, enucleatè diſtinctèque perſequimur, non ne omnia & ſingula ita in oratorem conveniunt, ut, ſiquid horum fortè deſit, perfectus conſummatuſque orator nullo modo eſſe poſſit? Oratoris in primis eſt, purè atque eleganter, & quando res nobis eſt cum hominibus Latinis, Latinè loqui. Minimum id certè eſt in oratore. quod doctrinâ litteriſque puerilibus traditum videtur. Sed hoc iſtud minimum, quod eſt Latinè loqui, quam proprium eſt Oratoris? quàm Oratori præ reliquo hominum genere neceſſarium! Ceteris hominibus, qui alias artes atque diſciplinas profitentur, licet etiam interdum loqui barbarè. Oratori ſiquid vel imprudenti exciderit minùs Latinum, nemo ei quiſquam violatæ Latinitatis veniam dandam putat. Omnes eum unum irrident, exſibilant atque explodunt, perinde quaſi ab arte ipſe ſuâ prorſus defecerit. Et tamen iſtud ipſum, quod minimum eſt in arte oratoriâ, quanti eſt Oratori! quanti nobis æſtimandum! Recognoſcendi Grammatici, legendi oratores, perdiſcendi Poetæ, Medici, Juriſconſulti, Hiſtorici, Philoſophi, omnes ad unum Latinæ linguæ auctores dies noctesque pervolutandi, exemplaque inde quotidie repetenda, atque revolvenda, ut benè Orator loquatur Latinè. Quid? Grammatica ipſa Latina quem ſibi a reliquis omnibus diſciplinis apparatum non adſciſcit omnis elegantiæ atque doctrinæ? Audeo dicere, quod mirum fortaſse alicui videbitur; ſed tamen eſt dicendum, artem ipſam Grammaticam perfectam minimè omnium fore, niſi omnium propemodum maximarum rerum ſcientiam in fines & ipſa ſuos concludat. Quid eſt enim vel in majoribus diſciplinis tam abſtruſum, tam reconditum, tam a vulgari intelligen-
tiâ

tiâ remotum, quò Grammatica non pervadat, non penetret, non pertineat? Quid in Poëtis tam obſcurum, quod illa non illuſtret? quid in hiſtoricis tam involutum, quod illa non evolvat? quid in philoſophis tam difficile, quod illa non expediat? quid in reliquis omnis generis ſcriptoribus tam ignotum atque ambiguum, quod illa non explicet atque interpretetur? Quos autem Poëtas, quos ex omni doctrinarum genere ſcriptores non excutiat Grammaticus, non perlegat, non enarret, non corrigat, non judicet? Hæc verò omnia quì præſtare queat bonus ille & peritus Grammaticus, niſi cognitis perceptiſque rebus omnibus, quas ex omni diſciplinarum genere quomodocunque complexi fuerint, ſive etiam obiter attigerint, tum prorsâ, tum vinctâ numeris oratione, optimi illi & præſtantiſsimi Latinitatis auctores? quî eorundem judicem atque cenſorem ille agere, qui non ſit ipſe etiam omni ſcientiâ excultus, planèque quinquertio, hoc eſt, in univerſo doctrinarum orbe, quàm qui maximè, exercitatus? qualem prorſus apud Græcos fuiſſe accepimus Eratoſthenem. Ut jam Grammatica non exiguis quibuſdam, atque anguſtioribus finibus terminetur; ſed fines longè ſuos ad omnem doctrinam propaget,& per omnes latè diſciplinas pervagetur. Magna hæc ſunt (quis enim veſtrum non fateatur, Auditores?) ſine quibus ſtare jam nequit ſcientia perfecta linguæ Latinæ. Atque hæc tamen quædam veluti elementa ſunt eloquentiæ. Itaque hæc omnia probè teneat, opus eſt, perfectus orator, ac præterea de his omnibus copiosè dicat, atque ornatè: neque tantùm, quod proprium eſt Grammatici, verba perdiſcat, oportet, omnium diſciplinarum; ſed & res ipſas omnium diſciplinarum oratione augeat atque amplificet. Sententia fuit illa nobilis in primis & præclara Ariſtotelis, initio Rhetoricorum, eloquentiam quaſi ex alterâ parte reſpondere Dialecticæ. Quam quidem ſententiam ita exponit Marcus Tullius, ut dicere velit Ariſtoteles, hanc, rationem dicendi eſſe latiorem; illam, loquendi contractiorem. Fuit illa etiam percelebris & pervulgata in eandem ſententiam, utriuſque artis comparatio, qua princeps ille Stoicorum Zeno ita Rhetoricam cum Dialecticâ contendebat, ut contractæ in pugnum manui Dialecticam, manui explicitæ & dilatatæ ſimilem eloquentiam eſſe diceret. Tanta eſt, tamque arcta, atque conjuncta artis unius cum alterâ neceſsitudo. Qualem

Digitized by Google

igitur, & quantum oratorem futurum putamus, qui ſit idem Dialecticâ diſciplinâ egregiè inſtitutus, qui de propoſitâ qualibet re poſsit in utramque partem copiosè ſimul ac ſubtiliter diſputare, qui cujuſque rei naturam explicare poſsit definiendo, partes dividendo, proprietates judicando atque ratiocinando, qui denique ex ceratinis, aut crocodilinis, ſpinoſiſque quibuſque quæſtionibus ſeſe ipſe expediat, aditumque ſibi ad omnem veritatem atque doctrinam muniat atque patefaciat! Magnus ille profecto orator; ſed nondum tamen ille, quem adhuc quærimus, & oratione, quantùm poſſumus, effingimus, ille, inquam, perfectus omnibuſque eloquentiæ numeris abſolutus. Quàm multa enim alia in oratore, ut vera ſit ejus & plena, & corroborata, & perfecta eloquentia, requiruntur! Quis enim hominum mentes, in quamcunque partem voluerit, impellat? Orator. Quis ab irâ ad lenitatem, ab odio ad miſericordiam revocet? Orator. Quis jura civitatis conſtituat ac moderetur? Orator. Quis populo leges pro univerſæ reipublicæ ſalute ac dignitate aut jubendas aut vetandas perſuadeat? Orator. Quis artes omnes liberales, quæque ad vitam humanam aut tuendam aut ornandam pertinent, oratione illuſtret? Orator. Res quoque olim geſtas, quæque veteri memoriâ continentur, quis nitidè ornatèque commemoret, niſi Orator. Orator Phyſica, Orator Mathematica, Orator medica, Orator civilia, Orator omnia, tum humana, tum etiam divina, omni copiâ & varietate orationis perſequitur. Deum ipſum, quo nihil majus, nihil melius, nihil perfectius, non modò verbis exprimi, ſed ne animo quidem concipi poteſt, pro humani ingenii captu atque imbecillitate, quis verbis meliùs adumbret, aut ſummæ ejus infinitæque majeſtatis, quæ omnia ambit ac continet, expreſſiorem dicendo imaginem referat, quàm orator? O igitur mortalem quendam inter homines Deum Oratorem! o rerum humanarum dominam, o reginam eloquentiam! Et quid porro magis divinum, quàm unum hominem ſcire omnia, quæ ſciri ab homine poſſunt, & quæ in aliis aliarum quaruncunque profeſſionum hominibus maximè enitent genera ſingula doctrinarum, ea ſibi unum illum hominem univerſa vindicare? Niſi ſiquis fortè tantam illam tamque diffuſam, atque, ut ita dicam, luxuriantem eloquentiam circumcidere velit, atque amputare, &

Ora-

Digitized by Google

Oratorem ex tantâ illâ doctrinæ amplitudinæ intra forenſes duntaxat cancellos concludere, atque coërcere. Quæ certè fuiſſe videtur opinio nonnullorum Græcorum, atque in primis etiam fortaſſe Carneadis apud Marcum Tullium, excludendum nimirum eſſe oratotorem ab omni elegantiâ doctrinæ, rerumque majorum ſcientiâ, ac tantùm in judicia, & conciones detrudendum. Quod ut Græcis illis concederemus, eum nimirum ſtatuendum eſſe oratorem, qui tantummodò in judiciis, aut apud populum, copiosè loqui poſſet; tamen, quod Craſſus ille Tullianus præclarè animadvertebat, huic iſti forenſi Oratori quàm multa eſſent tribuenda! perfecta juris civilis ac legum cognitio, exacta atque accurata humanorum morum notitia, æquitatis ac temperantiæ, reliquarumque omnium virtutum exquiſita ſcientia, patriarum olim conſuetudinum, totiuſque antiquitatis, ſtabilis fideliſque memoria. Dicendum enim huic oratori de jure civili, de religione in Deum, de pietate adversùs parentes, de charitate patriæ, de bello, de pace, de amicitiâ, de officio, de æquitate. Agendum eſt ei de omni virtutum genere, tractandi mores humani, permovendæ in omnes partes hominum voluntates, inculcandæ conſuetudines patriæ, veteris memoriæ exempla recolenda. Hæc omnia forenſi huic oratori ad munus ſuum ritè explendum tribuenda: quæ ſi adſunt, ut debent, omnia, quid tum quæſo locorum Philoſophiæ, quid elegantioris doctrinæ, quid rerum maximarum ignotum ei oratori, minimèque exploratum fore unquam putabimus? Quid ſi præterea ad forenſes ipſas cauſſas nonnulla etiam ex obſcuriori aliquâ diſciplinâ, atque ex reconditis interioribuſque litteris aſſumenda? quod eſt a Craſſo illo Tulliano diligentiſſimè atque accuratiſſimè pertractatum. Non ne forenſi quoque oratori ad ſummam ejus generis eloquentiam maximarum quarumcunque rerum ac diſciplinarum ſcientia neceſſaria? Tete appello, Romanæ eloquentiæ pater, Marce Tulli. Tete, inquam, appello, oratorum omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui etiam erunt, facilè eloquentiſſime. Quis enim te magis, aut etiam meliùs, in forenſibus cauſſis exercitatus? Non ne, cum pro Archiâ illo tuo publico in judicio diceres, diſertè libereque confeſſus es, ſuppetere tibi non potuiſſe, quod quotidie in tantâ varietate rerum diceres, niſi animum tuum doctrinâ excoluiſſes? Ita eſt, Audi-

ditores. Non ex uſu tantùm forenſi; ſed & maximè ex doctrinæ atque ex ſapientiæ ſtudiis cenſenda eſt forenſis ipſa oratio: in qua ut orator non omnia ſemper elegantis doctrinæ ornamenta adhibeat; tamen inde ſatis apparet, utrum rudis, an bonarum omnium artium peritus, ad dicendum acceſſerit. Quanquam autem hæc ita ſeſe habent, ut ne forenſis quidem orator perfectus conſummatuſque in ſuo genere eſſe poſſit, niſi & idem fuerit omnibus optimis diſciplinis inſtructus ac perpolitus; adeò ne tamen eloquentiæ majeſtatem atque dignitatem minuendam cenſebitis, Auditores, ut eam, tanquam regno ſuo ſpoliatam, in forenſes illas anguſtias, tanquam in aliquod piſtrinum, contrudatis? Quid enim ubique rerum, quid artium, quid cogitationum mentis noſtræ, non ſubjectum ſit orationi? & qua propoſitâ de re non dicat ars ipſa bene dicendi? Quòd ſi de omnibus omnino rebus poſſumus dicere; cur non etiam de omnibus benè dicere? hoc eſt, & ſcienter, & compoſitè, & ornatè, & copiosè dicere. Hæc eſt autem illa vera, illa perfecta, illa omnibus numeris abſoluta eloquentia: qua qui præditus ſit, eum nos dicimus nullius expertem eſſe ornamenti; ſed omnium rerum magnarum, omniumque artium ingenuarum ſcientiam tenere, atque, ut uno omnia verbo complectamur, compotem eum eſſe ſapientiæ. Quis apud Homerum eloquentior Neſtore? cujus ex linguâ melle dulcior fluebat oratio. Nemo etiam quiſquam apud Homerum Neſtore ſapientior. Neque fruſtra rex ille regum Agamemnon optabat, ut Neſtoris ſimiles decem haberet. Quod ſi ei contigiſſet, minimè dubitabt, quin brevi Troiam eſſet expugnaturus. Quis eloquentior Platone? quem ſic uberem ac copioſum in dicendo fuiſſe ajunt, ut, ſi Græcè Juppiter loqueretur, Platonis inſtar locuturus fuiſſet. Fuit ille etiam ſapientiſſimus; neque immeritò ipſe habitus fuit quaſi quidam Deus philoſophorum. Quis in dicendo præſtantior Ariſtotele? qui etiam eloquentiſſimis viris viſus eſt flumen fundere aureum orationis. Certè quidem Ariſtotele nemo quiſquam fuit, qui plura arti Rhetoricæ ornamenta atque adjumenta ſubminiſtraret. At enim tantus hic rhetor fuit etiam ſummus philoſophus, quem propter ſapientiam junctam eloquentiæ, Philippus Macedo Alexandro filio doctorem accivit. Quis etiam in eloquendo divinior Theophraſto? qui a divinitate loquendi Theophra-

ſtus

Digitized by Google

ſtus eſt appellatus. Fuit & ipſe magnus philoſophus, ac propemodum divinus, quem philoſophiæ, doctrinarumque omnium ſtudia tanto ardore perſecutum eſſe ferunt, ut vel moriens naturam accuſaverit, quòd cervis & cornicibus vitam diuturnam, hominibus exiguam dediſſet: quorum ſi vita eſſet longinquior, omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ facilè erudiretur. Quid pleroſque alios, de Græcis potiſſimùm, commemorem, quò eloquentiores, eò etiam ab omnibus iis artibus, quæ ſunt libero homiue dignæ, atque a ſapientiâ inſtructiores? Quid Periclem illum Athenienſem, tantâ virum eloquentiâ, ut fulgurare, ut tonare, ut permiſcere Græciam diceretur? eum maximarum rerum ſcientiâ imbuerat phyſicus ille Anaxagoras. Quid Hippiam illum Eleum, virum, quàm qui maximè, eloquentem? quem fama eſt quinquennali Olympiacorum ludorum celebritate ſummam illam ſuam in omni rerum genere eloquentiam cunctæ penè Græciæ audienti, maximâ hominum admiratione, ambitioſiùs venditaſſe. Ille Geometriam, Muſicam, Grammaticam, Poëticam, Phyſicam, Ethicam, Politicam, artes omnes omneſque doctrinas perdidicerat. Quid Gorgiam illum Leontinum, quem primum memoriæ proditum eſt in conventu popoſciſſe, qua de re quis vellet audire? omnium ille rerum atque artium ſcientiam fuerat conſecutus. Quid Xenophontem, cujus voce Muſas quaſi locutas crediderunt? permultum ille in Socraticâ philoſophiâ profecerat. Quid patrem illum eloquentiæ Iſocratem, cujus æmulatione motum fuiſſe Ariſtotelem ferunt, ut rerum cognitionem cum orationis exercitatione conjungeret? Nihil ſanè videtur Iſocrati de maximarum rerum ſcientiâ abfuiſſe, de quo adhuc adoleſcente extat in Phædro Platonis graviſſimum judicium Socratis, viri multò omnium ſapientiſſimi, jam tum in hominis illius mente notam philoſophiæ quandam minimè obſcuram fuiſſe. Quid principem illum oratorum atque eloquentiæ Demoſthenem, ad quem audiendum, propter ſummam vim dicendi, concurſus ex totâ Græciâ fieri ſolitos tradiderunt? Platonem Demoſthenes frequenter audiſſe, plurimùm etiam lectitaviſſe dicitur. Quid? Dies me deficiat, Auditores, ſi magnos illos Græciæ oratores velim ſingulos enumerare, qui non tam ab eloquentiâ, quàm a doctrinâ & ſapientiâ, ex qua ipſa eorundem eloquentia extitit, per-

percelebrantur, Thraſymachum Chalcedonium, Protagoram Abderitam, Prodicum Chium, Lyſiam, Æſchinem, Hyperidem, Demetrium Phalereum, alios illos bene multos, ac propemodum innumeros principes eloquentiæ, quos ex Iſocratis ludo, tanquam ex equo Trojano heroës, prodiiſſe memorant? Quid ſi enumerare etiam velim Latinos? Lucium Craſſum (mitto enim Marcum illum Catonem Cenſorium, oratorem, ut priſcis illis temporibus, ſatis bonum, atque eloquentem) Marcum Antonium, Q. Scævolam, Q. Catulum, Publ. Sulpicium, C. Cottam, Q. Hortenſium, Cajum Licinium Calvum, C. Julium Cæſarem, M. Brutum, ceteros oratores Romanos, litteris ac doctrinâ non minùs claros, quàm eloquentiâ, quos in Bruto ſuo (quid enim & poſteriorum temporum oratores referam?) acerrimo judicio perſequitur, ac recenſet M. Tullius, ipſumque Marcum Tullium Ciceronem. Quem, Deus bone, oratorem nomino, cùm Ciceronem nomino? cujus nomen non hominis jam nomen eſt, ſed eloquentiæ, ut in uno jam Cicerone, tanquam in perfecto quodam eloquentiæ exemplo, conquieſcendum nobis tandem eſſe videatur. Quis enim in dicendo perfectior Cicerone? quo, tanquam regulâ, progreſsus in eloquentiâ ſuos metiantur, opus eſt, quicunque eloquentiæ ſtudia exercent. At enim Cicerone quis etiam ſapientior? quis reconditis interioribuſque litteris eruditior? quis in omni optimarum diſciplinarum genere verſatior? qui ſeſe totum ad ſapientiam applicaverat; qui, quum a Q. Scævolâ jus civile didiciſſet, principi Academiæ Philoni totum ſeſe in philoſophiâ erudiendum tradiderat; qui ſub Stoico Diodoto ſeſe in Dialecticâ ſtudioſiſſimè exercuerat, variiſque ejus philoſophi liberaliſſimis artibus atque multis plurimum operæ dederat; qui omnia, quæ ad ſapientiam atque ad variam eruditionem pertinerent, quæſiverat, audiverat, legerat, diſputaverat; qui, quum celebre jam nomen eſſet in foro adeptus, Athenas profectus, ſtudium philoſophiæ, a primâ adoleſcentiâ cultum, & ſemper auctum, auctore ibi, & doctore Antiocho, veteris Academiæ nobili in primis philoſopho, renovaverat. Proh, Deus immortalis! tanti ne fuit Ciceroni, eloquentem fieri, ut, eloquentiæ comparandæ cauſsâ, nullum non doctrinarum genus inquireret, nullam non philoſophiæ partem ſummo ſtudio proſequeretur, totamque etiam Aſiam

Digitized by Google

Aſiam eo conſilio peragraret, ut doctiſſimorum virorum præceptionibus eloquentiam ſuam corroboraret atque perficeret? Tanti profecto fuit, Auditores. Neque enim, niſi Cicero maximarum rerum & pulcherrimarum copiâ pectus ſuum oneraſſet, niſi philoſophiam, matrem illam omnium non modò benè factorum, verum etiam benè dictorum, impenſiùs excoluiſſet, niſi exquiſitioribus iis litteris, ex quibus, tanquam ex fonte, manat perfecta eloquentia, diligentiùs ſtuduiſſet, nunquam (mihi credite, Auditores) ad tantam illam tamque admirabilem ac divinam eloquentiam perveniſſet. Quòd ſicui mirabile videtur, ſcientiam rerum tantam, quantam ad perfectam eloquentiam requirimus, in mentem unius hominis poſſe unquam cadere; illud verò multò eſt mirabilius, poſſe unum aliquem, qui non omnia illa ſciat; tamen de illis omnibus, perinde quaſi ea omnia apprimè ſciat, & ornatiſſimè & copioſiſſimè dicere. quod eſt proprium perfecti oratoris. Et quid tandem aliud eſſe cauſſæ putatis, quamobrem perfecti oratores tam pauci ex omni hominum memoriâ reperiantur, niſi quia eloquentia, ut bene ajebat Tullius, majus eſt quiddam, quàm homines opinantur, & pluribus ex artibus ſtudiiſque collectum. Id autem quum ſit multò omnium difficillimum, nimirum unum hominem in hac noſtrâ vitâ tam brevi, & occupationibus tam diſtrictâ, ſcientiæ cogitatione omnia comprehendere, quæ oratione variè copioſèque illuſtrentur; quid mirandum, ſi, quum in omni alio diſciplinarum genere permulti homines perfecti floruerint; tamen in hoc genere eloquentiæ perpauci, atque adeo pauciſſimi, perfecti ſummique homines excelluerint? Quod argumentum, per ſeſe ſatis amplum atque magnificum, altiùs multò atque excelſiùs exaggerat Marcus Tullius. Summi enim viri omnique ferè ex parte perfecti, per Deum immortalem, quàm multi in Dialecticâ omnique philoſophiâ! quàm multi in Geometriâ, reliquiſque Mathematicis diſciplinis! quàm multi in re medicâ, in jure civili, in quibuſque aliis optimis artibus ac doctrinis! Quotus verò quiſque eſt in tanto diſertorum numero, atque in tantâ diſcentium multitudine, qui eloquentiam omnibus ſuis partibus ac numeris expleverit, atque abſolverit, orator? pauciſſimi equidem ſunt ex omni doctiſſimorum hominum numero, atque ex omni temporum memoriâ, perfecti oratores, unus fortaſſe aut alter;

ter ; &, ſi per vos licet, Auditores, ego etiam dixerim, perfectum oratorem neminem adhuc unum extitiſſe ? Quid, an non illi eloquentes, an non illi oratores perfecti, qui tamen ſunt a me in eloquentiſſimis totius antiquitatis hominibus adnumerati, Græcæ Latinæque eloquentiæ, ut ii quidem videntur, principes atque auctores ? Abſit verbo invidia, Auditores. Nemo illorum unus ſatis eloquens, nemo prorſus perfectus & abſolutus orator. Etſi enim viros eos dixi eloquentiſſimos, eoſque vobis, adoleſcentes, tanquam abſolutum quoddam perfectæ eloquentiæ exemplum, ad imitandum propoſui, ipſorumque ego eloquentiam ſummis ad cœlum laudibus extuli ; tamen apertè cum Quinctiliano palamque profiteor, me ita ex vulgi conſuetudine eſse locutum, ut cum hominem quendam ſapientiſſimum atque prudentiſſimum prædicamus : cui tamen multum deeſt ad ſapientiam, multum ad prudentiam. Nam ſi dicta mihi mea ad fidem atque ad regulam exigenda ſunt veritatis ; ſunt illi quidem, quos, eloquentiæ cauſsâ, nominabam, tolerabiles ac boni etiam plerique oratores : ſed tamen longè iidem abſunt ab eloquentiâ. Quid ? an non eloquens Demoſthenes ? an non eloquens M. Tullius ? quorum alter Atticam eloquentiam uſque eò corroboravit, ut Athenæ nunquam antea viſæ fuerint eloquentiores ; alter Latinam eloquentiam genuiſse etiam in urbe Româ dictus eſt, nedum corroboraſse. Quod bonâ veniâ veſtrâ dictum ſit, Auditores, ne Demoſthenes quidem ſatis mihi eloquens, neque verò Marcus Tullius. Sint magni illi viri, quantùm vultis, ac prorſus admirabiles (quis enim neget ?) in dicendo : tantùm illi ſtudio atque induſtriâ in eloquentiâ profecerint, quantùm nemo adhuc quiſquam mortalium : tales denique ſeſe illi ad eloquentiam duces ac magiſtros præbuerint, quales ſtudioſus quiſque eloquentiæ certiſſimè æmuletur. Eſto : Quid tum ? an ne idcirco perfectus orator Demoſthenes, qui ob dura quædam atque intolerabilia verba valde reprehenſus fuit, atque exagitatus ab Æſchine, qui neque Ciceroni ſatisfacit, nec ſemper aures ejus implet, qui ut unus inter ceteros in omni genere dicendi emineat ; tamen ſecundus videri poſſit a Cicerone. Quid enim ſi Tullium, quod mihi ſemper viſum fuit, quadantenus præferam Demoſtheni ? Eloquentior enim quum mihi orator quiſque, quò ſapientior, eſse videatur, atque eloquentiam ſapien-

ſapientiâ metiendam putem; ſic autem Cicero Platonem in Philoſophiâ æmulatus fuerit, ut Platonis ubique ſapientiam adæquaverit; cur, quantùm divinus ille philoſophus Plato videtur ſapientiâ Demoſtheni præſtitiſſe, non ego tantùm Ciceronem Demoſtheni eloquentiâ anteponam? Quid ſe igitur in comparatione hac Demoſthenis ac Ciceronis, graviſſimorum quorundam ſcriptorum judicio me audacter opponam? quid ſi Tullium præferam? Non ne, quòd Tullius eloquentior Demoſthene fuerit, oratorumque etiam princeps fuerit judicatus, ideo etiam videri poſsit veram illam & abſolutam eloquentiam, quam nos tandiu, & tam anxiè quærimus, obtinuiſse? Non ego equidem puto, Auditores, neque ita olim putarunt reprehenſores illi Ciceronis, Brutus ac Calvus, & Aſinius uterque Pollio, neque, quod maximi momenti eſt, ipſe de ſemet ita putavit magnus alioquin æſtimator ſui, Marcus Tullius: qui quum celeber jam orator evaſiſset, atque in cauſſis agendis ſatis eſſet verſatus; tamen Moloni Rhodio, actori optimo cauſsarum, caſtigandum ſeſe ac retractandum tradere non dubitavit, ut ſuam illam nimiam redundantiam, quantùm poſset, coërceret. Videbat enim Tullius, quàm longè ipſe diſtaret a formâ illâ eloquentiæ, quam animo comprehenderat, neque adhuc tamen aſsecutus fuerat. Quòd ſi redundans illa & nimia eloquentia fraudi in primis fuit maximo illi oratorum Ciceroni, ne veram & abſolutam eloquentiam conſequeretur (nunquam enim ſatis nimium illud eloquentiæ ſuæ reprimere potuit, ac coërcere) quid illis nunc fiet ſequioris corruptioriſque ætatis oratoribus, qui luxuriam quoque, ſi Deo placet, diffluentis otioſâ quadam loquacitate orationis laudi ſibi eſse ducunt, atque ornamento, quique nervos omnes induſtriæ ſuæ in eo contendunt, ut vel Cicerone redundantiores atque abundantiores ipſi eſse videantur? Quorum ſanè ementitâ eloquentiâ decepti ſæpe adoleſcentes, ſic eos, tanquam deos quoſdam eloquentiæ, colunt, ac venerantur, ut jam Ciceronem arroganter ſuperbèque faſtidiant, neque Ciceronem ſibi diſplicere, certè non ſatis placere, fateri erubeſcant. Videtur enim iis Cicero, præ oratorum iſtorum ſuorum copiâ videlicet atque ubertate, nimis preſsus, penèque aridus atque jejunus: cui tamen veteres, meliores, ni fallor, dicendi auctores atque magiſtri, nihil adjici poſse cenſuerunt.

 runt.

runt. Eant phalerati iſti, & pluſquam Aſiatici oratores. Eant, qui verborum phaleras, non ſuccum, neque medullam orationis, ſtudioſè perſequuntur. Eant, qui eò jam eloquentiæ ſcilicet adſpirarunt, ut iis Cicero minùs placeat. Mihi contra placet Demoſthenes, perplacet Tullius. Sed ita tamen uterque placet, ut neutri ſanè illorum ſummam perfectamque eloquentiam concedendam eſſe exiſtimem; ſed tantam, quantam nemo adhuc unus ex omni hominum genere, atque ex omni vetuſtatis memoriâ, ſibi comparavit. Quid ego autem de memet dicam, qui tam longè, quàm qui maximè, non dico, a ſummâ; ſed & a mediocri, atque adeo a tenui, vel etiam qualicunque, abſum eloquentiâ? Non equidem me vel utcunque eloquentem dixerim, quod ut falſum, ita eſſet hominis arrogantiſſimi, atque impudentiſſimi; ſed amatorem duntaxat eloquentiæ. Sentio, me vehementer rapi amore pulcherrimæ illius formæ & elegantiſſimæ, quam imaginem perfectam ſui in animo meo impreſſit vera perfectaque eloquentia. Summæ hujus ſpeciei, quæ mihi ſemper ab ineunte rationis uſu obverſata eſt, & ad quam omni virium contentione adnitendum mihi eſſe duxi, ne compos unquam fierem, in tantâ rerum mearum ac fortunæ varietate, tantâ præſertim ingenii mei imbecillitate, id ipſum, quod ceteris, ſed mihi multò omnium vehementiſſimè, obſtitit, rei nempe ipſius incredibilis magnitudo. Eſt enim res omnium maxima, atque adeò difficillima, vacuum unum aliquem eſſe prorſus ab omni vitio orationis, eumque omni oratoriæ virtutis laude eſſe plenè cumulatum, quod vera conſummataque eloquentia requirit. Jam verò quis non videat, quæ ſingula ſunt permagna, ex iis univerſis conſtare veram hanc, quam dicimus, eloquentiam, idque præcipuum, maximèque proprium eſſe eloquentis, ut, quæ propria ſunt atque ſingularia aliarum omnium doctrinarum, ea ſibi adſerat univerſa? quum tamen aliæ omnes doctrinæ, ipſæ per ſeſe exiſtere poſſint ſine eloquentiâ. Poteſt eſſe quis grammaticus, dialecticus, philoſophus, juris peritus, quin ſit eloquens. Rem omnem medicam, ut quis calleat, minimè omnium neceſſaria eſt eloquentia. Geometra ut unus aliquis ſit, ut muſicus, ut reliquarum omnium diſciplinarum mathematicarum peritus, non opus certè habet eloquentiâ. Poteſt quis etiam conſummatus eſſe atque perfectus in rerum divinarum cognitione, quam Theologiam vo-

vocamus, qui ſit idem ab eloquentiâ deſtitutus. Denique ut ſit ſapiens, non valde indiget eloquentiæ. Tamen nemo unus poteſt eſſe eloquens, nec gravi illo oratoris nomine dignus videri, quin ſit idem & bonus grammaticus, & acutus dialecticus, & præſtans philoſophus, & legum atque juris apprimè peritus; quin ſit idem in muſicâ atque in erudito mathematicorum pulvere egregiè verſatus; quin medicorum præcepta, omnemque medendi rationem idem ipſe teneat; quin Theologiam, omnemque bonarum artium ſcientiam, omnem denique ipſe ſibi ſapientiam, acquiſiverit: eo quia nimirum ex omni iſtarum omnium rerum cognitione exſurgat atque efflореſcat, oportet, oratio. Quibus omnibus, ut dixi, accedere debent ornamenta quàm plurima oratoriæ elocutionis: ut ornatè nimirum & copiosè & ad rem quamlibet accommodatè, & cum audientium etiam admiratione, ſingula exponat. O veram hanc, o perfectam eloquentiam! quam ut pro dignitate quis laudet, ipſam illam, quam laudat, adhibere debet eloquentiam. Sed quid ego plura de eloquentiâ? Hoc ipſum, quòd difficultatem tantam eloquentiæ adipiſcendæ exaggero, tantamque vim doctrinæ uno oratoris officio comprehendo, quale demum eſt, ac quantum, Auditores! Tale eſt profecto, ac tantum, ut neque ad naturam atque ad dignitatem eloquentiæ demonſtrandam quidquam majus atque magnificentius, neque ad honeſtiſſimorum adoleſcentium animos amore omnium doctrinarum, in primiſque eloquentiæ, inflammandos quidquam acrius atque vehementius afferri a me potuiſſe videatur. Tantum enim abeſt, adoleſcentes, ut difficultate hac eloquentiæ, quam ſummam eſſe oſtendi, ſtudia veſtra, vel retardari, vel, quaſi deſperatione, vel minimùm debilitari poſſe ſuſpicer, certiſſima ut mihi ſpes injiciatur, fore, ut, quò difficilior eloquentia eſt, atque altior, eò majori ardentiorique incitatione, ad omnes bonas artes, ſine quibus ea eſſe nequit, contendatis. Quid enim non ſperandum de ingeniis veſtris, quæ ſunt a naturâ præſtantiſſima, atque ad omnem rerum omnium maximarum ac nobiliſſimarum ſcientiam adipiſcendam unice comparata? præſertim quum tot tantæque ſtudiorum hic vobis atque doctrinarum commoditates ſuppetant, quot quantaſque ſtudioſus quiſque ſapientiæ adoleſcens optare maximè potuiſſet: quæ tamen veteribus illis, ſummis atque ardentiſſimis amatoribus ſapientiæ, maximam partem defuerunt. Non enim vobis, ut Pythago-

ræ, Platonique ac Democrito, propter diſcendi cupiditatem, longinquæ ſunt terræ obeundæ; non Aſia vobis tota peragranda, ut Tullio; non vobis, tanquam in Phalerico, ad fluctum declamare eſt neceſſe, ut Demoſtheni; non, ad doctorem audiendum, ut Euclidi illi Megarico, vitæ vobis pericula adeunda. Hîc, hîc, adoleſcentes, theatrum vobis ampliſſimum patet omnium diſciplinarum, hîc in Piſano Lyceo ſeminarium vobis virtutis atque eruditionis conſtitutum, hîc ſedem ac domicilium vobis ſuum ſapientia ipſa collocavit. Hîc Dialectica, hîc Phyſica, hîc univerſa Philoſophia, hîc medicina, hîc Juriſprudentia, hîc Mathematicæ diſciplinæ, hîc Theologia, hîc eloquentia, hîc bonæ omnes artes atque doctrinæ in ſummo otio, rerumque omnium tranquillitate ſeſe ultro vobis offerunt, ampliſſimaque etiam vobis præmia, ſi ea receperitis, pollicentur. Etſi verò, pro ſapientiæ ipſius magnitudine atque immenſitate, artes hæ omnes liberales in ſuas veluti claſſes partitæ ſunt ac diſtributæ; tamen, qui eas hîc artes profitentur, ſummi & doctiſſimi viri, collegæ mei humaniſſimi, ita pro ſe quiſque profitentur, ut etiam univerſas ſinguli complectantur. Unde enim, ne longius abeamus, niſi ex hac iſtâ rerum omnium cognitione, variâque eruditione, ac litteraturâ fieri creditis, ut magiſtri veſtri abſtruſiora quæque atque difficiliora altiſſimarum doctrinarum tam Latinè vobis ediſſerant, tamque eloquenter? Unde, inquam, niſi ex eâ, quam dixi, omnis generis eruditione ac doctrinâ, fit adoleſcentes, ut hîc, quaſi in regno, Latinæ linguæ elegantia, Latinaque eloquentia dominentur? Ut mehercule, quod ad linguam Latinam attinet, liceat jam vobis de magiſtris veſtris dicere, quod de C. Julio Cæſare Atticus ille Tullianus, eos, ut Latinè loquantur elegantiſſimè, multis litteris, iiſque reconditis & exquiſitis, eſſe conſecutos. Ut hinc etiam de eloquentiâ facilè appareat, quia magiſtri veſtri ſapientiâ, omnique rerum ſcientiâ excellunt, ideo eos florere ac præſtare eloquentiâ. Magiſtros hos veſtros, viros ampliſſimos, eorumque admirandam planè doctrinam, atque eloquentiam, intuemini. Oratorem ego vobis non ex rhetorum officinis, ſed ex mediis magiſtrorum veſtrorum ſcholis, atque ex intimis eorum doctrinis, depromſi. Eorundem vobis exemplo, bonæ omnes artes doctrinæque addiſcendæ, ut ad veram illam perfectamque eloquentiam, quæ ex omnibus ſimul doctrinis mirum in modum coaleſcit, quàm proximè poteritis, accedatis.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO TERTIA.

De Litteris Humanioribus.

SI uſquam alibi, quàm Piſis, aut certè apud alios, quàm apud voſmet, Patres Sapientiſſimi, ceterique Auditores ornatiſſimi, de ſtudiis litterarum atque humanitatis paullò liberiùs atque audaciùs verba hodierno die eſſem facturus, verendum mihi valde eſſet, ne aut hujuſce ipſius diei, quem ſtudiis doctrinarum omnium inſtaurandis ſolemnem atque legitimum majores noſtri ſtatuerunt, rationem minùs habere, aut litteris ipſis humanioribus plus æquo quidquam concedere, aut de maximarum nobiliſſimarumque diſciplinarum dignitate nonnihil imprudenter detrahere oratio mea videretur. Verùm cum dicere me cogito Piſis, in urbe parente atque altrice ſtudiorum humanitatis, in gymnaſio hoc celeberrimo totius eruditionis atque doctrinæ, hìc præſertim apud vos homines humaniſſimos, hoc eſt, ſtudiorum omnium humanitatis peritiſſimos atque ſcientiſſimos, quid reformidem auſpice hoc ſtudiorum noſtrorum die de litterarum humaniorum laudibus dicere, atque ita dicere, ut nihil neque ad diei hujus celebritatem magnificentius, neque ad loci hujus amplitudinem accommodatius, neque ad humaniorum litterarum atque adeo univerſæ doctrinæ dignitatem auguſtius, poſſim unquam dicere? Artes enim doctrinæque univerſæ quum ita inter ſeſe partitæ ſint atque diſtributæ, ſuis ut quæque terminis ac limitibus coërceatur, quid majus atque excellentius, quàm ſtudium unum quoddam reperiri, quod nullis ipſum finibus circumſcriptum, cetera omnia doctrinarum genera complectatur atque includat? Hujuſmodi autem ſtudium eſt humanitatis. Quare, quod de ſummâ eloquentiâ affirmabat Tullius, ſic apud vos de hoc ſtudio humanitatis ſtatuite, Auditores, rem nullam eſſe apud homines, quæ plura doctrinæ adjumenta deſideret: ut hinc quilibet veſtrum facilè intelligat, me de litteris humanioribus, non quid in iis ego valeam, qui certè in iis minimùm valeo, diſputaturum; ſed

quid,

quid, & quantùm in omni doctrinâ valere is debeat, qui humanitatis ſtudium profitetur. Dabo nanque pro munere meo operam, ut, quàm potero, breviſſimè oſtendam, litteris hiſce humanioribus omnem eruditionem, omnemque rerum omnium maximarum atque doctrinarum ſcientiam contineri.

Neque verò, cum litteras dicimus humaniores, velim, Auditores, leve quidquam cogitetis, quod ad puerilem duntaxat inſtitutionem, atque exercitationem pertineat, quod nimirum in Grammaticis quibuſdam & Rhetoricis Poëticiſque præceptis, qualia ferè magiſtri quique de trivio adoleſcentulis tradunt, totum poſitum ſit atque collocatum. An non multò planè majora atque altiora profitetur illa ipſa, quæ a litteris docendis litteratura, ſeu Grammatica appellatur? Nolite autem exiſtimare, ſtudium hoc humanitatis, quod varium eſt atque multiplex, & in interioribus reconditiſque quibuſque litteris verſatur, ideoque humanitatis dicitur, quia maximè omnium ſtudiorum hominem expolit eruditque atque exornat, ſtudium hoc, inquam, humanitatis, terminis aliquantò fortaſſe anguſtioribus, atque brevioribus, quàm Grammaticen ipſam, definiri. Jam verò quàm latè patet Grammatica, quàmque multas per artes & diſciplinas pervadit! ars illa quidem primo adſpectu ſatis tenuis atque jejuna; ſed quæ re verâ, ſiquis in eam ſeſe artem penitus inſinuet, copiis jam omnibus variæ eruditionis circumflat, omniumque propemodum maximarum rerum ſcientiam complectatur. Quis enim hiſtoricos, quis poëtas enarrat atque interpretatur? Grammaticus. Quis medicos, quis juriſconſultos, quis philoſophos exponit atque illuſtrat? Grammaticus. Quis theologos, quis omnis generis bonarumque omnium artium ſcriptores ediſſerit atque explicat? Grammaticus. Quis etiam doctiſſimorum totius antiquitatis hominum ſcripta recenſet atque judicat, niſi Grammaticus? Nam & Grammaticorum eſt, idque eximium in primis, & præſtantiſſimum munus, judicium de ſcriptoribus ferre, & quæ malè atque perperam ſcripta ſunt, revocare ea ad cenſuram atque corrigere. Unde & ab alienis ſcriptis judicandis Critici iidem ſunt appellati: quorum etiam fuit, teſte ſanè locupletiſſimo Quinctiliano, non verſus modò cenſoriâ virgulâ notare, & libros, qui falsò inſcripti viderentur, familiâ ſubmovere; ſed & ipſos

ipſos ſcriptores, alios in ordinem redigere, alios de numero eximere. Talia quædam diligentiſſimè perſecutum fuiſſe opinor Telephum, Grammaticum illum Pergamenum, eo in libro, quo anquiſiviſſe eum tradunt, quot res ac quantas ſcire Grammaticum oporteret. Atque ille quidem multò fortaſſe breviùs rem totam expedire atque abſolvere potuiſſet, ſi nempe dixiſſet, quæ ſunt reliquarum omnium bonarum artium atque diſciplinarum, accuratam eorum exactamque notitiam Critico, ſeu grammatico, ſummopere eſſe neceſſariam: niſi ſi quis forte velit, poſſe quenquam rectè iis de rebus judicare, quas ignorat. Quòd ſi probè quiſque teneat, opus eſt, ea, de quibus judicat, cur grammatico huic atque critico eam rerum ſcientiam minimè concedamus, quæ quidem certè ſcriptoribus iis concedi debet, in quos ſuum ille judicium exercet? Itaque, ad rectum atque integrum in omni ſtudiorum liberaliſſimorum genere judicium, pernoſcenda eſt grammatico totius antiquitatis hiſtoria. quid dico hiſtoria? viam ut ille ſibi ad perfectam eruditionem præparet atque muniat, priſcæ etiam fabulæ cognoſcendæ, terrarum atque locorum ſitus perdiſcendi, ineunda jam inde ab orbe condito exacta temporum ratio, tenenda Dialectica, percipienda Geometria, reliquæque diſciplinæ mathematicæ, aſſumenda muſica, inveſtiganda ſiderum ratio, comprehendenda mater omnium artium philoſophia, præcepta medicorum comparanda, perſpiciendum jus Pontificium atque civile, haurienda e Theologis rerum divinarum ſcientia. Quid plura? honeſtiſſimæ omnes artes omneſque diſciplinæ quàm fieri poteſt, diligentiſſimè atque ſtudioſiſſimè adipiſcendæ. Et quid aliud fuiſſe in cauſsâ arbitramini, cur Grammatici iidemque critici vocati a Græcis fuerint πολυίστορες, quaſi multâ variâque ſcientiâ præditi, ut Alexander ille Cornelius, grammaticus Mileſius; iidemque etiam πολυμαθεῖς, ideſt, pereruditi, ut Longinus ille criticus? Quid, inquam, aliud in cauſsâ fuiſſe arbitramini, cur Grammatici, præ reliquis ceterarum omnium nobiliſſimarum profeſſionum hominibus, a variâ ipſi multâque doctrinâ appellarentur, niſi quia Grammaticorum præcipuè fuit, omnem doctrinam, omnemque rerum maximarum eruditionem profiteri? quum tamen ceteris omnibus artium liberaliſſimarum doctoribus ſatis ſuperque eſſet, eâ tantum in arte, atque diſciplinâ, quam quiſque profiteretur, excellere. Itaque ceteri

teri omnes & nunc & olim ab iis duntaxat artibus celebrati, quas potiſſimùm coluerunt; Grammaticus a multâ eruditione atque doctrinâ. Quid enim, quæſo, a Dialectico requiras, niſi ut rectè acutèque concludat, veraque ac falſa dijudicet? Quid a medico, niſi ut totam medendi rationem diligenter cognoſcat? Quid ab juriſconſulto, niſi ut jus civile atque Pontificium penitus perſpiciat? Quid denique in ſingulis aliis optimis artibus atque diſciplinis jure poſtules atque exigas, niſi ut, quod cujuſque profeſſionis proprium eſt atque ſingulare, intra certos quosdam, ſuoſque fines perfectè quis calleat? Contra verò a Grammatico, eodemque critico, quid eſt in omni doctrinarum genere tam reconditum, tam abſtruſum, tamque ad judicandum difficile, quod jure tuo non depoſcas? Quid enim in tantâ rerum maximarum atque artium varietate jam inde ab ultimâ antiquitatis memoriâ ignorare ei per te licet, quem ad Poëtas, ad Oratores, ad Philoſophos, ad Mathematicos, ad Medicos, ad Juriſconſultos. ad Theologos, ad omnes omnis generis omniumque ætatum ac temporum ſcriptores intelligendos non interpretem modò, ſed etiam judicem adhibeas? Quale hoc & quantum munus grammatici! quod tale profectò eſt ac tantum, ut, quod M. Tullius de domo juriſconſulti veriſſimè affirmavit, oraculum eam eſſe totius civitatis, jure, neque minùs verè, videar ego mihi poſſe de Grammatico dicere, oraculum eum eſſe totius eruditionis atque doctrinæ. Quid ni? quando, niſi a Grammaticis lumen accederet, pleraque adhuc, quæque meliorum & præſtantiorum ſcriptorum meliora fortaſſe atque præſtantiora erant, in tenebris jacerent. Quis hîc mihi in tot ac tantis, tamque immenſis Grammaticæ laudibus importuniùs obſtrepat, ejuſque Grammaticæ dignitatem, atque amplitudinem tantam, quantam utique demonſtrare conatus ſum, uſque eò deprimendam atque abiiciendam putet, ut vocabulorum duntaxat, non autem interpretationem rerum, Grammaticæ concedendam eſſe contendat? quaſi verò reliquarum liberalium artium ſit res ipſas, Grammaticæ verò ſit, una ſola vocabula explicare atque interpretari. Unde & Grammatici, philologi, tanquam a ſermonis & verborum ſtudio vocitentur. At enim iſtud ipſum, quod levius atque tenuius, videri poſſit, quantæ unquam ſcientiæ ac memoriæ eſt, quàm idem operoſum, quàmque infinitè per hanc rerum omnium uni-

univerſitatem diffuſum, omnia omnium artium atque diſciplinarum, hoc eſt, rerum omnium, vocabula exactè ac perfectè intelligere, eaque vocabula, variè quidem, pro varietate ipſarum artium atque diſciplinarum; ſed & aptè, atque ad rei cujuſque naturam accommodatè, explanare atque exponere! quod eſt planè publicum quendam & communem ludum omnibus artibus atque diſciplinis aperire, ut de omnibus illæ vocabulis, tum communibus, tum etiam cujuſque propriis, erudiantur. O ſic etiam Grammaticam magiſtram artium atque diſciplinarum, e qua niſi bonæ artes atque diſciplinæ verborum, antiquorum ſæpe atque obſcurorum, interpretationem addiſcant, vel in rebus eæ majoris momenti cæcutiant ferè, neceſſe eſt, atque hallucinentur! Deus immortalis! Unde, niſi a Grammaticâ, patefactam atque oſtenſam habet Juriſprudentia ſignificationem verborum, ex qua juriſconſulti de rerum ipſarum ſignificatione erudirentur, & de jure & æquo iidem reſponſitarent? Nam Labeonem quidem Antiſtium juriſconſultum memorant vetus jus civile vocibus verbiſque interpretandis totum enucleaſſe. Unde, niſi a Grammaticâ, propria artis ſuæ vocabula medici cognoverunt? ea, quibus olim uſus Hippocrates, explicarunt Dioſcorides ille Phacas, & Erotianus: linguas etiam, quas vocant Hippocratis, Herophilus & Becchius & Galenus expoſuerunt. Unde, niſi a Grammaticâ, oratores atque poëtæ ſua ſibi vocabula didicerunt? ea, quæ oratores & optimi quique ſcriptores uſurpaſſent, interpretatus eſt Eudemus; quæ oratores decem Græciæ, Julianus, Philoſtratus Tyrius, Diodorus & Harpocration; quæ hiſtorici, Parthenius; quæ ſummi ac celeberrimi Poëtarum, Helladius. Ne dicam de Philoxeno, qui linguas Homeri, de Longino, qui ambiguas voces Homeri, de Epitherſe illo Nicæno, qui Comicorum atque Tragicorum verba, de Evagorâ, qui Thucydidis vocabula difficiliora atque obſcuriora illuſtravit. Unde, niſi a Grammaticâ, patet in philoſophiâ verborum uſus atque explicatio? Fuit in philoſophiâ Plato propemodum divinus: cujus inſtar Jovem locuturum fuiſſe dictitarunt, Græcè ſi locuturus fuiſſet. Platonis verba Timæus & Boëthus explanarunt. Quid Dialecticam memorem? quid Geometriam? quid reliquas diſciplinas Mathematicas, quæ, niſi verborum ſuorum interpretationem a Grammaticâ mutuentur,

Digitized by Google

nihil ferè rerum ſuarum intelligant? Quid denique Theologiam, quæ ſumma eſt atque altiſſima rerum ſcientia divinarum? Unde etiam, niſi a Grammaticâ, a penu illo omnis eruditionis locupletiſſimo, ſuppetit unquam Theologis, hominibus planè divinis, vocum illarum divinarum interpretatio? Vos appello, Patres Chriſtiani, vos, maximi atque ſanctiſſimi Sacerdotes, quorum eſt de rebus divinis, religioniſque jure judicium. Non ne vos, tantâ homines religione atque ſapientiâ, cum religio ipſa ageretur, conſulere ſæpe Grammaticam oportuit, atque ex Grammaticæ ipſius interpretatione, ad certiſſimam illam teſtimoniorum atque auctoritatum divinarum regulam, de maximis graviſſimiſque omnium controverſiis decidere? Iſtud verò quàm mirabile, atque ad Grammaticam commendandam quàm præclarum, ex unius alicujus voculæ explicatione ſumma aliquando ſententiarum divinarum, atque adeo totius religionis, capita aptè pependiſſe, & niſi Grammatica unius alicujus verbi interpretatio præluxiſſet, vos religionem interpretari minimè omnium potuiſſe. Obvia ſunt cuique veſtrum, Auditores, in ſacris hiſtoriis exempla, obvia ea vocabula, de quibus, tanquam pro aris & focis, in ſolemnibus Chriſtianorum conventibus acerrimè inter partes diſputatum, obvia ea vocabulorum diſcrimina, quæ, tanquam notæ quædam veritatis divinæ, ſunt a ſanctiſſimis illis doctiſſimiſque Patribus, ſapientiſſimè ac divinitus excogitata, ut vera de rebus divinis ſententia a falsâ diſcerneretur. Quem enim veſtrum, Auditores eruditiſſimi, fugiant graviſſimæ illæ concertationes veterum Theologorum, quibus ſacroſanctæ noſtræ religionis ſumma quaſi in diſcrimen vocabatur: quum, maximo ii animorum ardore, inter ſeſe diſputarent, ac propemodum digladiarentur de verbis illis, Ὁμοούσιος, & Ὁμοιούσιος· quæ quidem verba, ut minimùm ſono, hoc eſt, unâ tantùm litterâ, inter ſeſe differrent; mirum tamen, quantum inter ſeſe different ſignificatu! quippe quum horum verborum altero unigena ille Dei Filius unius ejuſdemque naturæ conſors cum patre; altero naturâ patri ſuo ſimilis exprimeretur; itaque qui rectè de deo, & qui ſecùs ſentirent, his verbis, quaſi teſſeris quibuſdam, inter ſeſe diſtinguerentur. Hæc ſi vellem omnia in medium afferre, quem tandem oratio mea exitum inveniret? Sunt enim hæc propemodum infinita: quæ ſi attentè vobiſcum ac ſedulò repu-

reputaveritis, idem vobis accidat, neceſſe eſt, quod iis, qui in patentiſſima camporum æquora, aut in vaſtiſſimorum marium immenſitates oculorum aciem longiſſimè intendunt: qui nullum ſanè videndi finem reperiunt. Sic enim & in ſpatiis hiſce immenſis atque infinitis univerſi orbis artium atque diſciplinarum, rerumque omnium tum humanarum, tum etiam divinarum, quoquò verſus mentis veſtræ oculos converteritis, nullos jam Grammaticæ conſtitutos fines comperietis, extra quos illa interpretationem vocabulorum ſuam una cum rebus ipſis non proferat. Sed quid ego Grammaticæ vocabula duntaxat interpretanda, & non res ipſas, quarum cognitione humana eruditio atque doctrina perficitur, penitus percipiendas concedam? Neque enim una ſemper atque eadem eſt unius ejuſdemque vocis interpretatio; ſed, pro rerum atque artium diverſitate, ſæpe etiam diverſa. An ne igitur, quum vocabulorum interpretandorum munus totum ubique ſit Grammaticæ, exiſtimabimus, in tantâ rerum ac ſententiarum varietate poſſe Grammaticam variè eandem vocem, atque ad id, quod agitur, congruenter interpretari, niſi res ipſas, de quibus agitur, optimè cognoſcat atque judicet? Res autem ipſas ſi cognoſcit Grammatica, quarum vocabula intelligit atque interpretatur, quid ei unquam deſit ad perfectam rerum omnium ſcientiam, quandoquidem nihil omnino eſt vocabulorum, quod illa non intelligat atque interpretetur? Proh bone deus! tantum ne ſcientiæ atque eruditionis ars una habet, ut, quidquid unquam doctrinarum per ceteras omnes liberaliſſimas artes atque diſciplinas diſperſum eſt atque diſtributum, ſciat ipſa cumulatiſſimè, neque tantùm ſciat; ſed & illis omnibus diſciplinis ad totius eruditionis ſummam præluceat? Atque hinc fit, Auditores, ut Grammatica non in unâ ſolâque verborum interpretatione conſiſtat; ſed rerum ipſarum explicationem muneris ſui eſſe ducat, atque in ſcriptores omnis generis enarrandos præcipuè incumbat. Hoc autem eſt, philologum agere, qualem ſe nominari voluit Atteius, non qui nimirum verbis, aut ſermoni duntaxat ſtudeat; ſed qui, ut ille olim Eratoſthenes, multiplici variâque doctrinâ cenſeatur. Quis enim ſcriptores aut poëtas enarret, qui non ſimul & reconditiora quæque atque interiora earùm rerum, quæ ab iis ſcriptoribus aut poëtis pertractantur, diligenter examinet atque excutiat? Quis Ari-

Ariſtotelem interpretetur, qui non ſimul & doceat philoſophiam, ut grammaticus ille Philoponus? Quis Hippocratem illuſtret, qui non ſimul etiam medicinam, ut Grammaticus ille Nicander Colophonius? Quis Homerum, principem illum & auctorem omnium doctrinarum, exponat, qui non ſimul & omnes doctrinas atque elegantias explicet, quæ ab Homero ad ceteros poëtas latiſſimè manarunt, ut Grammaticus ille Didymus, & omnium ille grammaticorum facilè eruditiſſimus, Euſtathius? O igitur grammaticam, non unam jam artium atque diſciplinarum; ſed artes doctrinaſque univerſas uno grammaticæ nomine atque officio comprehenſas! O grammaticum, o litteratum, o eundem & Dialecticum, & Geometram, & Muſicum, & Mathematicum, & Philoſophum, & Juriſconſultum, & Medicum, & Theologum! o & eundem ab omni maximè doctrinâ inſtructum! Quis enim jam veſtrum non fateatur, quod docto alicui viro verè non minùs, quàm mirabiliter, viſum fuit, minore vos negotio Papinianos tres, quàm Ariſtarchum unum, eſſe obſoluturos? Age porrò, quid ſi noſter hic Ariſtarchus de metris ac rhythmis præcipiat? quàm neceſſaria ei Muſica! quid ſi ad hiſtoriam ſcribendam ſemet conferat? quàm debet idem eſſe in politicis verſatus! Quid ſi ad manſuetiores ſeſe muſas referat; velitque præterea Philoſophiam, ad magnorum virorum exemplum, Empedoclis nimirum, Varroniſque, & Lucretii, carminibus conſignare? quàm variè, & quàm multis in rebus ſit ille, oportet, eruditus! neque modò in philoſophiâ, aſtrorumque ſcientiâ, atque in omnibus artibus liberaliſſimis; verùm etiam in fabulis! Quo etiam qualique afflatu furoris quaſi divini concitari ille debet atque impelli, ut verſus non tam marte ſuo pangere, quàm divinitus fundere videatur! Quid ſi det operam eloquentiæ, ut unamquamque de re copioſè dicat atque ornatè? quantâ ei ſapientiâ atque doctrinâ opus eſt; ſine qua perfecta eloquentia nullo modo eſſe poteſt! Quid ſi illud etiam, quod minimum in doctrinis videtur, diligentiſſimè curet, ut, quàm poteſt, elegantiſſimè, loquatur Latinè? iſtud ipſum, quod eſt Latinè, hoc eſt, politè atque eleganter, loqui; Deus bone, quàm magnum eſt, quàm ſingulare, quàm paucorum hominum, eorumque eruditiſſimorum! Fuit id Marci Tullii; quem C. Julius Cæſar penè principem copiæ atque inventorem dixit. Fuit ipſius

Cæ-

Cæſaris, quem, ut omnium ferè oratorum elegantiſſimè loqueretur Latinè, multis litteris, & iis quidem reconditis & exquiſitis, conſecutum fuiſſe, Tullius ipſe affirmavit. Fuit etiam, poſt reſtitutas ac veluti renatas litteras, ſummorum virorum, qui tum alibi, tum etiam hìc Piſis, in hac noſtrâ Academia, in id potiſſimùm incubuerunt, ut rerum maximarum ſcientiam cum ſermonis Latini, omniſque doctrinæ elegantiâ conjungerent. Quæ igitur ars, libero illa quidem homine digna, quæ unquam diſciplina, tam ſevera eſſe poteſt, immo verò tam a muſis averſa, atque ab omni humanitate aliena, quæ ſtudiis hiſce humanitatis non contineatur? Faceſſant, qui litteras haſce humaniores levius quiddam eſſe cenſent, quàm ut eæ cum altioribus quibuſdam majoribuſque diſciplinis ullo modo conferantur. Non capiunt inepti iſti homines, bonarumque omnium litterarum rudes, quid tandem ſit ſtudium hoc, quod ipſi culpant atque contemnunt, humanitatis. Neque enim eſt, quale ipſi ſibi cogitatione fingunt, nugatorium quiddam, aut puerile, quod in fabulis duntaxat poëticis, quiſquiliiſque verborum, oblectandorum animorum cauſsâ, inutiliter occupetur. Quale ferè fuiſſe ſtudium Tiberii Cæſaris traditur. O quæſtiunculas illas Græculorum, quas facetè ſatis atque urbanè irridere ſolitus erat Stoicus ille Seneca, quot ſecum remiges Ulyſſes habuiſſet, prior ſcripta ne eſſet Ilias, an Odyſſea! Apage has nugas, apage ineptiſſima hæc ſtudia diffluentium otio hominum atque ignaviſsimorum. Non enim hæc humanitatis mehercule ſtudia, ex quibus homo nihilò humanior, hoc eſt, doctior atque eruditior, evadat. Illa, illa verè mihi ſtudia humanitatis, quæ in univerſo ſtudiorum liberaliſsimorum orbe longè latèque patent ac dominantur. Illæ, illæ litteræ planè humanæ, quæ quum artes omnes honeſtiſsimas, & majores quaſque diſciplinas complectantur atque contineant, eam iis elegantiam, eumque ornatum atque nitorem adjiciunt, ut litteræ ipſæ humaniores elegantioreſque & politiores efficiantur. Illæ, illæ litteræ humaniores, quas niſi ſibi comites ſeu miniſtras unaquæque altiſſimarum nobiliſſimarumque diſciplinarum aſſumpſerit, deformare ipſa nativam pulchritudinem ſuam, ac veluti in ſermonis ſordibus volutari videatur. Quid divinius Theologiâ, quæ ſapientia eſt admirabilis rerum divinarum? Quid auguſtius atque ſanctius Theologiâ, quæ

tota

tota in ſummo ſanctiſsimoque Dei numine contemplando verſatur? Quid pulchrius Theologiâ, cui ſummum atque perfectiſſimum totius pulchritudinis exemplar majori multò ſuperiorique luce, quàm humani ingenii imbecillitas ferat, ſpectandum atque conſiderandum proponitur? Et tamen ſeculis illis ſequioribus, cum, poſt Romanæ linguæ non minùs, quàm Romani imperii, a Gothis vaſtitatem, intermortuæ litteræ erant humaniores, quæ facies erat Theologiæ, quàm triſtis, quàm horrida, quàm agreſtis! Equidem, cum Theologorum quorundam, qui bene tunc atque acutè ſcripſiſſe putabantur, volumina in manus ſumerem, miſerebat me tui, pulcherrima atque auguſtiſſima diſciplinarum, miſerebat me tui, regina diſciplinarum Theologia, mei, qui libros illos legerem, pigebat; valdeque etiam indignabar, quòd homines non tam ſuo, quàm temporum illorum vitio, aliquantò barbariores, illotis te manibus contrectare auſi fuiſſent. Adeo tute mihi, Theologia, in illis libris ſquallida, plenaque illuviei atque ſordium videbare. Quid præclarius atque honeſtius philoſophiâ, quæ ſapientia eſt rerum humanarum, optimarumque omnium artium procreatrix? tamen, humanioribus litteris unà cum linguâ Latinâ miſerè collapſis, quid tetrius tunc philoſophiâ, quid deformius, aut etiam portentoſius? quum gymnaſia omnia philoſophorum non niſi vocibus barbaris atque gothicis perſonarent, & de neſcio quibus verborum monſtris magna quotidie concertatio fieret, &, qui Ariſtotelis ſeſe interpretes, ſi deo placet, appellitabant, ne primoribus quidem labris Ariſtotelicos fontes deguſtaſſent; ſed cœnoſos quoſdam rivos, hoc eſt, translationem ex Arabicâ non Latinam, ſed Arabicâ ipsâ multò barbariorem, conſectarentur. Quid, ut nihil dicam de medicinâ, nihil de mathematicis, reliquiſque honeſtiſſimis diſciplinis, quid, inquam, nobilius atque elegantius juriſprudentia, quæ ſcientia eſt juris atque æquitatis? tamen, ante litteras humaniores renatas, quid fœdius illorum temporum juriſprudentiâ, quid contaminatius, quid denique obſcurius? quum qui juris ſemet ſacerdotes jactitabant, & boni & æqui notitiam profitebantur, pleraque legum ſuarum minimè omnium intelligerent, pleraque etiam, quæ Græcè nimirum ſcripta erant, ne legerent quidem, denique Jus Romanum non Romanè, ſed Gothicè, interpretarentur. Equidem de me fateor, ſi qua

ſiqua in me eſt Latinæ linguæ Romanarumque rerum ſcientia, ſiqua fortè elegantia ſermonis Latini, quæ quàm ſit exigua, ſatis ſentio, eam, qualiſcunque ea demum eſt, memet ferè ex quinquaginta Digeſtorum libris aſſiduè legendis hauſiſſe, ſicque mentem meam politiſſimâ illâ veterum juriſconſultorum elegantiâ aſſuefeciſſe, Cimmeriæ ut mihi tenebræ offuſæ in eorum ſcriptis eſſe viderentur, qui, corruptis jam bonis artibus, de jure civili reſponſitaſſent. Tanta per Deum immortalem ſcriptorum illorum erat barbaries. Poſtea verò, quàm litteræ illæ humaniores, importatâ per Græcos homines Græcaſque litteras luce, recreatæ ſunt apud noſtros homines atque revixerunt, quantâ ego & quàm incredibili earundem omnium diſciplinarum, atque artium ingenuarum admiratione obſtupeſcebam! quantâ inde & quàm mirificâ voluptate afficiebar! quantùm ego lætabar, ſuam Theologiæ, ſuam Philoſophiæ, ſuam juris civili prudentiæ, ſuam reliquis omnibus præſtantiſſimis artibus atque diſciplinis dignitatem atque elegantiam reſtitutam, qualem illæ quidem certè jam inde a principio habuerunt, antequam nimirum bonæ omnes litteræ, linguaque ipſa Latina, a Gothis & Vandalis miſerandum in modum depravatæ, ab humanitate ſuâ in agreſtem quandam & immanem barbariem degeneraſſent! Quis enim tunc, vel ſi ſuperiora priſcæ memoriæ documenta altè, & tanquam a capite, repetimus, quis tunc ſplendor, quæ dignitas erat majorum quarumque graviorumque diſciplinarum, cum apud doctiſſimos quoſque homines maximè vigebant ſtudia humanitatis, &, quo quiſque a doctrinâ inſtructior, eò etiam erat ab omni litterarum humaniorum elegantiâ politior atque ornatior? Niſi ſiquis fortè nobis opponat magnam videlicet auctoritatem Epicuri, quem narrant litteras haſce elegantiores, hominumque eruditorum proprias, aſpernatum fuiſſe. At enim Epicurus contempſit etiam Dialecticam: at non magnus in doctrinis fuit Epicurus, cujus etiam in Phyſicis atque Ethicis doctrina tota ferè fuit aliena, quippe in Phyſicis Democritea, in Ethicis potiſſimùm Ariſtippea, atque Cyrenaica. Contra verò quos planè conſtat humaniorum litterarum ſtudiis multò omnium liberaliſſimis præſtitiſſe, non ne eoſdem fatendum eſt in omni quoque doctrinarum genere maximè omnium veterum excelluiſſe? Quis enim ſapientior Platone, philoſopho graviſſimo, omnium-

mniumque principe philoſophorum? quis etiam Platone in grammaticâ, in oratoriâ, in poëticâ, in omni elegantiori litteraturâ exercitatior? Quis doctior Ariſtotele, principe & ipſo ſecundùm Platonem philoſophorum? quis etiam Ariſtotele ab humanioribus litteris cultior, quem ajunt Iliadem Homericam Alexandro Macedoni emendaſſe, initiumque atque exemplum Criticæ arti dediſſe? Quis non in philoſophiâ modò, ſed etiam in medicinâ peritior Galeno? quis etiam Galeno in grammaticis & rhetoricis, ceteriſque humanitatis ſtudiis verſatior? Quis apud Latinos omni doctrinâ excellentior Tullio? quis etiam Tullio melior orator, meliorque grammaticus, qui, ut nec poëta fuit contemnendus, ita & nobilem in primis poëtam Lucretium correxit? Quid & alios dicam, ſummos planè viros, atque ut in omni recto humanitatis ſtudio verſatiſsimos, ita & facilè doctiſsimos totius antiquitatis? Quid etiam clariſsima illa atque immortalia religionis noſtræ lumina, ſapientiſsimos illos divinitatis interpretes, Clementem Alexandrinum, Origenem, Baſilium, Gregorium illum Nazianzenum, Chryſoſtomum, Lactantium, Hieronymum, Auguſtinum, qui quum omni humanitate atque eruditione eſſent perpoliti, ad res quoque divinas omni doctrinarum genere illuſtrandas plurimum ſubſidii atque adjumenti contulerunt? An ne verò Julianum Cæſarem, infeſtiſsimum illum Chriſtianorum hoſtem, & transfugam conſceleratiſsimum, humanioribus Græcorum litteris, poëtarumque lectione ideo Chriſtianis pueris interdixiſſe putabimus, ut ne ſcilicet, quem rudes atque imperiti homines unum ſolumque fructum ex amœnioribus illis diſciplinis percipi opinantur, inaniter Chriſtiani & pueriliter cum Muſis delectarentur? Nihil minùs, Auditores. Neque enim ea Julianus Chriſtianis oblectamenta invidebat, quæ molliùs eos afficerent, atque demulcerent: ſed perſpicaci homo ingenio, boniſque artibus ſatis eruditus, quum ſtudia illa humanitatis in omni maximarum rerum ſcientiâ verſari, & litteris illis humanioribus liberales omnes diſciplinas, omneſque doctrinas contineri pervideret; id ereptum Chriſtianis volebat, quo illi ſuas de Deo ſententias confirmarent, atque tuerentur; gentium verò theologiam refellerent. Nimirum ſentiebas, reque ipſâ experiebare, Juliane, in hoſtibus illis tuis, hominibus litteratis atque Chriſtianis, in Gregorio illa

No-

Nazianzeno, in Baſilio illo Cæſarienſi, in Apollinari illo Laodiceno, quid & quantum theologia Chriſtianorum, hoc armata litterarum humanarum præſidio, contra theologiam gentium valeret. Quid igitur tandem miremur, ſi decora illa atque ornamenta veteris doctrinæ, quæ, corruptis bonis litteris, damnum maximum fecerant, iiſdem recreatis atque reſtitutis, nihilò fortaſſe deteriora, quàm quæ olim fuerant, revixerunt. Revixit Theologia, revixit juris civilis prudentia, revixit medicina, revixit philoſophia, revixit dialectica, revixit geometria, omnes denique artes honeſtiſſimæ, omnes liberaliſſimæ diſciplinæ dignitatem atque amplitudinem priſtinam ſuam recuperarunt. Ergo, quum beneficium hoc ſit litterarum humaniorum, ut bonæ omnes artes atque diſciplinæ & olim viguerint, & nunc mirificè refloruerint, &, qui in ſtudiis humanitatis maximè omnium ſunt verſati, iidem etiam ceteris hominibus omni doctrinâ præſtiterint, cur, optimi adoleſcentes, ſi amor vos tenet atque ſtudium omnium doctrinarum, litteris hiſce humanioribus, quibus doctrinæ omnes continentur, penitus vos dedere dubitetis? cur enim, quum artes omnes liberaliſſimæ cognatæ inter ſeſe ſint, & communi quaſi vinculo conjunctæ atque copulatæ, ſegregandas eas artes arbitremini, itaque ad unam, ad quam caſus vos quidam detulerit, tanquam ad ſaxum, vobis adhæreſcendum, ut ceteras quoque minimè arripiendas cenſeatis? Videtis, adoleſcentes, magiſtros hos veſtros, viros doctiſſimos atque eruditiſſimos, pro ſuo quemque munere, ita in artibus atque in diſciplinis tradendis verſari, ut, ſi ipſæ artes atque diſciplinæ loqui poſſent, non meliùs neque elegantiùs, neque nitidiùs, neque majori etiam cum dignitate, quàm magiſtri veſtri faciunt, docturæ vos atque erudituræ fuiſſe videantur. Fructus hic eſt uberrimus atque copioſiſſimus ſtudiorum liberaliſſimorum humanitatis. Itaque & vos, optimi adoleſcentes, ſi in dialecticâ, ſi in geometriâ, reliquiſque mathematicis diſciplinis, ſi in philoſophiâ, ſi in medicinâ, ſi in jure civili atque pontificio, ſi in theologiâ, ſi in ſingulis quique doctrinis perfecti ſatiſque elegantes eſſe volueritis, ad ſtudia hæc humanitatis contendite: hoc eſt, omni ope & operâ enitimini, atque efficite, ut univerſus in vobis doctrinarum diſciplinarumque orbis perficiatur: quando litteris hiſce humanioribus omnes doctrinæ atque diſciplinæ uberrimè atque elegantiſſimè comprehenduntur.

ORATIO QUARTA.

De univerſo diſciplinarum orbe.

MAXIME vellem, Patres ſapientiſſimi, ceterique auditores ornatiſſimi, ut, quod, jam inde a ſuſcepto ampliſſimo hoc humaniorum litterarum docendarum munere, mihi unicè propoſui, hoc adoleſcentibus his noſtris, qui ſeſe nobis in diſciplinam tradiderunt, eſſet penitus perſuaſum, non in uno ſoloque doctrinæ genere, qualiſcunque ea demum eſt, ſibi eſſe acquieſcendum; ſed finem atque terminum ſtudiorum ſuorum conſtituendum eſſe univerſum illum orbem diſciplinarum, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocarunt. Nam ſive eloquentiam ſpecto, perfecta eſſe nequit eloquentia, niſi rerum maximarum ſcientiam, doctrinaſque univerſas complectatur, ſive litteras humaniores intueor, omnis rerum omnium atque artium honeſtiſſimarum eruditio humanioribus uberrimè litteris comprehenditur; ſive gymnaſium hoc domiciliumque ſapientiæ nobiliſſimum circumſpicio, omnes hìc liberaliſſimæ artes atque diſciplinæ apud doctiſſimos atque eruditiſſimos homines, apud vos, Patres ſapientiſſimi, in Piſano hoc gymnaſio ſtudioſiſſimè acerrimèque exercentur. Turpe autem nimis & indignum optimis adoleſcentibus fuerit, eos, quum domos ſuas reliquerint, atque in hanc ſeſe urbem, eruditionis cauſſâ, contulerint, non, ut eloquentes bonarumque litterarum periti fierent, aliquandiu elaboraſſe; ſed, qui omnia doctrinarum genera percipere facilè potuiſſent, eos mediocri quodam uniuſque duntaxat generis doctrinâ contentos, hoc eſt, paullò eruditiores, quàm venerant, ad ſuos rediiſſe. Sed, quoniam brevis eſt hominis vita, vetus illa in plurimorum animis opinio inſedit, humanæ vitæ curſum tam anguſtum eſſe, tamque undique coarctatum, ut non niſi breviſſimus videri poſſit, ſi, non dico, ad omnium, ſed vel ad unius etiam artis magnitudinem conferatur. Ego verò, Auditores, qui, ingeniorum noſtrorum viribus bene accuratèque perpenſis, nihil humile, nihil abjectum, nihil egregiis

Digitized by Google

giis maximæque ſpei adoleſcentibus indignum mecum unquam meditor; communem hanc de longo artis, brevi vitæ curſu humani generis querelam ex hominum mentibus exturbare, ſi fieri poteſt, aggredior, itaque maximum, quo a ſapientiæ ſtudiis adoleſcentes deterrentur, impedimentum removere. Demonſtrabo enim, quàm potero, diligentiſſimè, breviorem longè eſſe earum omnium artium, quæ ſunt libero homine dignæ, quàm humanæ vitæ, curſum. Quod ſanè argumentum, tametſi alibi a me abhinc multis annis non incommodè pertractatum; tamen mihi quidem dignum videtur, quod aliquantò etiam nunc diligentiùs atque curioſiùs, anniverſario hoc ſtudiorum inſtaurandorum die, pro loci hujus & muneris mei amplitudine, atque utinam cum aliquo orationis meæ fructu! retractetur.

Verùm, ipſo ſtatim orationis limine, quis me veſtrum, Auditores, non oppugnet, ac propemodum obruat ſummâ ſummi ac celebratiſſimi viri auctoritate, cui niſi ego primùm omnium occurram, valde etiam vereri debeam, ut utilem fructuoſamque ſim ipſe operam in hoc tale tantumque argumentum collaturus? Quis enim ab Hippocrate diſſentiat, maximo illo totius antiquitatis, & pene dixerim, divino ingenio? cujus tanta tamque admirabilis fuit in explorandâ rerum veritate ſolertiâ, ut, quò ille non peruenerit, nemini uni ſperandum ſit, poſſe ſeſe unquam pervenire. Atque is tamen vir ſapientiſſimus, quum breviſſimis acutiſſimiſque ſententiis, quas Græcè aphoriſmos dicimus, quaſi medicinæ totius oracula eſſet ſimul complexutus, inde ſibi exordium capiendum cenſuit, ut vitam humanam brevitatis, longitudinis artem incuſaret. Vitam enim dixit brevem; artem longam. Sed iſtud de trivio argumentum, quo a tanto nomine quæri ſolet torpori ignaviæque noſtræ patrocinium, neque orationis ſeſe jam explicantis curſum abrumpet, neque a ſapientiæ vos ſtudio, optimi adoleſcentes, retardabit, ſi paullisper conſideretis, quod vos fortaſſe miremini, ſed tamen veriſſimum eſt, cauſſam inde meam confirmari, unde penitus infringi evertique potuiſſet. Nam, cum oculos ad illum medicorum veluti deum, ad Hippocratem converto, eximiamque ejus in omnibus artibus eruditionem attentiùs cogito; ſatis iam video, nullum aliud ex totâ antiquitate opportunius atque ad rem noſtram accommodatius

Digitized by Google

exemplum afferri unquam potuiſſe; quod vobis ad omnem doctrinam proponeretur. Fuit enim, ſi quis alius, non in arte ſolùm medicâ; ſed etiam in toto diſciplinarum orbe exercitatiſſimus, eâque verè laude digniſſimus, qua neſcio an major ulli unquam hominum contigerit, quòd & alios fallere, & ab aliis ipſe falli neſciverit. Quapropter qui volunt, laborioſi ſcilicet in otio homines, longius multò eſſe artium liberalium curriculum, quàm ut toto eæ vitæ tempore perdiſcantur, & luculento admodum Hippocratis exemplo refutantur, qui eas omnes artes calluit quàm peritiſſimè, & quænam hominis mens, quodve conſilium fuerit, minimè omnium aſſequuntur. Niſi ſiquis fortè adeo deliret, ut arbitretur, ideo Hippocrati longam artem; vitam autem dictam eſſe brevem, quòd hac potiſſimùm ratione alios vellet a medicinæ ſtudio avertere, qua ipſe medicina maximè omnium eniteret. Sed o prava hominum minimè ingenuorum, qui de ingenuo viro tam iniquè atque adeo protervè ſenſerunt, judicia! quos etiam graviſſimè olim reprehendit optimus principis medici interpres, medicorum & ipſe longè clariſſimus, Claudius Galenus. Quid enim a rectâ ratione magis alienum, quàm, ad humani generis bonum, commentarios Medicos conſcribere, quibus nihil unquam utilius aut eſſe aut excogitari poſſit, ſimulque ab arte universâ, cujus doctrinâ hominum tete ſaluti atque incolumitati conſulere velle profiteare, legentium prorſus animos avocare? Aliud omnino voluit parens ille medicinæ Hippocrates, aliud in votis, aliud in mente habuit, dum artis magnitudinem eò protrahendam putavit, ut longiſſima ea eſſet, ſi unius eam hominis vitâ metiremur. Non enim ad otium ignavorum, inertiumqae hominum fovendum, ſed ad ſolertium navorumque diligentiam excitandam; non ad excuſandum torporem, ſed ad laborem promovendum; non ad deterrendos abalienandoſque ab artis medicæ ſtudio animos, ſed ad exacuendum propoſitâ artis difficultate ingenium, eam retulit de brevitate vitæ ſententiam: ut nempe, quò vita brevior eſſet, ars autem longior, eò impenſiori curâ majorique animi contentione opus ſibi eſſe ſtudioſi quique intelligerent, ut brevi artem tempore adipiſcerentur. Quanquam autem explicationem hujuſcemodi, veram illam quidem, ſed veluti ad Hippocratis ſenſum non ſatis appoſitam, neque aptam, minùs approbat Galenus; tamen

men illa ipſa Hippocratis verba ita interpretatur, ut doceat, breve etiam tempus ad artem perdiſcendam ſufficere, ſi recta ſtudiorum via, conſtanſque labor adhibetur: non poſſe quidem ab uno eodemque homine, quàm vultis, diligenti & ſtudioſo, artem aliquam & inchoari & abſolvi, quod ad inventionem ſpectat; ſed, poſteaquam inventa ea fuit, pluresque docti atque induſtrii viri, multorum annorum decurſu, ad eam conſtituendam perficiendamque laboraverunt, nihil jam in cauſsâ eſſe, cur breviori temporis ſpatio eam quiſque artem non comprehendat; eâque de re perbreves conſcribi commentationes oportere, quibus omnia, quæ magni quique viri multo tempore, magnoque labore obſervarunt, incredibili quodam & temporis & laboris compendio, ſub unum veluti adſpectum ſubjiciantur. Sed cur in unâ tandiu nos arte immoramur? quaſi verò non in toto diſciplinarum orbe noſtra verſetur oratio. Age igitur, quantus qualiſque eſt, quàmque hominibus omnibus inditus a naturâ, cognitionis amor, & veritatis! quàm nunquam otiatur in nobis hæc veri inveniendi cupiditas! quàm rei cujuſque novitate pueri capimur, & detinemur! quanto diſcendi ardore ad liberalium artium ſtudia impellimur adoleſcentes! quàm magnam vitæ noſtræ partem viri, ſæpe etiam cum maximo rei familiaris detrimento, litteris rerumque cognitioni impendimus! quo ſtudio, etiam qui a rebus gerendis longè abſumus, ſenes res geſtas legimus & audimus, neque hiſtoriis modo, ſed etiam fabellis recreamur! quàm denique in omni ætate, ut ab aliis curis vacuus animus ſecum eſſe permittatur; tamen nunquam quieſcit hoc ſciendi omnia deſiderium! Solonem ferunt, quem in ſapientium hominum numero Græcia habuit, morti jam proximum, aſſidentibus amicis, & neſcio qua de re ſermonem inter ſeſe conferentibus, caput, ut potuit, ſuſtuliſſe, ut re, de qua diſputarent, perceptâ, eruditior atque ſapientior moreretur. Tanta humanum genus diſcendi cupiditas tenet; tantaque inde eſt, rebus tandem cognitis, animi noſtri oblectatio. Id enim, quo uno beſtiis maximè præſtamus, & homines ſumus, mentem nimirum noſtram, rerum ſcientia perficit, honeſtiſſimâque complet voluptate. An igitur exiſtimabimus, fruſtra hunc eſſe in nobis cognoſcendi veri ardorem, tamque iniquè atque injurioſè erga hominum genus ſeſe naturam, tanquam novercam quandam, geſſiſſe,

ſiſſe, ut, quum ſane quàm vehementi perpetuoque impetu ad ſtudia nos omnium liberalium doctrinarum impellat atque rapiat; tamen adjumenta nobis denegaverit, quibus earundem ipſarum doctrinarum ſcientiam aſſequeremur? An Galenum oleum & operam, quod eſt in proverbio, perdidiſſe putabimus, quem nullum non lapidem moviſſe ajunt, ut in omni doctrinarum genere perfectus evaderet? An Cleanthem Aſſium, qui noctem hauriendis aquis, diem bonarum artium ſtudiis dediſſe traditur, atque inde a labore Hercules alter eſt appellatus, laboris hujus tanti fructum hunc retuliſſe arbitrabimur, ut in liberalibus artibus comparandis animum prorſus deſponderet? An inane in Euclide Megarico cenſebimus ſtudium ſapientiæ adeo eximium ac ſingulare, ut, quod Megarenſibus capitale erat, ipſe Athenas, veſte muliebri indutus, venire noctu, ad Socratem audiendum, minimè omnium dubitaret? An, ut ſexcentos alios ex totâ antiquitate viros doctiſſimos omittam, quibus totâ vitâ nihil antiquius fuit, quàm optimarum omnium diſciplinarum apparatu pulcherrimo atque elegantiſſimo inſtrui, fruſtra Pythagoram, fruſtra Democritum, fruſtra Platonem, quales, Deus bone, viros! dicemus, patriam, ubi ſummo honore florebant, reliquiſſe, ultimaſque terras peragraſſe, ut, periculoſiſſimâ per barbaras incultaſque nationes peregrinatione nullum non doctrinarum genus a ſapientiſſimis omnium populorum viris diſcere vellent, ſcire autem non poſſent? O miſeram humani generis conditionem! o pœnitenda hominum vota, ſi ſapientiæ, quæ perfecta eſt atque accurata bonarum omnium artium comprehenſio, pulchritudinem ardentiſſimè concupiſcant, illam quærant, illam meditentur, ad illam maximo conatu anhelent, neque illam tamen unquam complectantur! Sin & nihil fruſtra molitur optima parens natura, & nulli penitus deeſt de reliquis omnibus animantibus, quominus fines adipiſcantur ſuos; quantò majori curâ proſpexiſſe homini reputanda eſt, ceterorum omnium animantium longè nobiliſſimo ac principi, quem unum ratione uti voluit, omniumque fecit capacem diſciplinarum? ut nempe, quemadmodum ſummam nobis ingeneravit percipiendæ veritatis cupiditatem, ita & nobis largiſſimè copioſiſſimèque ſubminiſtraret, unde optimarum omnium artium ſcientiam, quanta quidem homini ſatis eſset, obtineremus? At falsâ plerique exiſtimatione

deci-

decipiuntur: quibus quum inſtrumenta omnia a naturâ affatim ſuppetant ad omnem doctrinarum elegantiam; tamen otio ſuo & ingenio abutuntur; maluntque ingrati naturam reprehendere, quàm ſuam ipſorum ſegnitiem emendare. Quæ autem & quanta ſit humani ingenii facultas, & quid & quantum, ſi annititur, in univerſo illo liberalium omnium artium ſtudio eadem poſſit, docent ii clariſſimè, quos ſummis laudibus celebrandos duximus, viri veterum multò ſapientiſſimi: quos omni diſciplinarum genere ornatos inſtructoſque maximè fuiſſe accepimus. His verò dum Democritum accenſeo, nolim, cogitetis, Auditores, aliquem de grege philoſophum, qui cum majorum gentium philoſophis nullo modo ſit conferendus; ſed tantâ virum eruditione, ut Hippocrati ipſi Coo maximæ admirationi fuerit, &, quum plurimos tum diſcendi ardore, tum rerum omnium doctrinâ vicerit, nemini uni ſecundus videatur. Etenim præ ſapientiæ ſtudio, quo maximè incendebatur, ampliſſimas opes humanaque omnia contempſit; peregrinatuſque eſt in Perſidem ad Magos & Chaldæos; in Ægyptum ad Mathematicos; in Æthiopiam atque Indiam ad Gymnoſophiſtas; in omni autem ſapientiæ parte adeò profecit, ut quinque certaminum victori non abſimilis diceretur, quòd ea quinque doctrinarum genera, quibus univerſa veterum eruditio definita atque concluſa erat, probè tenuiſſet. Jam verò ſi optimas ipſas artes propriùs intuemur, &, quarum amore tantopere exardemus, proponimus eas ab oculos; mirum eſt, Auditores, quanta ſit earundem artium atque doctrinarum inter ſeſe connexio, quantus earum ordo, quàmque uno ex ſocietatis inter ſe vinculo coaleſcant. Nanque illud ego dicam, quod a Platone aſſertum in Epinomide, multò faciliorem, atque contractiorem, quàm vulgò ſuſpicantur, reddit curſum omnium diſciplinarum, miro quodam inter ſeſe conſenſu bonas cunctas artes ſapientiſque viri proprias concordare, & hanc liberalium doctrinarum in unum veluti conſpirationem facillimè intellectum iri, ſiquis vim rationis ejus, unde omnia alia pendent, & ordine quodam cognoſcuntur, antea exploraverit. Inde enim & Muſæ, quæ vel ipſæ ſunt liberales artes, vel artibus certè liberalibus præſident, viſæ ſunt quibuſdam ſic appellatæ, quaſi ὁμῶσαι, a nexu nimirum & conſociatione omnium inter ſeſe diſciplinarum: quo etiam ex nexu quaſi una

una viſa eſt eſſe rerum omnium ſcientia: cujus tamen, tum propter rerum ipſarum magnam varietatem, tum etiam propter diſcentium commoditatem atque facilitatem, facta ſit in plures artes atque diſciplinas partitio. Quòd ſi altiora hæc eſſe videntur, quàm ut infirmo adhuc adoleſcentium captui apta ſint atque accommodata (quanquam, ubi de toto doctrinarum orbe loquimur, nihil, niſi excelſum, atque a vulgari hominum ſenſu longè remotiſſimum, ſapiat, neceſſe eſt, oratio) tamen illud conſtat, non tantam, quantam aliqui volunt, inter omnes diſciplinas diverſitatem inveniri, quæ omnes ad veritatem totæ unam referuntur. Quid enim tandem ſpectant illæ ipſæ artes, quæ aliis omnibus majoribus artibus famulantur, & benè ornatèque loqui docent, numeriſque orationem conſtringere, ut majori, quàm fieri poſſit, concinnitate lenocinioque verborum, animi noſtri ſenſa expromamus, niſi veritatem? Quid unquam profitetur benè diſſerendi facultas, quam verbo Græco Dialecticam vocitamus, niſi veritatem? Quid unquam ſpeculantur Mathematicæ illæ diſciplinæ, quarum vaſtiſſimo quidem gyro & numeri & ſonorum vocumque modulatio, & artificiorum, quæ ad varios multipliceſque hominum uſus, tum delectationis, tum neceſſitatis cauſsâ, excogitata ſunt, exacta ratio, & cœli & terræ mundique totius dimenſio continentur, niſi veritatem? Quid etiam Phyſice in theatro hoc communi atque ampliſſimo naturæ, ubi varietas rerum infinita, admirabili ordine diſtincta, ſpectaculum ſui multò omnium pulcherrimum præbet, contemplatur, niſi veritatem? Eæ quoque diſciplinæ, quæ in agendo verſantur, quò primùm, veluti ad certiſſimam quandam atque tutiſſimam actionis cujuſcunque regulam, reſpiciunt, niſi ad veritatem? Veritatem Ethice, ut animum curet; veritatem Medicina, ut corpori ſalubritatem afferat; veritatem juriſprudentia, ut æqua civium jura conſervet; veritatem Politice, ut publico civitatis bono conſulat; veritatem Oeconomice, ut rem privatam atque familiarem bene adminiſtret; veritatem bonæ omnes artes, ut ſua ritè munera expleant, inquirunt. Fontem denique ipſum veritatis, hoc eſt, principem primamque, quæ a ſemet ipſa eſt, veritatem, ſummumque rerum omnium principium, & formas ab omni concretione materiæ quàm longiſſimè alienas, Theologia, quæ rerum eſt ſcientia divinarum, intuetur.

Ergo

Digitized by Google

Ergo quum una ſolaque veritas in omni doctrinarum ſtudio maximè quæratur, eamque mens hominis tantâ ſecum cognatione copulet atque devinciat, ut nihil, niſi verum, percipere penitus poſſit, nec, niſi in perſpicientiâ veri, beatitudinem ſuam aſſequatur; quænam illa eſt vana deſidiæque plena, ignavorum atque otio marceſcentium hominum expoſtulatio, quòd tantâ diſciplinarum in diverſa tendentium magnitudine ſimul ac varietate ingenium confundatur humanum ac propemodum obruatur? Non ita ſanè cenſuit ſummus dicendi magiſter, Romanæque juventutis optimus inſtitutor Fabius Quinctilianus: qui, quum oratorem, quem inſtituendum ſibi ſumpſerat, nullius ornamenti expertem eſſe oportere oſtendiſſet, primam quoque ætatem pluribus ſimul artibus imbuendam exornandamque eſſe exiſtimavit. Atque utinam tanti apud nos eſſet Quinctiliani auctoritas, ut pueri noſtri ea veluti temporum ſubſidia, quæ a Grammaticæ ſtudio ſuperſunt, erudito illi Geometriæ pulveri, aliiſque hujuſmodi amœnioribus ſtudiis donare docerentur! O longam illam ad diſcendum ætate, ſi non teſſeris, non nugis, non otioſis ſermonibus, non denique ſomno, inutiliter conteri, aut potiùs profundi, ſineretur! Eſt enim maximè docilis, & laboris patientiſſima, ingenioque fruitur tam facili, atque in omnem partem veloci, nullum ut periculum ſit, ne ſtudiorum onere, pluſquam opus ſit, fatigetur, ſed ut potiùs varietate ipsâ reficiatur, minuſque ſentiat, quàm ſi in uno ſemper labore perſeveraret, difficultatis. Quoniam verò ignavia noſtra facit, ut ingenium variis ſimul litterarum ſtudiis occupatum, diſtrahi aut obtundi, non perfici aut excoli, videatur; & reverâ humanæ mentis facultas, quantacunque illa ſit, finita eſt, ſuiſque terminis circumſcripta, non id ego certè oneris adoleſcentibus noſtris imponam, cui ſint ipſi ferendo impares, ut pluribus, & quàm diverſiſſimis diſciplinis eodem ſimul tempore ſufficiant. Satis erit, mihi credite, optimi adoleſcentes, non confusè, aus operâ quadam tumultuaria, ſtudia veſtra pertractare; ſed eum, quem incepiſtis, curſum doctrinarum certâ ratione moderari, ut a facilioribus ad difficiliora progreſſi, unâque quadam & perpetuâ ſtudiorum ſerie, unam poſt aliam diſciplinam adepti, elegantiſſimum illum doctrinarum omnium orbem conficiatis. Quemadmodum enim ſicui uno ſimul intuitu uni-

Digitized by Google

verſus hic mundus ſpectandus exhiberetur, obrueretur is planè innumerabili ferè atque incredibili rerum omnium multitudine, neque quanta, quàmque admirabilis ſit ac divina naturæ univerſæ pulchritudo, diſcerneret; ſi autem ad ſingulas partes, ex quibus tota mundi machina concreſcit, atque coàgmentatur, oculos cogitationemque converteret, ac veluti diſtribueret, ſimulque ſummum illum, quo ſuis quæque locis aptantur, ordinem diſtinctè atque particulatim conſideraret, ei quàm facillimè totum hoc univerſitatis corpus, rerumque omnium admiranda conſenſio pateſieret; ita ſanè confuſus ille atque permixtus veluti adſpectus omnium diſciplinarum, qui primò occurrere atque obverſari tironibus ſolet, ſuâ vos magnitudine deterret adhuc in limīne conſtitutos; ſed, ſi diligentiæ ordo accedit, &, quod cognoſci ſimul totum non poteſt, gradatim ac veluti per partes addiſcitur, brevi vos intellecturos planèque experturos polliceor, quàm artium magnitudines rectâ ſtudiorum partitione minuantur. Hìc ego quid prædicem, quàm non adeptu ſit longa ſapientia? quantum ad ſtudiorum omnium metam ſuppeditet vobis temporis? quanta ſit ingeniorum veſtrorum celeritas, quantumque acumen? quæ omnia ſi amplificare velim dicendo, & per ſe magna, verborum exaggeratione majora reddere, mea jam longiùs, tanquam in immenſo quodam campo, excurrat atque exultet oratio. Sed diſcentium imbecillitati danda hæc eſt venia, Auditores, ut, quæ in qualicunque illo liberaliſſimarum artium itinere properantes non parùm remorantur, quàm breviſſimè perſequamur. Nam, quod ad perfectam atque exactam rerum omnium cognitionem attinet, ea pleroſque cogitatio ſummam in deſperationem adduxit, quòd & Plato teſtatur in Amatoribus, & experientia cujuſque noſtrum quotidiana perſpicuè docet, ſemper aliquid eſſe, quod, quamdiu vivimus, diſcamus. Unde dictum illud Solonis, tantopere veteribus celebratum, ſenem ſeſe fieri quotidie aliquid addiſcentem. Narrant etiam, morientem Theophraſtum conqueſtum graviter de naturâ fuiſſe, quòd cervis & cornicibus vitam diuturnam, ſibi exiguam dediſſet. Neque ego ſanè, Auditores, tantum humano ingenio detulerim, ut cenſeam, fieri aliquando poſſe, ut homo unus omnia in qualibet penitus arte comprehendat. Quàm multa enim vel in ipsâ Grammaticâ (ut hinc facilè judicium

Digitized by Google

dicium de majoribus quibuſque diſciplinis fiat) non me modò fugiunt, qui tamen nunquam ab amœnioribus illis litteris abhorrui; ſed etiam viros longè doctiſſimos, atque in illo ſtudiorum Grammaticorum genere exercitatiſſimos! Eò ne tamen deprimenda vobis veſtra erunt ingenia, adoleſcentes, ut exiſtimetis, aut pluribus rebus diſcendis plures eſſe vitas dedicandas, aut unam duntaxat artem pertractandam ſemper eſſe, atque in uno vel leviori ſtudio cum deſidiosâ quadam voluptate ita conſeneſcendum, ut diſcentes vita deficiat? ipſa enim unius ejuſdemque artis perpetua tractatio ſemper aliquid gignet, quod inveſtigetis. Sin vos unius ſoliuſque artis delectatio non tenet, & aliæ ſunt non, opinor, indignæ, quæ a vobis percipiantur, nequid ego dicam, vos ipſi perſpicitis, quis vobis modus ſit in toto liberaliſſimorum ſtudiorum curſu adhibendus, ut non uſque ad ſenectutem in re aliquâ ſuperſtitiosè detineamini; ſed in qualibet liberaliori arte atque diſciplinâ non diutiùs immoremini, quàm ſobria cujuſque rei cognitio poſtulare videatur. Quis enim cum in aliis omnibus rebus, tum maximè in litterarum ſtudiis, modum non requirat, ubi non ſolùm ſine ullo doctrinæ detrimento; verùm etiam magnâ aliquando utilitate plurima ignorantur, quorum utique cognitione nihilò melior aut doctior evadas? Quare is mihi verè ſapiens, verèque doctus ac litteratus, non qui minuta quæque, immenſo quidem ſtudio ac labore, ſed tamen multò curioſiùs, quàm utiliùs, perſcrutetur; ſed qui honeſtiſſimæ cujuſque rei eâ ſcientiâ contentus ſit, quæ libero homini ſatis eſſe videatur; non qui vanè altercando atque pueriliter, in perplexis captioſiſque ſemper quæſtionibus occupetur; ſed qui breviori, quàm fieri poſſit, ſtudiorum ſuorum compendio, ad unam veritatem collineet; non qui, Tiberii Cæſaris more, ætatem ſuam in *fabellis* conquirendis miſerè conterat; ſed qui utiliſſima quæque atque fructuoſiſſima conſectetur; non qui novus librorum helluo, in iis omnibus libris lectitandis, ad quos, veluti quoſdam ſcopulos, tempeſtate delatus, adhæſerit, dies noctesque inſumat; ſed qui optimos, atque in quolibet doctrinarum genere præſtantiſſimos ſcriptores, vel ſuo, vel alieno judicio, ſeligat, recolat, attentè meditetur. Ille igitur, qui mihi ſit in univerſo diſciplinarum orbe verſatiſſimus, non inutili rerum diſcendarum multitudine mentem

obruet,

obruet; neque in quorumcunque vel ineptorum librorum farraginem ſeſe ingurgitabit; ſed exactâ in primis ſolidâque trium principum linguarum, Hebrææ, Græcæ, Latinæ, notitiâ ad omnem tum divinam, tum humanam eruditionem imbuetur; in parandâ eloquentiâ Demoſthenem, atque Iſocratem inter Græcos, Marcum Tullium & Fabium Quinctilianum inter Latinos, duces, atque auctores habebit; in Poëticâ, pro vario carminum genere, illos Poëtarum principes, Homerum & Virgilium; Pindarum & Horatium; Euripidem, Sophoclem & Senecam; Callimachum & tres Amorum Poëtas Latinos; Ariſtophanem & cum Plauto Terentium leget; in Philoſophiâ totum Platonem atque Ariſtotelem tenebit; in Mathematicis Euclidem, Ptolemæum, Apollonium illum Pergæum, atque Archimedem comprehendet; in juriſprudentiâ tum civilium, tum pontificiarum legum volumina diligentiſſimè atque accuratiſſimè diſcet; in medicinâ Hippocratem & Galenum; itemque ex noſtris Cornel. Celſum, & rerum arcanarum acerrimum curioſiſſimumque inveſtigatorem C. Plinium, aſſiduè pervolvet; in Theologiâ denique, præter ſedulam atque accuratam librorum divinorum lectionem, impreſſos penitus geret in animo atque in mente eruditiſſimos illos Religionis noſtræ interpretes, Origenem, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, & Thomam etiam illum Aquinatem, qui, vel ſequioribus temporibus, ordine quodam admirabili, mirâque brevitate, totius ſacræ doctrinæ ſummam, Chriſtianorumque omnium Patrum veriſſimas ſententias complexus eſt atque illuſtravit. Quibus omnibus addet Græcæ Romanæque hiſtoriæ, ex Herodoto potiſſimùm & Thucydide, Livioque ac Salluſtio, atque ex aliis melioribus ſcriptoribus, ut Diodoro Siculo, & Plutarcho, antiquitatis totius cognitionem. Neque etiam recentiores negliget, qui, poſt reſtitutas a barbarie litteras, & ingenii præſtantiâ & ſummâ rerum omnium eruditione, ad priſcorum prope laudes acceſſerunt. Quanquam eò libentiùs veteres, quàm recentes ſcriptores adnumeraverim, quòd a veteribus, veluti a fontibus rivi, omnem omnium doctrinarum copiam acceperimus; gratique animi ſit ac maximè ingenui, de iis bene mereri velle, qui primi omnium de humano genere optimè meruerunt. Sed tamen non ſe capi ſinet incautus, aut decipi a magnificis phalera-

tiſque

tiſque inſcriptionibus, quibus plerique ætate noſtrâ vani inſulſique ſcriptores ſordidas ſuas merces, ut fucum ementibus faciant, imperito vulgo oſtentant, libros, inquam, tam barbaros atque horridos, tam inconditos atque ridiculos, tamque ineptiarum plenos, ut, poſteaquam eos legeris, tam male tete operam in iis collocaſſe pœniteat. Nam quò quiſque ſcriptor doctior eſt atque ſapientior, eò quoque ſolet eſſe modeſtior, ſimplicioreſque magiſque perſpicuos libris ſuis titulos præfigere, ut veterum præſertim exempla teſtantur. Hæc omnia ille præſtabit vir doctus ac ſapiens, quem oratione jamdudum efformo: ſuperflua omnia atque inutilia ſtudia reſecabit; nunquam otioſum ſe eſſe patietur; ſed mercatores, avidiſſimum hominum genus, imitabitur, ut, ſicut ii, opum parandarum cauſsâ, non itinerum difficultate, neque navigationis periculo impediuntur, quominus domum, uxorem, liberos, relinquant, vitamque mari ſuam atque prædonibus committant; ita nullum pro adipiſcendâ ſapientiâ laborem ipſe refugiat aut reformidet. Quantum putatis temporis eum compendium in longiſſimo illo diſciplinarum curſu eſſe facturum? quàm cito eum ad ſapientiam, perfectamque rerum omnium doctrinam perventurum? Latiſſimè ætas noſtra patet, Auditores, atque ad omnem rerum omnium maximarum ſcientiam abunde nobis ſufficit: ſed eam nos ipſi imprudenter ac ſtultè contrahimus, dum, quibus in rebus minùs oportebat, ſtudia noſtra occupamus, atque, ut uno omnia verbo dicam, cum veteri Poëta, *exigua pars eſt vitæ, quam nos vivimus*: fruſtraque poſtea dolemus, tempus nobis ad litterarum ſtudia deficere, quum nos ipſi nobis ac tempori defecerimus. An non enim longiſſimam ad meliora ſtudia Græcorum illorum vitam crederes, quibus etiam vacabat curioſiùs in fabellas inquirere, & quot Ulyſſem remiges comitati fuiſſent, ſtudioſiùs perſcrutari? O magnos homines in nihil agendo occupatos! qui tamen perditi temporis culpam aut in naturæ noſtræ infirmitatem, aut in circumſtantia undique negotia, derivare conſueverunt. Tu verò, adoleſcens, rectè ætatem partire tuam, nec eo tempore apud Grammatiſtas importunè detineare, quo gravioribus tibi diſciplinis opera impendenda eſſet; ſed, quò breviorem diſcendi commoditatem breve adoleſcentiæ tempus pollicetur, eò tibi magis ad ſapientiam properan-

Digitized by Google

randum eſſe intellige. Non ego a te quidem certè Didymi labores exigam, quem ſanè hominem tam aſſiduum ac propemodum ferreum in ſcribendo fuiſſe ajunt, ut quatuor librorum millia (mirum dictu!) exaraverit. Imbecilliores ſunt fortaſſe vires tuæ, quàm ut dies noctibus, noctes diebus, ſine ullâ vel honeſtæ remiſſionis interruptione, in diſciplinis addiſcendis conjungas. Sed illud tamen exigo, ut diligentiâ, qua unâ virtute, ut bene Tullius ajebat, reliquæ continentur, vitæ brevitatem compenſes: exigo, ut nullâ male collocatâ diei parte, quàm longiſſimam adoleſcentiam efficias: exigo, ut tecum verſari ipſe ſcias, &, ſi ſocietatem amas, ſtudiorum tuorum comites, ſeu potiùs duces, viros totius antiquitatis doctiſſimos nanciſcare, qui te rectâ ad ſapientiam perducant: exigo denique, ut tempore uti diſcas, & vivere. Quod ſi, ſedatis perturbationibus animi, diligenter didiceris; tum demum apparebit, quàm in longâ vitâ brevis tibi ſit liberalium omnium artium, atque doctrinarum curſus futurus. Nunc verò, ſi vos, adoleſcentes, maximè commovent exempla, quibus ad animos quamcunque in partem pertrahendos atque impellendos nullum fortius validiuſque argumentum inveniri unquam poteſt, ſuperiorem omnium temporum jam inde ab ultimâ vetuſtate memoriam vobiſcum ipſi percurrite; & non eos modò, quos ita hactenus laudavimus, ut multò omni laude majores viderentur; ſed & longè plures invenietis, qui, quum ab omnibus artibus liberalibus atque diſciplinis inſtructiſſimi fuerint, pleniſſimè inde clariſſimèque oſtenderunt, ad omnem nos rerum omnium ſcientiam adſpirare poſſe, eorum ſi exempla ſectemur. Quid enim dicam de Eratoſthene, quid de ceteris, quos a quincuplici, hoc eſt, ab univerſæ doctrinæ atque eruditionis genere, quo plurimum præſtiterunt, translato eleganter a quinque certaminum victoribus vocabulo, quinquertiones appellarunt? Nam, quod ad Theophraſtum quidem, quem diximus, attinet, illa ipſa ejus, cum moreretur, de brevitate vitæ querela, ſatis demonſtrat, omnes eum artes ingenuas perfectè calluiſſe, quippe qui ſeſe tum, cum, quæ ignorabat, videre cœpiſſet, extingui quereretur: quanquam nimium illud hominis omnium artium perficiendarum ſtudium faceret, ut, qui in omni doctrinâ erat maximè eruditus, tamen ipſe ſibi minimùm ſcire videretur.

Sed,

Digitized by Google

Sed, quemadmodum ſummis illis & ſapientiſſimis viris pulcherrimum fuit ad omnem eruditionem præire, ita etiam atque etiam videte, adoleſcentes, ne turpiſſimum vobis ſit, minimè illos ſubſequi, quorum pleriſque eadem, quæ vobis maxima ſuppetunt, diſcendi ſubſidia defuerunt. Neſcio quem enim veluti ſtuporem in aliquorum vultu legere mihi videor, quos ad honeſtiſſimam maximè æmulationem excitari oportuerat, ut, quam in aliis amabant atque ſuſpiciebant, doctrinam, aſſequi ipſi pro viribus conarentur. At enim adoleſcentium noſtrorum ingenia tardiora longè eſſe videntur, quàm ut cum maximis illis atque perſpicaciſſimis ætatum omnium, totiuſque antiquitatis ingeniis comparari ullo modo poſſint. Verum, ut ſummorum illorum hominum, quos in omnibus diſciplinis perfectiſſimos fuiſſe conſtat, laudibus nihil detrahendum putem; quam tamen ingenii tarditatem non vincit amor veritatis, vigilantia, aſſiduitas, labor, atque, ut uno omnia verbo complectamur, diligentia? Modico vir ingenio fuit Ephorus, in quo ſe calcaribus uti ſolere, ſicuti contra frenis in Theopompo, eloquentiſſimus ille Græcorum rhetorum orator, Iſocrates dictitabat. Quàm boni tamen ſcriptoris Ephorus partes omnes implevit? Tardiſſimo ingenio fuit Cleanthes, quem aſello Timon meritò comparavit. Quàm egregius tamen Philoſophus Cleanthes evaſit, qui Stoicorum principi Zenoni tam ſedulò adhæſiſſe fertur, ut, quæ ab illo audierat, teſtæ oſſibuſque inſcribere, chartarum inopiâ, ſoleret, neque indignus, qui tanto philoſopho ſuccederet, unus e multis judicaretur? Mediocri etiam fuit ingenio Cornelius Celſus. Quàm multa tamen Celſus de omnibus ferè artibus conſcripſit, itaque doctè atque eruditè, ut omnia illa ſciviſſe viſus fuerit? Vos appello, recentis etiam memoriæ viri doctiſſimi, atque eruditiſſimi, & de Latinis Græciſque litteris reſtitutis optimè meriti: quorum tamen nonnullos in rebus primùm percipiendis tardiori obtuſiorique ingenio fuiſſe accepimus, diligentiâque ſuâ feciſſe, ut, quæ in doctrinis reconditiora atque abſtruſiora erant, in veritatis lucem proferrentur. Abſit tamen, quàm longiſſimè abſit, Auditores, ut hanc genti Etruſcæ injuriam irrogari imprudenter patiar, ut aut adoleſcentes noſtri ſummam rerum omnium maximarum ſcientiam deſperare jubeantur, aut Etruſcorum

Digitized by Google

rum certè hominum ingenia tarditatis a quoquam inſimulentur. Quæ verò ulla tam exculta humanioribuſque omnibus artibus perpolita natio de ingeniorum acumine atque felicitate cum Etruſcis hominibus contendat? quum paucos, & qui digito moſtrentur, alibi locorum doctiſſimos viros enumeres; hîc verò in Etruriâ, hîc præſertim Piſis, in hac ſede, in hoc muſarum domicilio, tanta nunc ſit, ſemperque antea fuerit maximorum ingeniorum ubertas, ut huc Athenæ commigraſſe tandem videantur. Agite igitur, adoleſcentes ornatiſſimi, pudeat vos a majorum veſtrorum gloriâ unquam deflectere, atque degenerare; pudeat, quam doctrinæ vobis atque ſapientiæ laudem Patres veſtri tradiderunt, non adæquare; pudeat Etruſco vos nomine cenſeri, & Etruſcorum doctrinæ minimè reſpondere. Quid igitur vos a ſummâ diſciplinarum omnium ſcientiâ retardat unquam ac remoratur? Patrium nomen vobiſcum ipſi perpendite, & cogitate, quàm pacato otio, quantâque tum ceterarum rerum, tum optimorum ſtudiorum commoditate, frui hîc Piſis vobis liceat ad univerſum hunc doctrinarum orbem brevi percurrendum. Univerſas has doctrinas ſpectate, ad has rectis ſtudiis contendite, quarum mirâ atque incredibili ſuavitate labores in diſcendo veſtri levabuntur. Quod meum fuit, hoc pro viribus exſecutus ſum, ut videtis, ut, quibus poſſem argumentis, ad ſapientiæ vos ac litterarum ſtudia excitarem: facilis vobis ac brevis, reliquus erit omnium doctrinarum curſus, ſi id ipſum vobis perſuaderi patiamini.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO QUINTA.

De optimorum ſtudiorum aſſiduitate.

QUANQUAM, quæ in tantâ tractandorum argumentorum copiâ multò utiliora, & ad diei hujus celebritatem, atque ad litteras promovendas opportuniora, viſa mihi ſemper ſunt, ea, quàm potui, diligentiſſimè, ſum ego quotannis in his litterarum ſtudiis auſpicandis oratione meâ perſecutus; tamen fateor, tali ac tanto conatu meo id, quod mihi jam inde ab initio ſuſcepti muneris propoſueram, me nondum explevisse. Propoſueram mihi, Auditores, ſummum in doctrinâ virum informare, & quam doctrinæ atque eloquentiæ formam omni ex parte perfectam atque abſolutam animo meo conceperam, ſpectandam adoleſcentibus exhibere, cujus ipſi pulchritudine ad omne doctrinarum genus allicerentur. Neque verò inde aliud expectari poſſe videbatur, quàm quod unuſquiſque ſibi veſtrum certiſſimè pollicitus fuerat, ſummo ingenio adoleſcentes, ſapientiæque amore mirificè ſuccenſos, altiſſimum doctrinæ atque ſapientiæ gradum eſſe aſſecuturos: cum ecce vobis, ſtulta quædam ac falſa, quam plerique ſibi adoleſcentes importunè induerunt, ſummæ doctrinæ ac ſcientiæ ſuæ perſuaſio de medio eos doctrinarum curſu, pernicioſiſſimo ſanè ac maximo errore, revocavit. Neque enim ulla alia bonis litteris atque doctrinis tam deteſtabilis peſtis eſt, quàm putare, ad ſummam te ante doctrinam perveniſſe, quàm perveneris. Teterrimam hanc ingeniorum peſtem ut ab adoleſcentium noſtrorum animis longiſſimè depellam, muneris mei eſſe duxi, hodierno die, in hac tantâ doctiſſimorum hominum frequentiâ, breviter demonſtrare, quò quiſque doctior eſt, atque eruditior, eò majori ſtudio in omnem ei doctrinam atque eruditionem eſſe incumbendum. Quod in me eſt, conabor equidem nihil dicere, quod non dignum loci hujus amplitudine, atque adoleſcentium noſtrorum ſtudiis eſſe videatur.

Ac profecto agitur hic, Auditores, de ſummâ totius eruditionis atque doctrinæ. Ceteri veluti gradus ſunt, quibus ad ſummam rerum omnium ſcientiam adſcendimus: hic apex, hoc culmen, hoc faſtigium eſt, non certè quidem ſpectare, quid & quantum quiſque in doctrinis profecerit; ſed quid & quantum ſit ſibi adhuc ad ſummam perfectamque doctrinam proficiendum. Unde verò exiſtimetis, viros, mortalium omnium judicio, & totius antiquitatis mirificâ conſenſione, longè ſapientiſſimos, tantos in doctrinis progreſſus facere potuiſſe, ut nihil non ſcire viderentur, niſi ex eo quia ſibi ii certò perſuaſerant, ſeſe minimùm ac nihil ferè ſcire? Inde enim maximè movebantur, ut multarum, magnarumque rerum ſcientiam, quam ſibi deeſſe perſpiciebant, multò laborioſiùs atque diligentiùs perquirerent. Unde enim Chryſippus, non ipſe modò totam vitam ſuam in bonarum artium, ac præſertim in Dialecticæ ſtudia accuratiſſimè impendit; ſed, quum de liberis educandis optima præcepta conſcriberet, nullum etiam vel infantilis ætatis tempus vacuum a litterarum curâ eſſe permiſit, niſi ex eo quia abjiciendæ rerum ignorantiæ totum vivendi ſpatium minimè ſatis eſſe judicavit? Unde illa etiam non Hippocratis modò & Theophraſti; ſed etiam totius generis humani de brevitate humanæ vitæ querela, niſi ex eo quòd multa adhuc mortales, cum vita eos deficit, ignorant? Unde illa quoque Ariſtotelis, ſummi & ſapientiſſimi viri, in veteres philoſophos accuſatio, qui philoſophiam ſuis ingeniis perfectam crediaiſſent, quos quidem philoſophos Ariſtoteles aut ſtultiſſimos aut glorioſiſſimos fuiſſe ait, niſi ex eo quia multò illi plura de philoſophiâ neſciverant, quàm didiciſſent? Quanquam nihilò iis, hac certè in parte, ſeu prudentior, ſeu modeſtior, cenſeri ipſe debet Ariſtoteles, qui, quòd paucis annis magnam philoſophiæ acceſſionem factam videret, brevi eam tempore planè abſolutam fore exiſtimaverit. Quaſi verò, poſteaquam multa perſpecta, atque cognita fuerunt, non multò etiam plura cognoſcenda adhuc ſupereſſent. id, quod res ipſa, jam inde ab Ariſtotelis, & ſuperioribus etiam Ariſtotele temporibus, abunde teſtata eſt, hodieque teſtatur, &, quod ego certiſſimus vobis vates futurum prædico, quoadusque philoſophiæ ac litterarum ſtudia vigebunt, in ſeculorum omnium poſteritatem teſtabitur: optimum nimirum & doctiſſimum quemque

phi-

Digitized by Google

philoſophum plurima adhuc ignorare, multaque & magna, quæ ipſe prorſus neſciat, per totam quotidie vitam addiſcere. Quis enim ante Ariſtotelem perfectior in doctrinâ Democrito, quem ita in philoſophiâ verſatum fuiſſe ajunt, ut & Phyſica, & Ethica & Mathematica, & diſciplinarum humanitatis orbem, arteſque univerſas tenuerit? Et tamen Ariſtoteles negat, ullum prorſus ſuperioris memoriæ philoſophum philoſophiam numeris ſuis abſoluiſſe. Quis paullò ante Ariſtotelis tempora, atque ipſis etiam Ariſtotelis temporibus, Platone, philoſopho planè divino, rerum omnium ſcientior, qui diſciplinis omnibus Athenienſium mirè eruditus, in Italiam ad Pythagoricos, in Ægyptum ad Sacerdotes, ſapientiæ addiſcendæ cauſsâ, navigavit? Quis ipſo Ariſtotele? quis, poſt Ariſtotelem, Theophraſto? quis ceteris, qui in ſcholam Peripateticam ſucceſſerunt, viris doctiſſimis atque ſapientiſſimis, certè quidem in iis, quæ ad ſapientiam pertinerent, verſatior atque eruditior? Quid Peripateticos dico? quum principes ceterarum omnium ſectarum philoſophi, quum aſtrologi atque mathematici, quum medici atque juriſconſulti, quum ii etiam, qui res ſeſe divinas interpretari profitentur, theologi, nervos omnes ingenii, longiſſimo temporum ſpatio, in eo unicè contenderint, ut reconditiora quæque atque abſtruſiora in medium exponerent, atque explicarent, ſummis his & perfectiſſimis viris quis omni doctrinâ rerumque maximarum notitiâ excultior? Qui tamen omnes, tantum abfuit, ut vigiliis ac laboribus ſuis ſummam atque perfectam omnium rerum, tum divinarum, tum humanarum, cauſſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientiam, quam ipſam volunt eſſe ſapientiam, aſſequerentur, ut ne ipſe quidem ſapientiæ ac ſcientiæ princeps Ariſtoteles rem non magni admodum momenti, ſed curioſioris ſubtilioriſque inquiſitionis, Euripi illius Chalcidici naturam ullo unquam ſtudio explorare atque expiſcari potuerit. Neque verò eſt negandum, Auditores, quod res ipſa palam loquitur, multa viros illos ſapientiſſimos præclarè excogitaſſe atque detexiſse, quæ occulta antea, atque in quibuſdam veluti ignorantiæ tenebris abdita fuiſsent. Sed ut multa illi inveſtigaverint, eruerint, cognoverint, quàm multa etiam eos fugerunt! quàm multa etiam in cœlo & in terris, & in omnibus libera-

raliſſimis artibus atque diſciplinis iis penitus latuerunt, quæ alii poſt alios aſſiduo ſtudio ac labore potuerunt tandem deprehendere! Satis vos hinc intelligitis, Auditores, in hac tantâ obſcuritate atque ignoratione rerum, quantum docto cuique viro ad ſummam rerum omnium ſcientiam enitendum ſit, præſertim ſi ipſe eſt a doctrinâ atque eruditione inſtructior. Nam quò quiſque doctior eſt atque ſapientior, eò etiam plura atque majora agnoſcit ſeſe ac videt neſcire. O magnos illos & ſapientes viros, quibus magna quædam ſcientia, atque adeo pars prima ſapientiæ viſa eſt, ſcire, ſeſe minimè omnium eſſe eruditos! O Socratem! o viros illos ſapientiſſimos, qui hoc unum ſeſe ſcire, apertiſſimè profeſſi ſunt, ſe nihil ſcire! An verò, quum optimæ omnes artes honeſtiſſimæque diſciplinæ ita inter ſeſe connexæ ſint atque conſociatæ, ut, qui unam habet, alias ſibi ad veram ſolidamque ſapientiam adjungat, neceſſe ſit; quò quiſque unâ aliquâ diſciplinâ eruditior atque exercitatior fuerit, non idem ipſe planè videat atque intelligat, eò etiam plura atque majora ad perfectam & conſummatam ejus diſciplinæ cognitionem ex ceteris omnibus diſciplinis adjumenta ſibi ſcientiæ eſſe penitus comparanda? Applicat ſeſe quis ad Theologiam, quæ ex altiſſimis diviniſque omnino principiis ſumma eſt ſcientia rerum divinarum? quàm magnam, & quàm infinitam, & quàm multarum ac magnarum rerum ſcientiam poſtulat Theologia, cujus quidem eſt ſummum atque acerrimum in res omnes atque diſciplinas humanas judicium exercere! Theologiæ enim eſt, ea omnia, quæ, ſeu voce, ſeu ſcripto, divinitus nobis tradita ſunt, atque ex afflatu divino veluti per manus ad nos tranſmiſſa, rectè intelligere atque explicare. Theologiæ, vim illam ſummæ auctoritatis, quæ in Senatu Chriſtiano, Senatuſque Chriſtiani principe, Pontifice Maximo, divinitus reſidet, perfectè tenere. Theologiæ, rectum atque legitimum Chriſtianorum Patrum atque magiſtrorum uſum percipere. Theologiæ, rationem ipſam humanam atque philoſophiam ſibi in ſubſidium adſciſcere. Theologiæ denique, hiſtoriam rerum geſtarum, tum ab orbe condito, ortuque generis humani, tum maximè a Chriſto nato uſque ad noſtra hæc tempora, perſpectam atque cognitam habere. Hæc omnia ſunt Theologiæ. Studet quis Philoſophiæ? quàm operoſa res

Digitized by Google

res eſt, quantique ſtudii ac laboris, & quot res ac quantas complectitur Philoſophia, quæ non res modò humanas, ſed etiam divinas, quantum quidem per humanam imbecillitatem licet, ſuas per cauſſas contemplatur! Unde enim, niſi ex ſtudii hujus magnitudine atque difficultate, Ariſtoteles, vir talis ac tantus, Platonem, talem virum ac tantum, viginti integros annos in Philoſophiâ audivit? Operam dat quis Medicinæ? Non tam quidem laborioſa, neque tam operoſa Medicina, quàm Philoſophia; ſed tamen quanti & ipſa, & quàm operoſi laboris! quum optimus quiſque medicus, idem ſit & philoſophus, quod oſtendit Galenus, nec benè callere poſſit medicinam, niſi qui & Arithmeticen, & Geometricen, & Aſtrologiam cognoverit. Jus quis civile conſectatur? quanta porro cognitio illa juris civilis, & quàm diffuſa, quæ eſt cognitio ipſius æquitatis! quum vel unus XII. Tabularum libellus, de graviſſimâ Craſſi apud M. Tullium ſententiâ, bibliothecas omnium philoſophorum & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare videatur. Quàm multa enim e Philoſophiâ, quàm multa ex hiſtoriâ gentiumque omnium conſuetudine, quàm multa ex Ethice ac Politice, itemque Oeconomice, ceteriſque omnibus diſciplinis, oportet, is hauriat, qui boni & æqui notitiam profitetur! Quid reliquas diſciplinas arteſque liberaliſſimas commemorem? quas quò quis interiùs inſpexerit, eò alia plura ac majora ſcitu ſibi eſſe neceſſaria fateatur. Quid commemorem Dialecticam, cujus certè eſt rationem per omnes artes atque diſciplinas ad veritatem dirigere, eamque in diſſerendo, veriſque ac falſis dijudicandis moderari? Quò enim non pertinet Dialectica, cujus quidem eſt quacunque de re in utramque partem diſputare? adeo ut Dialecticæ prorſus ſit quæcunque recta eſſe videtur & Theologiæ, & Philoſophiæ, & Medicinæ, & Juriſprudentiæ ratiocinatio. Quid dicam de Mathematicis diſciplinis? quid de Geometriâ? quid de Arithmeticâ? quid de Aſtrologiâ? Quid enim Geometriâ atque Arithmeticâ non ad Philoſophiam modò; ſed etiam ad Aſtrologiam intelligendam magis neceſſarium, quibus quaſi alis, quod ajebat Plato, evolare mens hominis e terris ad cœlum videtur? Age verò, quale & quantum eſt ſtudium illud Aſtrologiæ, quàm multis difficultatibus, & quàm magnis, intricatum, quàm multa illud

Digitized by Google

illud & quàm magna ab aliis diſciplinis ſubſidia, præſertim a Phyſice, atque Optice, mutuatur! Quid huc afferam τὰ μετὰ φυσικά, quorum tanta eſt cum aſtronomicis illis conjunctio, atque conſociatio, ut viri longè ſapientiſſimi ex vario eoque conſtantiſſimo orbium cœleſtium motu numerum atque naturam intelligentiarum, certo quodam firmoque argumento, collegerint. Percurrite hîc, Auditores, univerſum illum diſciplinarum artiumque liberaliſſimarum orbem, oppidò ampliſſimum, multòque pulcherrimum, in quo diſcendi quiſque ſtudioſus ſeſe ad doctrinam & eruditionem exerceat. Semper enim una doctrina aliam deſiderabit, aliaque ex aliâ efficietur. Ipſa illa, quæ minora atque tenuiora in eruditionis negotio eſſe videntur, quantum, Deus bone, habent laboris atque difficultatis, & quid & quantum ſcientiæ ſibi atque eruditionis depoſcunt, ut quis in iis cum aliquâ ingenii ac doctrinæ laude verſetur! Quid enim planius ac facilius hiſtoriâ? Quid hiſtoriâ laborioſius atque difficilius? quæ & Geographiæ & Chronologiæ & Aſtrologiæ ſcientiam exquiſitiorem atque excellentiorem requirit. Quid dulcius atque jucundius Poëſi? Quid Poëſi operoſius atque eruditius? quæ, fictis ad delectationem fabulis, aptatiſque ad aures mulcendas carminibus, prima quædam viſa eſt naturæ ac morum philoſophia. Nam & quàm magnâ rerum cognitione ac ſcientiâ Poëtas excellere neceſſe ſit, inde etiam intelligi poteſt, quòd ἀείδειν, quaſi valde intelligere, appoſito ad rem exprimendam vocabulo, idem omnino Græcis valeat, ac canere, id, quod eſt proprium Poetarum. Quid tenuius atque jejunius Grammaticâ? Quid etiam Grammaticâ majus atque uberius? quæ ceterarum omnium præſtantiſſimarum artium atque diſciplinarum ſcientiam ſuo ſibi jure vindicat, & per omne ſcriptorum genus, per hiſtoricos, per poëtas, per oratores, per philoſophos, atque adeo theologos, latiſſimè longiſſimèque pervagatur. Nam ſi Grammatici eſt, non poëtas modò, ſed etiam reliquos omnes ſcriptores, intelligere atque enarrare, cujus unquam generis eruditionis expers eſſe poſſit Grammaticus, qui nec ſine muſice metrorum, ac rhythmorum rationem explanet, nec ſine ſiderum ſcientiâ poetas intelligat, nec ſine philoſophiâ Lucretium interpretetur, nec ſine exactâ maximarum quarumque rerum cognitione de ſcriptoribus judicet, nec ſine ſummo judicio & multarum rerum peritiâ genui-

nos

Digitized by Google

nos veterum libros a falſis atque adulterinis diſcernat. Multa hic ſanè pervideat, oportet, Auditores, quæ perſpicere nullo modo poteſt, qui non ita ſit in rebus grammaticis exercitatus. Nec enim cujuſque eſt, Patavinitatem in Livio deprehendere; ſed Aſinii Pollionis. hoc eſt, hominis multò doctioris atque eruditioris, qui mentis quidem ſuæ acie eò penetret, quò nequeunt alii minùs eruditi minùſque peſpicaces; ſed & idem ipſe, quò plura ſcit atque comprehendit, eò etiam plura atque majora, ſemet ignorare ſentiat. An verò, quum, veteri eoque optimo inſtituto, jam inde a teneris lectionem nobis a ſummis Poetis, ab Homero & Virgilio, ſummi ac ſapientiſſimi magiſtri exordiendam eſſe præceperint, putatis ne, ſimul ac principes illos Poëtas legere primùm quis incipit, divitias Græcæ Latinæque ſapientiæ univerſas ſeſe ei in ſinum veluti ſponte effundere, &, quæ ex intimis Philoſophiæ fontibus uterque Poëta uberrimè atque copioſiſſimè hauſit, ſeſe ei in conſpectum dare? Minimè prorſus, Auditores. Immo verò cum quis primum Homerum ac Virgilium legit, miram ille quidem ex fabulis voluptatem percipit, animoque etiam ad heroici carminis altitudinem atque ſublimitatem aſſurgit, ſpiritumque item ex rerum magnitudine virilem ducit, & optimis quibuſque imbuitur; ſed interiores illas atque reconditiores ſapientiæ opes, quæ ſub externo fabularum ac verborum cortice deliteſcunt, minimè omnium contemplatur. Has relegendo paullatim intelligit, ita ut, quò doctior ſit atque eruditior, eò majores amplioreſque in utroque Poëtâ ſapientiæ atque doctrinæ divitias, quas antea non viderat, ratione atque intelligentiâ comprehendat. Quod & in arte oratoriâ, & in qualibet liberâliſſimâ diſciplinâ ita fere uſuvenit, ut, quò quis in eâ eſt eruditior, plura ſibi adhuc, quàm ceteri, qui non eò eruditionis pervenerunt, addiſcenda eſſe perſpiciat. Atque hìc Marcum Tullium, quem aliàs ſæpiùs, nunc etiam appello, ſummum & oratorem & philoſophum: in quem unum virum cunctas ſuas beatas copias ſapientia atque eloquentia effudiſſe ſimul videntur. qui, quanvis non eas omnes artes, atque diſciplinas, quibus egregiè inſtructus in forum proceſſit, ſemper in dicendo adhibuerit; tamen ubique, vel in minimis quibuſque rebus, veluti in quadam umbrâ & imagine ſui, ſemet ipſe indicat, qualis vir & quantus extiterit, quàmque

in

in omni litteraturâ, in Geometriâ, in Aſtrologiâ, in reliquis Mathematicis, in Dialecticâ, Phyſicâ, Juriſprudentiâ, Ethicâ, in ceteris omnibus diſciplinis, atque in omni Philoſophiâ, excelluerit. Quis enim Tullio in hiſtoricorum poëtarumque lectione verſatior? in regionum locorumque deſcriptione accuratior? in argumentando acutior? in naturæ cauſſis perveſtigandis perſpicacior? in civili vitâ prudentior? in bonis ſuadendis utilior? in omni philoſophiæ parte ſapientior? in omnibus quacunque de re diſputationibus copioſior? Tullium igitur cum appello, teſtem appello locupletiſſimum atque graviſſimum: qui, quum ab ineunte ætate ad omnem ſeſe eruditionem paraviſſet, animumque ſuum omni doctrinâ, omnibuſque ſapientiæ ſtudiis excoluiſſet, doctuſque in forum, non docendus veniſſet, artemque dicendi ad ſummum faſtigium evexiſſet, omneſque Græcorum virtutes, vim Demoſthenis, ſuavitatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiæ, copiam Platonis, Ariſtotelis acumen, complexus in ſemet unus mirificè fuiſſet; tamen, quòd multùm ſeſe & longè adhuc a perfectâ ſapientiâ atque eloquentiâ abeſſe animadverteret, aliorum ſeſe diſciplinæ totâ Aſiâ atque Græciâ de novo erudiendum, ac veluti recoquendum, tantus & philoſophus & orator, tradere non dubitavit. Quod ſi ita eſt, ut certè eſt, ſi, qui multò plus ſciunt, quàm ceteri omnes, ii etiam multò plus, quàm ceteri omnes, ſe neſcire intelligunt, quis non fateatur, Auditores, quod dictu admirabile quidem videtur; ſed tamen veriſſimum eſt, quò quis magis in doctrinis profecit, eò ſibi eſſe magis in doctrinas incumbendum? Accedit, Auditores, quòd quò quis doctior eſt boniſque litteris excultior, eò etiam ab illo plura multòque majora meritò requiruntur. Magnam enim verò perſonam ſuſtinet is, qui doctrinam atque eruditionem profitetur. Eſt enim veluti commune quoddam oraculum non civitatis modò ſuæ; ſed etiam totius terrarum orbis, quod ſtudioſi ubique eruditionis curioſique etiam homines de rebus graviſſimis atque maximis, omniumque difficillimis, quæ doctrinarum & humanitatis ſtudiis maximè continentur, addiſcendi cauſsâ, conſulant. Quid homini huic ignorare jam licet, quem reliqui de vulgo homines, ut de Longino illo rhetore ferunt, veluti vivam quandam bibliothecam, & muſeum, ut ita dicam, ambulatorium, reſpe-

Digitized by Google

reſpectent, quem præ ſapientiâ atque eruditione ſingulari planèque eximiâ, ſuſpiciant atque admirentur, qui de interioribus & reconditis quibuſque doctrinis interrogatus, debeat cuique hominum ſatisfacere? Quàm diligenter, quàm accuratè, quàm longo perpetuoque ſtudio huic homini providendum eſt, Auditores, ſuæ ut exiſtimationi conſulat, ut nequid turpiter ignoret, quod ad tuendum doctrinæ atque eruditionis munus conducere quodammodo ac pertinere videatur. Ferunt, olim Themiſtoclem, quòd in epulis lyram recuſaſſet, indoctiorem habitum fuiſſe. Dicitur etiam Socrates, quòd tribus ſuæ ſuffragia numerare ex receptâ conſuetudine neſciviſſet, ridiculum ſeſe in concione præbuiſſe. Ergo, ſi ſummis illis & ſapientiſſimis viris, tametſi omni alio eruditionis genere ornatiſſimis, tamen dedecori fuit, aliquid neſcire, quod extra ſapientiæ ſtudia poſitum iis videretur, nec doctrinâ ſatis exculti iidem ſunt habiti; quantò turpius atque ignominioſius fuerit homini, qui doctrinæ atque eruditionis munus ſuſceperit, in eo, quod profeſſionis ſuæ eſt, rudem ſeſe atque imperitum confiteri? qualem rhetorem illum memorat Fabius, qui, quid eſſet *χῆμα* & *νόημα*, interrogatus, neſcire ſeſe reſpondit. Non eſt quidem turpe, Auditores, hominem de trivio, ea, quæ oratoriæ ſunt artis, penitus ignorare. At ea neſcire rhetorem, quid turpius? Non turpe eſt, rhetorem cauſſarum naturalium præceptorumque benè vivendi ignarum ſeſe atque imperitum dicere. At ignarum ſeſe atque imperitum philoſophum dicere, quid turpius? Non turpe eſt, philoſophum de arcanis iis divinitatis, quæ ſupra univerſum ordinem naturæ, atque adeo ultra certos ac conſtitutos intelligentiæ noſtræ fines longiſſimè altiſſimèque poſita ſunt atque collocata, nolle quomodocunque diſſerere ac diſputare. At de arcanis divinitatis ſive ad defendendum, ſive ad explicandum, diſputare nolle theologum, quid turpius? Non turpe denique eſt, alienum a ſapientiæ ſtudiis hominem in plurimarum & maximarum rerum ignoratione verſari. At in hac maximarum rerum ignoratione verſari ſtudioſum hominem ſapientiæ, quid turpius? Ergo, quum multò turpiſſimum ſit, hominem, qui omne doctrinarum genus profitetur, genus aliquod doctrinarum minimè tenere, quis non videat, quò quis doctior eſt, atque in orbe diſciplinarum omnium

Digitized by Google

verſatior, eò magis magiſque laborandum ei eſſe, ut, quam eruditionis atque ſcientiæ partem habet, in dies augeat atque perficiat? nimirum ut ad ſermonis elegantiam majorem ſemper rerum ſcientiam adjungat, ut Latinorum Græcorumque ſcriptorum notitiam multò ſemper exactiorem adipiſcatur, ut hiſtoriæ non civilis modò ad uſum Politices; ſed etiam ſacræ ad uſum Theologiæ, cognitionem multò ſibi accuratiorem comparet, ut hiſtoriam quoque ſuæ gentis ſuorumque temporum ad variam multiplicemque eruditionem multò curioſiùs atque exquiſitiùs teneat, ut & Poëtices, & Rhetorices, & Dialecticæ, & Coſmographiæ, & Chronologiæ ſtudia diligentiùs in dies perſequatur, ut multò ſeſe, quàm antea, laborioſiùs in Geometriâ, & Aſtrologiâ, reliquiſque Mathematicis diſciplinis exerceat, ut operam multò frequentiorem, atque aſſiduiorem det juri civili, det rebus medicis, det Philoſophiæ, det Theologiæ, ut ſemper de novo ad litterarum ſtudia aggreſſus eſſe videatur. Neque verò doctrina vobis deſpondenda eſt, optimi adoleſcentes, eâ ipsá re, quæ vos maximè ad ſummam doctrinam acuere atque excitare debet, eo quia nimirum, quò quis plus in doctrinæ atque eruditionis ſtudiis proficit, eò etiam plus laboris atque diligentiæ huic homini adhibendum eſt, ut doctior in dies atque eruditior evadat: perinde quaſi nullâ unquam ratione fieri poſſit, ut ad ſummam atque abſolutam rerum omnium maximarum ſcientiam idem ipſe aliquando perveniat. Quid? Putatis ne, boni adoleſcentes, laboribus his veſtris, veſtráque hac incredibili induſtriâ fieri unquam poſse, quod ingenii humani imbecillitas in tantâ hac vitæ noſtræ ac rerum caligine minimè omnium patitur, ut, quæ nemini cuiquam vel ſapientiſſimornm ac doctiſſimorum virorum poſt hominum memoriam obtigit, ſumma perfectiſſimaque rerum omnium eruditio, hæc vobis tandem contingat, cui nihil unquam adjici poſſit? Sed, etſi ita gignitur diſcendo eruditio, ut ſemper aliquid addiſcendum ſuperſit, num ideo nobis animus in comparandâ doctrinâ abjiciendus, & non potiùs difficultati ipſi inſurgendum, illudque pugnandum, & enitendum, ut, ſi non ſummam omnique ex parte perfectam, certè, quàm poſſumus, maximam rerum omnium ſcientiam acquiramus? Quid nobis, Auditores, ſtudiisque noſtris factum fuiſſet, ſi, qui do-

doctrinarum nobis facem prætulerunt, ita animati fuiſsent, ut, quia de perfectiſſimâ omnium rerum ſcientiâ deſperandum cuique hominum erat, non multò, quàm antea, accuratiùs atque diligentiùs ad artes liberaliſſimas ornandas atque perficiendas laborandum ſibi exiſtimaſsent? Neque enim eæ artes tam perfectæ, quàm nunc ſunt, ad nos perveniſsent, neque tam multa, eaque tam præclára, quæ ſuperiori memoriâ in quodam veluti profundo delituerant, in tantam hanc litterarum & doctrinarum lucem prodiiſsent, niſi, qui eas artes acquiſiverant, majori ſemper in eas ſtudio incubuiſſent. Ergo quum maximis illis & doctiſſimis viris ipſa ſummæ doctrinæ abſolvendæ difficultas incitamentum diligentiæ & laboris fuerit, intelligite tandem, adoleſcentes, quod me hactenus demonſtraſse opinor, quò quiſque veſtrum magis magiſque in dies in doctrinâ atque eruditione proficit, eò majus atque acrius ſibi eſse in litteris atque doctrinis ſtudium collocandum.

ORATIO SEXTA.

De lectionis aſſiduitate.

Sæpe ego miratus ſum, Patres ſapientiſſimi, Auditores ornatiſſimi, quid cauſſæ ſit, quare, quum plerique omnes adoleſcentes, eloquentiæ atque artium liberaliſſimarum mirifico ſtudio incenſi, totos ſeſe comparandæ hìc ſapientiæ tradiderint, atque ut univerſas perfectè doctrinas adipiſcantur, in his ſcholis, atque in hac florentiſſimæ Academiæ celebritate aſſiduè verſentur; tamen eorum pauci, immo verò & pauciſſimi, ſummi perfectique oratores, atque in omni genere & varietate diſciplinarum excellentiſſimi evadant. Equidem mihi cogitanti, atque in hujus rei cauſſam curioſiùs inquirenti, quum plures ſeſe cauſſæ offerrent; tamen, quæ mihi penitus ſatisfaceret, nulla adhuc cauſſa occurrebat, non ſocordia adoleſcentium noſtrorum, qui & ingenio ſunt ad omnem rerum ſcientiam paratiſſimo, & operam dant præceptoribus ſuis diligentem atque quotidianam, non incommoditas locorum atque temporum, quæ loca ac tempora hìc Piſis, aëre ſaluberrimo, in placidiſſimâ quiete, rerumque omnium tranquillitate, atque in maximâ egregiorum exemplorum copiâ, hortari nos vehementer ad litterarum ſtudia videntur, non incuria denique, neque negligentia præceptorum, qui ſtipendiis ampliſſimis atque honeſtiſſimis affecti, itaque a curâ rerum domeſticarum liberati & ſoluti, diſcipulis ſeſe ſuis unicè impendunt, ut, quales ipſi ſunt, tales eos quoque, hoc eſt, omni doctrinâ & virtute ornatiſſimos, efficiant. Sed quum oculos atque cogitationem ad adoleſcentes illos pauciſſimos convertiſſem, qui ſummi in doctrinis eſſent atque perfecti, idque inter eos & mediocriter eruditos diſcriminis intereſſe animadvertiſſem, quòd alteri parum commercii habent cum libris, ſatiſque habent magiſtros attentè ſuos audiſſe; &, quæ ab illis audierunt, ſecum ipſi recoluiſſe, memoriæque mandaſſe; alteri verò bonos libros dies noctеſque pervolutant, in li-

bris

bris habitant, in libros ſeſe abdunt, atque ingurgitant, libris denique non impalleſcunt modò, ſed etiam immoriuntur; facile intellexi, unam hanc eſſe atque certiſſimam viam ad eloquentiam, & ſcientiam rerum perfectè comparandam, aſſiduam atque accuratam multorum eorumque bonorum librorum lectionem; atque in ſtudiis hiſce noſtris inſtaurandis mei eſſe muneris atque inſtituti, regiam hanc viam adoleſcentibus commonſtrare, qua ipſi non qualemcunque, aut unius ſoliuſque diſciplinæ, ſed ſummam, ſed perfectam, ſed omnium ferè diſciplinarum reconditam atque exquiſitam ſcientiam aſſequantur.

Nam quòd Annæus Seneca, philoſophus in primis gravis & ſeverus, tum in epiſtolis ſuis, tum etiam alibi ſcriptorum ſuorum, multitudinem nimiam librorum improbare videatur, id eò ſanè pertinet, ut bibliothecas illas accuſet, atque condemnet, quæ non in rectum uſum ſtudiorum, ſed in ſpecioſam quandam pompam, atque, ut ipſe ait, in vanum & inane ſpectaculum, hoc eſt, ornamenti duntaxat, atque oſtentationis cauſſâ, compararentur; eoſque etiam reprehendat, quorum ſanè varia atque inconſtans lectio per omnia voluminum genera nullo certo definitoque diſcrimine diſcurreret ac vagaretur; quique ad mores dirigendos atque informandos multos ſibi libros neceſſarios arbitrarentur. Et tamen graviſſimus ille morum auctor & magiſter, cui id in primis atque adeo unicè propoſitum erat, ut hominum mores ſanctiſſimâ diſciplinâ conformaret, atque inſtrueret, librorum amatoribus veniam ſeſe planè daturum fuiſſe profitetur, ſi ex nimio optimorum ſtudiorum amore, atque ex inexplebili quadam liberaliſſimarum diſciplinarum cupiditate ardens hoc bibliothecarum ſtudium proficeretur. Perinde quaſi diceret Seneca, ut ad animum ritè ſanctèque componendum magna vis librorum parùm conferat, ideoque culpâ vacare minimè ii omnium videantur, qui non ſtudiorum honeſtiſſimorum cauſſâ, ſed in vanam quandam ſpeciem oſtentationis atque elegantiæ, innumerabilibus ferè atque pulcherrimis omnis generis libris bibliothecas ſuas adornant; tamen, ſi, quæ doctiſſimorum atque eloquentiſſimorum hominum propria eſt, exquiſita illa atque perfecta rerum omnium ſcientia atque eruditio quæritur, tunc ſanè multis opus eſſe & bonis libris ad ſummam

mam illam doctrinam atque eloquentiam adipiſcendam . quare etiam in homine bono ac moderato acrius illud ac vehementius bibliothecæ inſtruendæ ſtudium eſſe facilè tolerandum, eo quia nimirum ſine multâ multorum bonorumque librorum lectione vacuum eum eſſe oportet atque inopem a ſcientiâ rerum , atque adeo a copiâ ubertateque orationis. Hanc eſſe Annæi illius Senecæ ſententiam, quis veſtrum, Auditores, non inde etiam facilè perſpiciat, quòd ipſe Seneca ad Lucilium illum ſuum complura ſeſe legere, & in aliena etiam caſtra, aliorum nempe ex aliis diverſiſque ſectis philoſophorum, ſemet ſæpius, tamquam exploratorem, tranſire, liberiùs ac palam gloriatur ? qui, niſi plurima lectitaſſet, maximamque ſibi ex ſapientiſſimorum hominum ſcriptis rerum cognitionem acquiſiviſſet, profectò nec, qualis habitus fuit, eruditionis ſuis temporibus princeps habitus fuiſſet, nec tantâ orationis copiâ, quantam veteres in eò magiſtri mirati ſunt, ac prædicarunt, omne genus ſtudiorum atque ſcriptionis pertractaſſet. An verò cenſetis, Auditores, doctis & eloquentibus viris in tantâ rerum atque diſciplinarum varietate ſuppetere unquam poſſe, quod unaquaque de re, de qua interrogentur, ad auditores ſuos & eruditiſſimè & copioſiſſimè reſpondeant, niſi animos antea ſuos quotidianâ bonorum librorum lectione excolant, atque inde ſummâ omnium præclariſſimarum rerum, totiuſque antiquitatis cognitione referciant, atque perficiant ? Diſputandum enim iis ſæpe eſt de moribus, de rebus publicis, de coelo, de elementis, de totâ philoſophiâ, de omni genere diſciplinarum. Interpretandum eſt jus civile, illuſtranda ſuperior memoria, de rebus denique omnibus, tum humanis, tum etiam divinis, diſſerendum. Quàm multa hæc, quàm magna, quàmque infinita, quæ niſi omnia penitus cognoſcantur, falsò ſibi iidem ſummæ rerum ſcientiæ, ſummæque eloquentiæ laudem vindicaverint! Illa verò contra quàm pauca, quàmque modica, atque exigua, quæ vel uſu, tractandoque explorarunt, vel auditione acceperunt! Niſi ſiquis fortè exiſtimet, quæ ſcientiâ atque memoriâ comprehendi unquam poſſunt, eos adhuc adoleſcentes a præceptoribus ſuis omnia audiſſe, memoriâque tenuiſſe, aut ipſos per ſeſe poſtea pertractaſſe, uſuque didiciſſe. Quòd ſi Peripateticus ille, Phormio, qui nunquam hoſtem ne-

neque caſtra vidiſſet, tamen auſus eſt coram Annibale, ſummo imperatore, de imperatoris officio, & de omni re militari ſermonem bene longum ac copioſum habere; Si Aratus, qui aſtrologiæ minimè omnium operam dediſſet, tamen coelum ac ſtellas verſibus ornatiſſimis atque optimis deſcripſit; ſi Nicander Colophonius, qui agros nunquam coluiſſet, tamen de re ruſticâ carmen perquam præclarum atque elegans contexuit, quæ in exemplum propoſita ſunt a M. Tullio; ſi Cornel. Celſus, qui ea, quæ ſcripſit, non certè quidem omnia, tractatione & uſu cognoviſſet, tamen tam multa tamque diverſa de omnibus ferè artibus, & de re etiam militari ac ruſticâ, medicâque conſcripſit; ſi Hippias ille Eleus, ſi Giorgias, ſi Plato, ſi Ariſtoteles, ſi M. Cenſorius Cato, ſi Romanorum ille doctiſſimus Varro, ſi M. Tullius, qui omnes ea, de quibus ſciverunt, magnâ ex parte non ab uſu, neque a diſciplinâ perdidiciſſent, neque verò perdiſcere unquam potuiſſent; tamen plurima illa & ſciverunt ipſi, & alios docuerunt, quæ quidem exempla collegit Fabius Quinctilianus; ſi ſexcenti denique alii, ſummi & doctiſſimi viri, qui neque a magiſtris, neque a magiſtra rerum experientia eruditi de pluribus rebus fuiſſent, tamen maximarum rerum atque plurimarum perfectam cumulatamque ſcientiam habuerunt; unde eos putabimus, viros tales ac tantos, ſummam illam doctrinam atque eruditionem, qua ceteros longè mortales antecelluerunt; niſi ex libris cujuſcumque generis, omniumque artium atque diſciplinarum, ſtudiosè quotidièque lectitandis, hauſiſſe? Inde autem ab amore doctrinæ, & eloquentiæ in doctis illis atque eloquentibus viris amor ille ardens librorum, ſtudiumque illud incredibile bibliothecarum. Quo enim, Deus bone! ac quanto amore librorum Cicero tenebatur, qui ſemet haud poſſe dixit vivere, niſi in litteris viveret; nihilque ſibi libris gratius eſſe poſſe; paſcique ſeſe bibliothecâ, &, ſi Attici, amici ſui, libros nanciſceretur, ſemet Craſsum divitiis ſuperaturum, atque omnium vicos & prata contempturum eſſe affirmavit? Quis autem in omni litterarum genere verſatior, aut quis eloquentior Cicerone? Quibus ac quantis in deliciis habebat libros M. Cato, quem tam avidè libros legiſſe ferunt, ut libros non tam legere, quàm helluari videretur, in ipſâque etiam curiâ, interea dum

Se-

Senatus cogeretur, libros legere minimè erubeſceret? a quo etiam Catone ceteri, qui ſimili, atque ille, hoc eſt, in exhauſtâ, legendi aviditate afficerentur, helluones librorum feſtivè ſunt appellati. Quis autem M. Catone juris civilis, rerumque ruſticarum, atque hiſtoriarum etiam peritior? Quale & quantum librorum perlegendorum ſtudium C. Plinii ſecundi, cujus in oculis habitare propemodum libri videbantur? quem avunculum ſuum C. Plinius Cæcilius narrat tam parcum temporis, tamque cupidum lectionis fuiſse, ut ne cæna quidem a lectione vocaret; quumque aliquando unus quidam de amicis lectorem nonnulla perperam pronunciantem interpellaſset, doluerit ſanè Secundus, ſeſe illâ interpellatione decem ampliùs verſus perdidiſse. Quis autem Plinio illo ſecundo ſcientior atque eruditior? Quam ſtudioſus, quàmque amans librorum M. Varro, cui quidem Varroni Julius Cæſar Latinarum Græcarumque bibliothecarum dirigendarum atque comparandarum curam commiſerat? Quis autem unquam Romanorum doctior Varrone? Qua etiam & quàm vehementi cupiditate librorum Ariſtoteles incendebatur, quem ajunt libros oppido quàm pauculos Speuſippi philoſophi talentis Atticis tribus redemiſſe, primumque libros collegiſſe, & exemplo ſuo Egyptiis regibus ad bibliothecam conſtruendam præluxiſſe? Quis autem Ariſtotele in omni philoſophiâ, atque in omni rerum præclariſſimarum ſcientiâ illuſtrior? Neque verò ab alio unquam ſtudio, niſi litterarum promovendarum atque propagandarum, illæ olim inſtructæ a regibus aliiſque principibus viris bibliothecæ, omnique librorum genere impenſiùs atque ſumptuoſiùs locupletatæ: ut copioſiſſima illa Alexandrina, cui Ptolemæus Philadelphus Demetrium Phalereum, virum longè doctiſſimum atque eruditiſſimum, præfecit, illa, inquam, Alexandrina, ceterarum omnium bibliothecarum celebratiſſima, multòque magnificentiſſima, in qua ſeptingenta voluminum millia, ut Attalica, ſeu Pergamena, in qua ducenta librorum millia, ut Byzantina, in qua centum & vihinti librorum millia, ut Sereni Sammonici bibliotheca, in qua duo & ſexaginta librorum millia, ut Romanæ illæ publicæ bibliothecæ multis librorum millibus refertiſſimæ, undetriginta. O Græcas *illas*, o Egyptias, o Latinas bibliothecas! O illos omnium rerum,

Digitized by Google

rum, omniumque artium atque diſciplinarum, totiuſque ſuperioris memoriæ theſauros pretioſiſſimos! Atque utinam, Auditores, bibliothecæ illæ ad noſtra uſque tempora perſtitiſſent, eaſque nunc nobis inviſere, earumque forulos, & pluteos, & cuneos totos perſcrutari atque excutere liceret! Quàm illud non jucundum modò, ſed etiam fructuoſum, optimis illis atque præſtantiſſimis codicibus oculos noſtros paſcere, ingeniumque atque animum exſaturare! Quantæ illud delectationis atque voluptatis, dedicatas ibi magnorum hominum atque philoſophorum imagines conſpicere, atque in iis Heraclitum oculis multo aſſiduoque fletu occluſis contueri, labris in immoderatos effuſoſque riſus diffluentibus Democritum, diſtentâ beneque curatâ cute Epicurum, latioribus humeris Platonem, brachio veluti ad diſputandum exerto Ariſtotelem, alios totius antiquitatis ſapientiſſimos viros, quo eorum quiſque geſtu, quoque oris habitu, & corporis fuerit, per otium contemplari! Quali nos & quanto gaudio in bibliothecis Græcis exſiliremus, ſi, quæ amiſſa fruſtra nunc deploramus, præclariſſima ſummorum ingeniorum monumenta, in oculos fortè noſtros, atque in manus incurrerent, libri tot Ariſtotelis atque Democriti, aliorumque nobilium philoſophorum, volumina tot Didymi, atque Ariſtarchi, aliorumque inſignium Grammaticorum, Tragœdiæ tot Sophoclis, tot Euripidis, tot aliorum clariſſimorum Poëtarum carmina, tot orationes ſummorum Græciæ oratorum, tot denique libri hiſtoricorum, aliorumque omnis generis præſtantiſſimorum ſcriptorum, quorum planè reliquias ex quodam veluti naufragio bibliotheca nobis Photiana ſervavit! Quali etiam quantâque lætitiâ in bibliothecis Latinis geſtiremus nos atque exultaremus, ſi, quorum jacturâ damnum multò maximum Latinæ litteræ fecerunt, ſeſe illa ſtatim circumſpectantibus nobis offerrent, Medea illa Ovidiana, Conſolatio illa Ciceronis, ille Ciceronis Hortenſius, tot alii Ciceronis libri, tot libri deperditi T. Livii, tot libri Criſpi Salluſtii, tot etiam Trogi Pompeii, tot etiam libri Oratorum atque Rhetorum, tot libri Hiſtoricorum, Poëtarum, Grammaticorum denique Latinorum, quorum aut paucula duntaxat fragmenta, aut nuda etiam ac ſola nomina ſuperſunt. Sed, quoniam præclara illa veteris doctrinæ atque eloquentiæ monumenta, incendiorum atque tempo-

rum, ſive etiam barbariei injuriâ, maximâ ex parte perierunt, cur nos tale illud ac tantum damnum litterarum non, ut poſſumus, reſarcimus? cur ex tanto hoc librorum naufragio tabulas, quas poſſumus, non arripimus? Neque enim mehercule parum quid ſupereſt reliquiarum; ſed de veteribus illis bibliothecis, ſeu potiùs veterum illarum bibliothecarum veluti reſiduis, multa certè adhuc reliqua ſunt, Auditores, eaque, niſi ego vehementer fallor, in omni rerum præclariſſimarum, ſtudiorumque liberaliſſimorum genere multò jam omnium optima, atque elegantiſſima: quibus dies noctesque verſandis ad omnem doctrinarum elegantiam, atque ad ſummam perfectámque eloquentiam pervenire facilè poſſimus: præſertim quum, patrum noſtrorum, noſtrâque etiam memoriâ, viri ſummo ingenio, tam ſedulo tamque diligenter ad artes perficiendas litteraſque reſtituendas incubuerint, ut, dum vetuſtæ illæ bibliothecæ aliis aliiſque in dies doctrinarum copiis ſupplentur, incredibilis facta ſit bonorum utiliumque librorum acceſſio, &, qui trecentis ante annis a librorum penuriâ, nunc, divino quodam munere, atque hoc mirabili typographiæ compendio, ab immensâ jam librorum multitudine laborare videamur. Quid igitur dubitamus, Auditores, nos quoque, Catonis illius exemplo, helluones librorum nominari? Quid, inquam, dubitamus, in bibliothecas nos abdere, in libris verſari, libris nos involvere, in libris tempus conſumere, &, quod de codice Iliadis Homericæ Alexander ille Magnus facere conſueverat, libros capiti ad ſomnum captandum ſupponere? Quid ire nos poſt veterum illorum veſtigia, hominum doctiſſimorum atque eloquentiſſimorum, qui bibliothecas in urbe, bibliothecas ruri, bibliothecas in balneis, tanquam inſtrumentum atque ſupellectilem domus in primis neceſſariam, habuerunt, ut, ubi maximè omnium otioſi eſſe videbantur, ibi minimè omnium eſſe iis otioſis liceret? Quid nobis parare quàm poſſumus maximam & feſtiviſſimam ad omne ſtudiorum genus copiam librorum, & inſignem illum atque percelebrem Grammaticum, Epaphroditum Chæronenſem pro viribus æmulari, quem ferunt Romæ libros ſubinde ementem, optimorum quidem & ſelectorum librorum triginta ferè ſibi millia comparaſſe? Quid nos ita facere dubitamus, itaque in optimis & ſelectiſſimis libris ſapientiam no-

Digitized by Google

nobis atque eloquentiam emere, quæ ex frequenti aſſiduâque librorum bonorum lectione effloreſcit ac redundat? Quòd ſi res nobis domi arctior multò eſt atque anguſtior, quàm ut quidquam pecuniarum, aut etiam alimentorum noſtrorum in libros vel maximè nobis neceſſarios emendos impendamus, quid ego hìc dicam, Auditores humaniſſimi? Equidem illud dicam, quod veriſſimè dicendum eſt, optandum valde eſſe, ut bene & lautè & liberaliter cum litterarum ſtudiis agatur, quæ niſi adjumento hoc & multorum & bonorum librorum ſuſtententur atque recreentur, langueſcant penitus, neceſſe eſt, certè quidem perfecta, omnibuſque numeris abſoluta nullo modo eſſe poſſint; utque Deus tandem aliquis hìc Piſis, in Muſeo hoc Etruriæ, in hoc celeberrimo omnium diſciplinarum atque artium liberaliſſimarum emporio, bibliothecam exſuſcitet, quæ, quidquid nos in omni doctrinarum atque elegantis litteraturæ genere deſiderare unquam poſſimus, copioſiſſimè nobis atque uberrimè ſuppeditet. Fingite animis, Auditores, bibliothecam hanc Piſis, qualem ac quantam alibi locorum apud celebriores quaſque totâ reliquâ Europâ Academias uſurpare ipſis oculis licet; fingite, inquam, animis talem ac tantam, pro Academiæ noſtræ dignitate, bibliothecam hanc Piſis: in qua & doctorum hominum imagines, qui ſatis diſertè atque copioſè in libris illis loquantur, vobis ante oculos obverſentur, & libris, quibus velitis, ad omnem ſcientiam atque eruditionem utamini. Quid inde, & quantum non adjumenti modò, ſed etiam incitamenti ad eloquentiæ ſtudia atque omnium doctrinarum? Te, Quincte Maxime, te, Publi Scipio, vos, vos præterea, ſummi atque clariſſimi Romanæ civitatis viri, appello, quos ſolitos ita dicere accepimus, cum majorum imagines intuerentur, animum inde ſibi ad virtutem quàm vehementiſſimè inflammari atque accendi. Non ne animos hominum multò etiam vehementiùs ad ſapientiam atque eloquentiam incendi, dicturi facilè fueratis, ſi eas, quas homines longè ſapientiſſimi atque eloquentiſſimi imagines ſui perfectè in libris expreſſas reliquerunt, contemplarentur? Illæ enim imagines ſunt vultus, hæ ingenii atque animorum, mutæ ſunt illæ imagines, hæ eloquentes; illæ ad oculos oblectandos, hæ ad animos menteſque paſcendas atque erudiendas comparatæ. Atque ut de me ingenuè fatear, Au-

 di-

Digitized by Google

ditores, quod quiſque veſtrum multò, quàm ego, meliùs atque veriùs de ſeſe habet dicere; ut de me, inquam, fatear, homine quidem parùm ingenioſo, parùmque erudito; ſed tamen librorum utcunque ſtudioſo atque amante, quàm ego vehementer ad eloquentiam incendor, cum Demoſthenem ac Ciceronem lego! quàm ego acri atque incredibili amore ad ſapientiam inflammor, cum in manus Platonem atque Ariſtotelem ſumo! quàm ego ſubito, & quàm divino furoris atque Muſarum veluti inſtinctu corripior, cum Poëtas, atque in primis Homerum atque Virgilium lectito! quàm ego ardenti & quàm incitato rerum divinarum ſtudio afficior, cum ſacros atque divinos libros pervolvo! quàm ego denique ſtudiosè & quam cupidè rapi eò me ſentio, quò ſedula me atque attenta bonorum librorum lectio nec opinantem adducit! Te hic etiam, divine Plato, appello. Tua quum ſint multa ſapienter dicta, atque præclarè, tum illud dictum eſt multò omnium ſapientiſſimè, atque præclariſſimè, tantam eſſe pulchritudinem ſapientiæ, ut, ſi ea oculis cerneretur, ardentes amores ſui excitaret. Non ne autem oculis ipſi noſtris ſapientiam in libris tuis cernimus? non ne in libris aliorum ſummorum hominum atque philoſophorum, qui tam graphicè nobis tamque eleganter coloribus ſapientiam ſuis depinxerunt, ut minimè omnium miremur, ſi, cum libros illos lectitamus, amores ſui ſapientia in nobis ardentes excitet? Quid ſi præterea, Auditores, ad ſcribendum nos conferimus? quando ſtylus, optimus ac præſtantiſſimus magiſter eſt dicendi, neque valde probari ii videntur, qui ita ſeſe libris abdiderunt, nihil ut ex his in lucem atque ad communem fructum & utilitatem proferant. Age porrò, quale & quantum iſtud eſt ſcribere, & quàm multos ac penè infinitos libros requirit, ſi tamen ſcribimus ad æternitatem! Ferunt, olim reges Ægypti Ptolemæos Alexandriæ ad bibliothecam illam, quæ multitudine & bonitate librorum ceterarum toto orbe bibliothecarum mater habita eſt ac magiſtra, Muſeum per illuſtre adjunxiſſe, in quo docti & litterati viri, in ſummâ rerum omnium copiâ, libris & Muſis operarentur. Nempe quia reges illi prudentiſſimi, atque perſpicaciſſimi probè, ut puto, intelligebant, doctis iis & pereruditis viris, qui ad bonos libros conſcribendos ſerio ſeſe verèque applicarent, non quietem modò cu-

Digitized by Google

curarumque vacuitatem; ſed etiam librorum, quos legerent, quoſque conſulerent, & ex quibus rerum atque orationis theſauros expromerent, vim maximam præſto eſſe oportere. O rudes illos atque imperitos, qui, quum ipſi nihil ſcripſerint dignum memoriâ poſteritatis, tamen levioris rem momenti eſſe opinantur, ſcribere ad æternitatem! Quid eſt enim, per Deum immortalem, ſcribere ad æternitatem, niſi, quæ utiliſſima ſunt, quæ pulcherrima, quæ ſcitu maximè digna, ſummâ cum elegantiâ atque eruditione litteris conſignare? Quod ſine multâ ac diligenti plurimorum atque optimorum librorum lectione quî unquam fiat? Scripſerunt multi ad æternitatem, homines doctiſſimi, atque eruditiſſimi, tum veteres, tum recentiores? Scripſit ad æternitatem M. Tullius, ſcripſit Seneca, ſcripſit Quinctilianus. Scripſerunt etiam de noſtris hominibus Origenes, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus. Plerique alii Chriſtiani Patres de rebus ſacris atque divinis ad æternitatem ſcripſerunt. Quotus autem quiſque eorum eſt, qui non etiam plurima in omni doctrinarum atque elegantiarum genere ex vetuſtioribus iiſque præclariſſimis rerum atque eloquentiæ magiſtris legendo cognoverit, &, quod omnino faciendum Seneca monuit, non etiam lectionem atque ſcriptionem alternaverit? Siquis unquam veterum fuit, qui ad æternitatem ſcripſerit, fuit hic certè *C. Plinius*, is, qui libros Naturalis Hiſtoriæ, opus ſummæ variæque eruditionis, a nemine quoquam antea Romanorum tentatum, nedum perfectum, ipſe mirabiliter conſcripſit atque perfecit. Quis autem Plinio non in ſcribendo modò, ſed etiam, ut paullò ante diximus, in legendo frequentior ac diligentior? qui nihil unquam legerit, quod non excerpſerit, atque adnotaverit, qui libros etiam aliquâ ex parte prodeſſe poſſe dictitaverit, qui tantum diligentiæ atque laboris in litterarum ſtudia impenderit, ut vel homines ſtudioſiſſimi atque diligentiſſimi præ illo maximè deſidioſi & inertes videri potuerint, qui denique ad libros illos Naturalis Hiſtoriæ conficiendos duo ferè voluminum millia pervolverit, atque ex centenis ſcriptoribus rerum præclariſſimarum obſervationeque digniſſimarum viginti millia collegerit. Tanti conſtitit Plinio ſua illa Naturalis Hiſtoria. Cogitate hîc, Auditores, quot & quanta deinde quotidie incrementa rerum atque doctrinarum cognitio hominum ac-

acceperit, quanto deinde plura ſunt a recentioribus & acutè excogitata, & feliciter reperta, quæ veteres prorſus ignoraverunt, quot & quàm immenſi terrarum mariumque tractus navigationibus detecti, quid & quantum novi in cœlo atque in aſtris obſervatum, quot & quanta in re medicâ, in re nauticâ, in omni philoſophiâ, admirabiliter animadverſa, quæ priſcorum omnino hominum diligentiam fugerunt, quid denique & quantum veræ in Deum religionis, antiquâ ſuperſtitione ſublatâ, quæ omnium propemodum gentium animos miſerè occupaverat, atque oppreſſerat, ſit hominibus, ad ſalutem ipſorum ſempiternam, divinitus traditum atque demonſtratum. Hæc omnia, aliaque hujus generis plura, lectitando iis planè cognoſcenda, qui ſcribunt ad æternitatem, ut nempe primùm omnium rei cujuſque notitiam ex uberrimis veterum ſcriptorum fontibus diligenter hauriant, deinde ad recentiores, qui acceptam a veteribus rerum omnium ſcientiam cumulatiùs multiſque partibus auxerunt, recurrant, &, cum benè accuratèque perſpexerint, quomodo & quibus veluti gradibus rerum cognitio, a rudibus initiis profecta, ſeſe in clariſſimam lucem explicaverit; tum demum omni eruditione atque doctrinâ referti, doctrinam illam atque eruditionem ſuam, quam ex aliorum libris legendis ſibi comparaverant, ipſi libris ſuis conſcribendis, ad reipublicæ bonum, amplificationemque litterarum, in alios diffundant. Atque hoc demum eſt, Auditores, ſcribere ad æternitatem. Quid ſi etiam ad veteres illos, ſummos omnium doctrinarum atque elegantiarum auctores & magiſtros imitandos noſmet convertimus, atque applicamus? quod ſanè optimum cenſendum eſt genus ſcribendi, ſi nempe qui maximè omnium veterum in quolibet genere excelluerunt, nobis ad ſcribendum de quacunque re præluceant, hoc eſt, ad eorum exemplum, & quandam veluti æmulationem ſcripta quoque noſtra conformemus: Age verò, quid ad bene rectèque imitandum magis neceſſarium bonâ & aſſiduâ multorum librorum lectione, non modò, ut qui optimè omnium, atque præclariſſimè ſcripſerint, ipſi per nos diſpiciamus; ſed etiam ut optima quæque atque præclariſſima & rerum & dicendi exempla ex melioribus quibuſque ſcriptoribus in uſum noſtrum ſeligamus. Quare etiam Horatius in Arte exemplaria nobis Græca nocturnâ diurnâque manu verſanda

eſſe

Digitized by Google

eſſe præcipit, ut Græcos illos eruditionis ac doctrinæ principes atque auctores, a quibus omnis ad Latinos doctrinarum elegantia manavit, quàm poſſumus diligentiſſimè, imitemur. Jam verò quis unquam Latinorum, ſeu oratorum, ſeu philoſophorum, ſeu poëtarum, non ſeſe totum ad Græcos imitandos contulit? non Græcorum virtutes accuratiſſimè expreſſit? non Græcos ſtudioſiſſimè eſt æmulatus, &, quò Græcorum ſimilior fuit, non eò etiam melior, non eò ſapientior, non eò eloquentior eſt habitus? Quis enim de oratoribus Latinis ſapientior atque elegantior Cicerone? Atqui Cicero ſeſe totum ad oratorum & philoſophorum Græcorum exemplar effinxit, tum ceterorum omnium, tum in primis Demoſthenis, a quo Cicero, Quinctiliani, graviſſimi rhetoris judicio, magnâ ex parte factus eſt, quantus ille unquam fuit, ideſt, ſummus & eloquentiſſimus orator. Quis etiam de poëtis Latinis præſtantior atque divinior Virgilio? Atqui in Virgilio eximia quæque ſunt ac ſelecta non Græcorum modò; verùm etiam Latinorum Poëtarum; ſed tamen in primis Græcorum: de quibus quidem Græcis Theocritum in Bucolicis, Heſiodum in Georgicis, Homerum totum in Æneide Virgilius nobis retulit atque repræſentavit. Quid? in unâ ſolâque Æneide quum Virgilius utrumque illud Homeri Poëma, Odyſſeam atque Iliadem, admirabili prorſus ſingularique artificio delineaverit atque expreſſerit, non ne multò etiam artificioſiùs atque admirabiliùs utriuſque poëmatis exordium, quo Homerus non tam procemiorum legem ſervaſſe, quàm conſtituiſſe, viſus eſt Fabio Quinctiliano, initio Æneidis ſuæ conjunxit ſimul Virgilius atque adumbravit? Quod quum ego alibi ad Homerum primus omnium obſervaverim, dignum id ipſum judicavi, quod huc etiam vobis, ſtudioſiſſimi rectæ imitationis adoleſcentes, veluti præſtantiſſimum quoddam ac ſingulare ingenioſiſſimæ imitationis exemplum, in medium afferrem. Quis etiam de Latinis? Sed quid ego, poſt Ciceronem atque Virgilium, alterum Romanæ eloquentiæ patrem, alterum Romanæ Poëſis principem, alia quoque exempla eorum conſecter, qui optimè atque elegantiſſimè ſcripſerunt, eo quia optima quæque atque elegantiſſima, qua oratorum, qua poëtarum, ſunt imitati? quum & Ciceroni vetuſtiſſimi quoque oratores, vel rudes atque impoliti, plurimum adjumenti atque utilitatis attu-

attulerint, & Virgilius ex fæcibus Ennii, poëtæ planè minimè omnium culti atque ornati, ſeſe aurum collegiſſe affirmaverit. Videtis hinc atque perſpicitis, Auditores, ſummis illis viris, ſummi ut eſſent & oratores & poëtæ, ſtudioſam multorum librorum lectionem plurimùm profuiſſe, non quòd omnia omnium ii ſemper æmulati fuerint (neque enim omnia omnium ſemper ſunt multò optima atque elegantiſſima); ſed quòd, tametſi unum ſibi maximè imitandum propoſuerint, tamen non eum unum ac ſolum ſibi imitandum cenſuerint; quumque aliorum omnia legerint, tamen optima quæque duntaxat atque ſelectiſſima in uſus ſuos aſſumpſerint. Ergo, ſi neque Marcus Tullius ſine imitatione ſummus orator eſſe potuit, neque Virgilius ſummus poëta, perfecta autem imitatio multiplici potiſſimùm lectione nititur; ſi egregiâ rerum omnium eruditione, ſummâque eloquentiâ ſint ii, oportet, inſtructi, qui ſcribunt ad æternitatem, egregia autem rerum omnium eruditio, ſummaque eloquentia, veluti ex fonte quodam, ex quotidianâ atque aſſiduâ bonorum multorumque librorum lectione latiſſimè dimanat; ſi denique tantum ſcimus, quantum memoriæ mandamus, oblivioni autem atque inſcitiæ attenta & accurata lectio in primis medetur, quæ eſt ſumma orationis hujus meæ, cur non tandem aliquando fateamur, Auditores, quod ego tandiu oratione demonſtro, unumquenque litterarum ſtudioſum in doctrinis atque eloquentiâ tantùm certò profecturum, quantum in bonis multiſque omnis generis libris legendis profecerit? O hanc præclaram, adoleſcentes, o hanc regiam & directam, & apertam viam doctrinarum, atque eloquentiæ! O vos de litterarum ſtudiis, de patriâ, de vobis ipſis optimè meritos, ſi viam hanc inſtiteritis, ſi nempe, poſteaquam præceptores hos veſtros, viros doctiſſimos atque ſapientiſſimos quam diligentiſſimè audiviſtis, iiſque ducibus & magiſtris ad reconditas quaſque & exquiſitas doctrinas percipiendas uſi fuiſtis, nihilque omnino prætermiſiſtis, quominus eorundem præceptorum veſtrorum doctrinam atque eloquentiam imitando ipſimet in vobis effingeretis, tum demum, ad ſcientiam atque eloquentiam augendam, totos vos bonis cujuſcunque generis libris legendis penitus dedatis, itaque diſcipuli quodammodo efficiamini veterum illorum doctiſſimorumque ſcriptorum, a quibus planè ad
præ-

Digitized by Google

præceptores ipſos veſtros omnis doctrina atque eloquentia profluit. Amate igitur libros, ſi verè ſapientiam atque eloquentiam amatis, optimi adoleſcentes. Non vos a libris otium, aut ſomnus, aut voluptates, aut feſti ludorum dies, aut denique amicorum conſuetudines atque familiaritates abſtrahant. Libri ſtudia veſtra atque ingenium alant. Libri vos oblectent atque ornent. Libri vobiſcum pernoctent, vobiſcum peregrinentur, vobiſcum ruſticentur. Illud denique vobis ſit penitus perſuaſum, ſummam vos rerum omnium præclariſſimarum ſcientiam, ſummamque eloquentiam adepturos eſſe, ſi, quo doctiſſimi quique viri, ipſique præceptores veſtri, eò & vos bonis multiſque libris aſſiduè accuratèque lectitandis contendatis, ac tandem adſpiretis, ut, propter magnam antiquitatis totius, omniumque rerum hauſtam e libris eruditionem, bibliothecæ quædam animatæ eſſe videamini.

Digitized by Google

ORATIO SEPTIMA.

De recto ordine ſtudiorum.

MEMINI, me, Patres Auditoreſque ornatiſſimi, recurrente quotannis ſolemnis hujus ſtatique diei celebritate, quàm maximè potui, omni argumentorum atque exemplorum ex veteri recentique memoriâ peritorum genere, ſtudioſos litterarum adoleſcentes ad litterarum ſtudia ex hoc ampliſſimo ad dicendum loco cohortatum fuiſſe, in ipſaſque etiam cauſſas diligenter inquiſiviſſe, cur, quum omnes omnino adoleſcentes, ſapientiæ & doctrinæ cauſâ, plerique etiam cum magno rei familiaris detrimento, huc ſeſe in Athenas has Piſanas ſtudioſiſſimè ac frequentiſſimè conferant, neque iis erudiendis doctiſſimorum præceptorum cura unquam atque diligentia deeſſe videatur; tamen perpauci ſummam omnium rerum doctrinam atque ſapientiam adipiſcantur. Quis enim veſtrum, adoleſcentes, oratione meâ inflammatus, & privatis magiſtrorum veſtrorum hortationibus impulſus, non ſeſe a deſidiâ ad induſtriam avocavit? non præ amore ſapientiæ voluptatis illecebras repudiavit? non ſemet totum bonis artibus atque diſciplinis tradidit? non quotidianam atque egregiam præceptoribus ſuis operam navavit? non dies noctesque totas, ceteris longè curis ſepoſitis, in bonis & Græcis & Latinis ſcriptoribus lectitandis contrivit? Ergo, quum perfectæ jam atque exquiſitæ ſapientiæ obſtare nihil videretur, quominus compotes ejus & participes fierent, quæ & quanta memet ſpes ceperat, certò jam fore, ut, qui bonarum artium rudiores venerant huc adoleſcentes, ſummi tandem & philoſophi & juriſconſulti & theologi, in omni denique liberaliſſimâ arte atque ſcientiâ perfecti, ad patrias ſuas reverterentur? Sed, quum in tanto hoc labore nihilò, quàm antea meliùs in adoleſcentibus quibuſdam res ſtudiorum procedant, unde tandem credamus, labem hanc ſtudiorum proficiſci, niſi ex perversâ

Digitized by Google

verſâ atque inordinatâ ſtudiorum eorundem ratione? quum, ſi benè ſtudia inſtituuntur, minimo laboris impendio facilè poſſint adoleſcentes ad ſummam doctrinam pervenire. Quare ſtudiis me litterarum veſtris valde conſulturum cenſeo, adoleſcentes, ſi de recto nunc ſtudiorum ordine verba nonnulla fecerim, &, qua potiſſimùm ratione doctrinarum omnium curſum, quem ab his veluti carceribus hodierno die incipitis, ad calcem uſque rectâ continuetis, commonſtraverim.

Neque verò de recto ſtudiorum ordine opus eſt, Auditores, rem altiùs ab ipſâ rerum naturâ repetere, in qua nihil mehercule utilius, nihil pulchrius, nihil ordine magis neceſſarium neque eſſe, neque excogitari poteſt, non modò ut tanta hæc, tamque diffuſa ac patens univerſitas rerum ſecum ipſa cohæreat atque concordet; ſed etiam ut per partes clarè ac diſtinctè cognoſcatur. Univerſæ artes atque diſciplinæ quum ad ſummam perfectamque doctrinam in uno eodemque ſimul homine penitus requirantur, quis omnes eas liberaliſſimas artes, primo certè adſpectu, maximè aliquando inter ſeſe diverſas, & ſuo quamque genere disjunctas, niſi rectum ſtudiorum ordinem tenuerit, aſſequatur? Diſputatum acerrimè olim a doctiſſimis & ſapientiſſimis viris accepimus, utrum pluribus ſimul artibus & diſciplinis, ad perfectam omnibuſque numeris abſolutam eruditionem, opera eodem tempore danda ſit, an vero ita tempora ſtudiaque litterarum diſpertienda, ut in bonis artibus addiſcendis una aliam ars ſubſequatur atque excipiat. Sunt enim, qui multarum ſimul optimarum diſciplinarum ſtudio aut diſtrahi, aut certè confundi, humanum ingenium, non perfici aut excoli arbitrentur. Sed, quum vita hominis breviſſimo temporis ſpatio coarctetur, ut univerſo ea diſciplinarum orbi percurrendo conficiendoque ſufficiat, quid dubitemus primam quoque hominis ætatem pluribus ſimul diſciplinis imbuere, quando ingenii vis multò in omnem partem agilior eſt atque velocior ad res vel diverſiſſimas percipiendas? An verò putetis, Democritum Abderitam, quæ ad eruditionem aliquo modo pertinent, univerſa perfectè callere potuiſſe, niſi a teneris ſeſe annis pluribus ſimul doctrinis cognoſcendis aſſuefeciſſet? An Eratoſthenem tantam illam omnium rerum ſcientiam, quantâ vel in paucis unus excelluit,

Digitized by Google

comparaturum fuiſſe, niſi primos quoque pueritiæ atque adoleſcentiæ annos pluribus ſimul honeſtiſſimis artibus excoluiſſet atque exornaſſet? an Ariſtotelem, an Platonem tantam omnium rerum doctrinam, quanta hominum maximis atque ſapientiſſimis contingere unquam poteſt, adepturos fuiſſe; niſi vel ab ipsâ primâ adoleſcentiâ pluribus ſimul artibus ingenuis atque doctrinis eruditi fuiſſent? an ceteros doctiſſimos viros, qui omni ſapientiæ ac litterarum laude in primis floruerunt, genere omni eruditionis atque ſcientiæ præſtare ceteris mortalibus potuiſſe, niſi jam inde ab ineunte ætate in optimas quaſque ſimul diſciplinas diligentiſſimè incubuiſſent? Quid enim dicam de Theophraſto, cujus illa alibi etiam a nobis percelebrata de brevitate vitæ querela ſatis ſuperque oſtendit, omnibus eum liberalibus artibus, omnibuſque partibus Philoſophiæ, jam inde a puero ſtuduiſſe? Ergo, ſi illi viri tales ac tanti, tamque multiplici variâque doctrinâ, excolendâ pluribus ſimul diſciplinis adoleſcentiâ, atque adeo pueritiâ, omnium magnarum rerum atque artium ſcientiam ſunt conſecuti; cogitatis ne, temere eos ac confusè, operâque quadam tumultuariâ, ſtudia ſua pertractaſſe, &, quocunque caſus ac voluntas ferret, eò, tanquam ad ſcopulos quoſdam, tempeſtate ipſos delatos, adhæſiſſe? Nihil minùs. Immo verò quò illi doctiores ſapientioreſque fuerunt, eò etiam meliori certiorique ordine cenſendi ſunt ſtudia omnia ſua ad normam veræ ſolidæque doctrinæ diſpoſuiſſe, itaque ex multis variiſque diſciplinis, tanquam ex partibus quibuſdam, rectè atque ex ordine diſtributis, ſcientiam quandam maximam atque perfectiſſimam, quæ maximarum quarumque rerum cognitionem comprehenderet atque includeret, quam ipſam vocant ſapientiam, concinnaſſe. Quo ſi ordine perturbato, ſeſe ii ad philoſophiam, atque ad cetera litterarum ſtudia applicuiſſent, profecto neque Democritus, neque Eratoſthenes, a quincuplici, hoc eſt, ab univerſo doctrinarum atque eruditionis orbe, translato eleganter a quinque certaminum victoribus vocabulo, quinquertiones nuncupati fuiſſent, neque Plato quaſi quidam Deus philoſophorum habitus fuiſſet, neque princeps ſapientiæ atque eloquentiæ Ariſtoteles, neque digniſſimus Theophraſtus, qui Ariſtoteli in ſcholam Peripateticam ſuccederet. Et quid eſt, quæſo, Auditores, quòd

gra-

Digitized by Google

gravis dicendi auctor Quinctilianus, qui primam hominis ætatem multa eodem tempore docendam præcipit; tamen idem ipſe Quinctilianus, longâ viginti annorum experientiâ atque uſu eruditus, oratorem, quem ad ſummam perfectamque eloquentiam informandum ſuſceperat, per ſingulos ſtudiorum quorumque gradus magnâ cum curâ ac diligentiâ inſtituit, niſi quia ſine ordine fruſtra omnis ſtudiorum labor eſt futurus, atque ex ordinis perturbatione naſcatur, oportet, perturbatio totius ſcientiæ atque doctrinæ? At verò quàm aptus, quàm appoſitus, atque ad curſum omnium doctrinarum conficiendum quàm accommodatus, ordo ille ſtudiorum, quem futuro oratori neceſſarium Fabius Quinctilianus tradidit, ut puer & Græcè diſceret & Latinè, & legendi exercitationem ab Homero & Virglio exordiretur, & aliarum quoque a Grammaticâ diſciplinarum ſtudia ingrederetur, & Geometriâ & Arithmeticâ, & Aſtrologiâ aliiſque Mathematicis diſciplinis & Dialecticâ inſtrueretur, itaque ad oratoris demum munus bene ritèque explendum omnium prope maximarum rerum ſcientiam afferret! Quem quidem ſtudiorum ordinem ſi vos, adoleſcentes, minimè omnium plerique tenuiſtis, quid tandem miramur, ſi maximis laboribus veſtris veſtri in litteris profectus minimè omnium reſpondeant? Quid enim refert multa legere, & libris dies nocteſque lectitandis impalleſcere, ac libris propemodum immori, niſi ea, ſine quibus boni ſcriptores aut omnino non intelligi, aut certè non bene intelligi poſſunt, præcognita atque explorata habueris? quid veteres recenteſque hiſtorias pervolutare, niſi & populorum & regionum ſitum a Geographiâ, temporum autem numerandorum rationem a Chronologiâ perdidiceris? quid in Poëtis aſſiduè verſari, niſi & hiſtorias & fabulas & aſtrorum ortus atque occaſus reliquoſque motus cœleſtes cognoveris? quid operam dare medicinæ, niſi Phyſicen antea perveſtigaveris? quid animum atque ſtudium ad jus civile adhibere, niſi ad jus civile & Dialecticam, & totius Romanæ atque adeo Græcæ antiquitatis, priſcarumque conſuetudinum cognitionem adjeceris? quid in Theologiam, hoc eſt, rerum divinarum, ex altioribus ac ſuperioribus diviniſque prorſus principiis, ſcientiam, incumbere, niſi reliquas omnes, quæ humanæ ſunt, & a Theologiâ veriſſimè atque ſa-

Digitized by Google

ſapientiſſimè judicantur, tibi antea diſciplinas comparaveris? quid denique ſtudia bonarum artium perſequi difficiliora, niſi viam tibi, ex recto doctrinæ ordine, a facilioribus ad difficiliora intelligenda muniveris? Credite mihi, adoleſcentes, non niſi optimorum ſtudiorum ordine conſtat ſumma doctrina, perfectaque rerum omnium eruditio; neque is verè ſolidèque ſapiens, qui multa confusè atque inordinatè, ſed qui ordine didicerit. Niſi ſiquis fortè Therſitam illum Homericum, hominem doctiſſimum atque ſapientiſſimum judicet, cui Homerus a multâ rerum cognitione multum etiam verborum tribuiſſe videtur. Sed tamen, quia illa multa, quæ utcunque Therſites ſciebat, procul a recto ordine, immo & præpoſterè, ſciebat, quis Therſite apud Homerum ſtultior atque inſipientior? quem temerè loquacem fruſtraque verboſum Homerus appellat. Neque verò ego injuriâ adoleſcentes nonnullos, a bonarum litterarum ſtudiis præpoſterè perversèque inſtitutis, Therſitæ comparaverim: qui tamen adoleſcentes, propter varia & diverſa optimarum diſciplinarum ſtudia, ſibimet ipſi & ſapientiâ & eloquentiâ Ulyſſem atque Neſtorem longè multùmque antecellere videntur. O miſeram ac deplorandam adoleſcentium illorum conditionem! o vanos illos & ineptos Therſitas! qui, tametſi bono ingenio præditi, beneque a naturâ ad doctrinas atque ad bonarum artium ſtudia comparati, ſtudia prorſus ſua atque ingenia peſſundant, qui ſpem planè ſuam & ſuorum fruſtrantur, qui non otio modò, ſed etiam laboribus ſuis perversè abutuntur, qui ſumptuum ac laborum ſuorum, totiuſque ſuæ adoleſcentiæ turpem immanemque jacturam faciunt, qui, illotis, ut ajunt, pedibus, in ſacra ſapientiæ penetralia ingredi audent, qui, tametſi penitus rudes omnium illarum bonarum artium, ſine quibus ad majores altioreſque diſciplinas nemini cuiquam aditus patet, & Philoſophiam & Medicinam, & Juriſprudentiam, ipſam denique, quæ ceterarum omnium diſciplinarum domina ac regina eſt, & vera ac ſumma ſapientia, Theologiam attingunt. At enim rectus doctrinæ ordo in primis poſtulat, ut Græcè quis ſciat. Quis enim Græcæ linguæ prorſus ignarus Platonem atque Ariſtotelem, principes illos ac duces philoſophiæ, reliquoſque ſummos philoſophos, benè intelligat, aut vim etiam proprietatemque verborum pernoſcat, qui-

bus

Digitized by Google

bus non ſatis perſpectis, neque ad originem ſuam reductis, ne ipſæ quidem res Philoſophiæ, aut medicinæ, aut juris civilis, aut Chriſtianæ etiam Theologiæ, accuratè exquiſitèque percipiantur? Poſtulat etiam doctrinarum ordo, ut nemo quiſquam, niſi in Geometriâ bene eruditus, ad Philoſophiam, aut medicinam, aut jurisprudentiam, aut divinorum quoque librorum interpretationem accedat. Quis enim Geometriæ funditus expers, ſatis rectè de mundo, rerumque naturâ philoſophetur, aut bene etiam capiat, quæ philoſophi de re civili, ac militari, quæ medici de re chirurgicâ vulnerumque curandorum ratione, quæ juriſconſulti de agrorum fundorumque diviſione, quæ denique ſacræ, inſtinctuque divino conſcriptæ, hiſtoriæ de ſingulari planèque admirabili arcæ Noëmicæ, templique Salomonici ſtructurâ commemorant? Poſtulat idem ipſe doctrinarum ordo, ut majorum omnium artium atque diſciplinarum ſtudia a Dialecticâ ſtudioſus quiſque diſcendique cupidus auſpicetur. Quis enim ſine Dialecticâ de rebus humanis atque divinis rectè tutoque ratiocinetur, quæ planè Dialectica, ut ſapientiſſimè quondam ſapientiſſimus ille Auguſtinus in libro ſuo De Ordine, docere docet ac diſcere? Poſtulat hic idem doctrinæ ordo, ut ne ſtudioſi optimarum litterarum adoleſcentes multò, quàm oportet, curioſiùs omnium rerum ſcientiam conquirant. Quis enim in rebus minimè omnium utilibus, atque adeo etiam noxiis, percurioſus, ad veram ſolidioremque doctrinam contendat, & non potiùs per vanos inutileſque libros, animi, non eruditionis cauſsâ, fruſtra atque otioſè pervagetur? Poſtulat denique ordo hic rectus doctrinæ, ut initio quiſque a rebus facilioribus ducto, inde ad difficiliora, per quoſdam veluti gradus, progrediatur, nec ante conquieſcat, quàm ad ſummam rerum omnium maximarum ſcientiam perveniat. Quis enim unquam difficiliora aſſequatur, qui faciliora minimè omnium perviderit, aut ad ſummum ſapientiæ faſtigium adſcendat, qui in primis duntaxat ſapientiæ gradibus ſemper ſibi manendum exiſtimaverit? Hæc igitur omnia quum recta ſtudiorum inſtituendorum ratio neceſſariò poſtulet ac requirat, quis ille mihi Theologus, qui locupletiſſimo reliquarum omnium diſciplinarum apparatu, veluti inſtrumento quodam ac ſupellectile in primis neceſſariâ, non ſeſe ad Theologiam præpara-

Digitized by Google

raverit? Quis ille mihi medicinæ ſatis peritus, qui nihil ſeſe penitus in Mathematicis, parùm in Phyſicis exercuerit? Quis ille mihi juriſconſultus, qui leviter Dialecticam, ne primoribus quidem labris Philoſophiam moralem guſtaverit, nullâque Græcæ Romanæque antiquitatis cognitione aditum ſibi ad jus civile patefecerit? Dicat hîc mihi unus aliquis adoleſcens, ſeſe uni duntaxat ac ſoli ex omnibus diſciplinis ſtudia omnia ſua dedicaſſe, eamque unam ac ſolam diſciplinam abunde ſibi ad omnem vitæ uſum ſufficere, neque Academiæ huic Piſanæ, matri atque altrici uberrimæ omnium doctrinarum, ſeſe unquam nomen dediſſe, ut ad omnem hîc erudiretur uſum liberalium omnium artium atque diſciplinarum; ſed ut de majoribus diſciplinis certam unam aliquam ac ſolam, puta Theologiam, aut juriſprudentiam, aut demum medicinam, per omnem vitam profiteretur. Sed tua vehementer te fallit opinio, adoleſcens, eòque fallit vehementiùs atque graviùs, quò diſciplina illa excelſior eſt atque altior, quam tute tibi pro merito ac dignitate profitendam ſuſceperis. Quis enim in litteris atque doctrinis paullò verſatior neſciat, quod a viris doctiſſimis veriſſimè atque acerrimè aſſertum fuit, diſciplinas arteſque liberaliſſimas, ex quibus univerſa perfectaque doctrina coaleſcit, communi quodam cognationis atque ſocietatis vinculo inter ſeſe contineri atque cohærere, quòque una aliqua diſciplina in altiori gradu atque ordine poſita eſt atque conſtituta, eò illam plura atque majora doctrinarum adjumenta requirere. Nego igitur, poſſe te, adoleſcens, perfectum conſummatumque Theologum evadere, niſi ad ſcientiam rerum divinarum, rerum quoque humanarum doctrinam, & totius ſacræ profanæque antiquitatis, Græcæque etiam linguæ cognitionem adjeceris. Nego, poſſe te juriſconſultum, hoc eſt, juris & æqui ſacerdotem, fieri, qualem te eſſe oportet, numeris omnibus abſolutum, ac veluti commune quoddam civium tuorum oraculum, niſi Dialecticam, omnemque philoſophiam, reliquaſque optimas artes, duces tibi atque magiſtras juris dicundi adſciveris. Nego, ſummum te atque perfectum in medicinâ eſſe poſſe, niſi ad rem medicam Geometriam atque Aſtrologiam ceteraſque artes Mathematicas adhibueris. Quid? nego, poſſe te, adoleſcens, ad eloquentiam adſpirare, aut oratoris grave illud & magnum nu-

munus ſuſtinere, niſi cum eloquentiâ doctrinarum omnium elegantiam conſociaveris. Nego denique, poſſe te artem ullam, quæ ad doctrinam atque eruditionem pertineat, perfectè aſſequi, niſi ceteras omnes, quæ connexæ inter ſeſe ſunt, atque aptæ, ſimul obtinueris. Teſtes appello interpretes illos divinos Religionis Chriſtianæ, viros doctiſſimos atque ſapientiſſimos, qui Chriſtianam Theologiam tum ſcriptis ſuis mirificè illuſtrarunt, tum omni argumentorum atque eruditionis genere ſive adverſus impios transfugas ac deſertores, ſive adverſus philoſophos exteros, acerrimè defenderunt. Quid elegantioris doctrinæ defuit Origeni, quid Hieronymo, quid Auguſtino, quominus, qui ſummi Theologi erant, iidem etiam ab omni humanarum diſciplinarum ſcientiâ celebrarentur? Num quia Origenes ab ineunte ætate totum ſeſe ad litterarum ſacrarum ſtudium contulit, non etiam Platonem, non Ariſtotelem, non priſcam illam Græcorum ſapientiam univerſam diligentiſſimè atque accuratiſſimè excoluit? Num quia Hieronymus divinos libros ſummâ curâ ac fide eſt interpretatus, non etiam in omni eloquentiæ humaniorisque eruditionis ſtudio eſt, quàm qui maximè, verſatus? Num quia Auguſtinus maximus Theologorum fuit, ceterorumque Theologorum magiſter, Philoſophorum doctrinas neglexit, qui in illis etiam omnibus doctrinis, atque in totius vel profanæ antiquitatis cognitione nemini cuiquam viſus eſt vel eruditiſſimorum atque doctiſſimorum virorum conceſſiſſe? Teſtes appello priſcos illos juriſconſultos, Philoſophiæ æquè atque juris antiſtites, eoſque ab omni eruditione atque diſciplinâ inſtructiſſimos, quorum tanta fuit in jure reſponſitando ſapientia atque auctoritas, ut de eorundem ipſorum reſponſis atque ſcitis meritò affirmaverim, quod de duodecim tabularum libello magnificè quondam atque ambitioſè in Oratore ſuo M. Tullius, iis mehercule priſcorum juriſconſultorum reſponſis Philoſophorum omnium bibliothecas & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperari. Num quia priſci illi juriſconſulti toti in condendo dicendoque jure occupabantur, non etiam Dialecticæ, omnique Philoſophiæ dies noctesque ſtuduerunt? aut non etiam ſeſe accuratâ veteris hiſtoriæ notitiâ, bonâque omni litteraturâ exornarunt, atque expoliverunt? Teſtes appello priſcos illos prin-

cipes atque auctores medicinæ, homines profectò natos ad ſalutem generis humani, ideoque a cunctis mortalibus, honoris gratique animi cauſsâ, maximè omnium celebratos. Num quia parens ille optimus Medicinæ Hippocrates præcepta primus dedit medendi, itaque ſeſe mediâ geſſit, ut neque ipſe unquam alios, neque alii eum unquam feſellerint, reliqua doctrinarum genera ignoravit, in quibus ille omnibus longè inter ceteros excelluit? Num quia Galenus curam atque operam in medicinam, ſecundùm Hippocratem, diligentiſſimam ac penè incredibilem contulit, non etiam Mathematicas diſciplinas, non Dialecticam, non Philoſophiam, non Oratoriam, non denique Grammaticam, ſtudioſiſſimè atque in primis ſedulò pertractavit? Teſtes appello veteres illos oratores, qui tantâ, quantâ fuerunt, eloquentiâ, admirabili illâ, ac divinâ, minimè certè extitiſſent, niſi omnem rerum quarumque maximarum ſcientiam conſecuti fuiſſent. Num quia Demoſthenes nervos omnes ingenii atque induſtriæ contendit, ut eloquentiæ ſibi in totâ Græciâ principatum vindicaret, adjumenta ſummæ perfectæque eloquentiæ adſpernatus eſt, quæ ſunt reliquæ omnes diſciplinæ? Num quia Cicero ita in eloquentiam incubuit, ut, Fabio Quinctiliano teſte, Cicero, jam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur, non eſt etiam quàm diligentiſſimè perſecutus ſtudia reliquarum omnium artium atque diſciplinarum? O viros illos ſapientiſſimos, atque immortalitate digniſſimos, qui quum ex tot tantiſque artibus uni præſertim ſeſe liberaliſſimæ diſciplinæ totos dediſſent, ceteras quoque omnes liberaliſſimas artes atque doctrinas ut ſibi adjungerent, tantopere laborarunt, ſine quarum pulcherrimo, ornatiſſimoque comitatu ne illam quidem unam perfectè atque integrè ſtare poſſe exiſtimarunt! Hæc vos exempla intueamini, oportet, optimi adoleſcentes, atque ad horum exemplorum imitationem vos ſtudiaque veſtra conformetis, ut, ſi fortè, magnorum illorum virorum exemplo, uni vos diſciplinæ præ aliis omnibus addixeritis, non ab ejus conſortio ceteras alias ſegregandas; ſed cum eâ quàm maximè conjungendas arbitremini, illudque unum ſupereſſe, ut, ne doctrinarum multitudine atque varietate ſtudia aliquando veſtra interturbentur, ea quàm optimo ordine diſponatis atque moderemini. Nam quid

ego

ego hîc dicam, Auditores, quàm multos, ingenioſos alioquin & laborioſos homines, ſtudiorum ſuorum malè inſtitutorum pœnituerit, qui, dum uni alicui doctrinæ unicè ſtuderent, aliis diſciplinis penitus neglectis, aut confusè, nulloque ordine percurſis, poſt magnos atque etiam incredibiles labores exantlatos, in eâ quoque, quam quærebant, doctrinâ, oleum ſeſe & operam perdidiſſe tandem animadverterunt? quum e contrario alii vel imbecilliori fortaſſe ingenio homines, quòd ſtudia omnium doctrinarum ſua ordine pertractarunt, in ſummos doctiſſimoſque viros evaſerint. Qua etiam de cauſsâ, Auditores, videre aliquando eſt, nonnullos de noſtris adoleſcentibus, optimo illos atque acerrimo ingenio, toto quaſi decurſo præſtantiſſimæ alicujus diſciplinæ, ut, exempli cauſsâ, Theologiæ, aut juris civilis, aut medicinæ ſpatio, alios exiguum ſane ex multis laboribus aut vigiliis doctrinæ fructum; alios verò multò maximum atque uberrimum reportaſſe. Quid enim in diſciplinis quibuſque difficiliora quæque atque reconditiora explanat atque exponit, niſi ordo? Quid obſcuriora quæque illuſtrat atque patefacit, niſi ordo? Quid totam, ſeu Barbaram, ſeu Græcam, ſeu Romanam antiquitatem, ſuperioremque omnium ætatum memoriam, & tempora, & locorum ac terrarum ſitus ſub unum veluti adſpectum ſubjicit, niſi ordo? Quid tandem laborem illum talem ac tantum in tot ac tantis, tamque variis, honeſtiſſimis artibus atque doctrinis levat atque imminuit, niſi ordo? Ordo facit, ut multas ſimul præclariſſimas artes clarè diſtinctèque doceamur, ordo, ut tanta illa rerum diſcendarum varietas nullam diſcentibus moram, nullumque impedimentum inferat, ordo, ut a primis uſque legendi & ſcribendi elementis ad ſummam rerum omnium ſcientiam non longo temporis curſu, neque multo ſanè labore progrediamur, ordo, ut temporibus omnibus in certa quædam ſpatia diviſis atque diſtributis, ſcriptores omnes & Græcos & Latinos, jam inde ab antiquiſſimis, ſua quemque ætatis ſerie gradatim perlegamus, ordo denique, ut quod ab homine uno in maximâ quaque re, atque in omni doctrinarum genere ſciri poteſt, totum id, quantum per humanas quidem vires licet, cognoſcamus. Ordinem hunc ſtudiorum, qui doctiſſimorum hominum uſu atque auctoritate eſt comprobatus, vobis ego etiam atque etiam commen-

mendo, optimi adoleſcentes, vobis commendant præceptores veſtri, homines omni doctrinâ excultiſſimi atque ornatiſſimi, qui, tametſi ſuam quiſque, pro commiſſo ſibi munere, diſciplinam profiteantur, tamen reliquas vobis vel perneceſſarias vel certè perutiles ſuo ipſi exemplo demonſtrant; commendat noſtra hæc Academia, quæ ſtudia omnia atque exercitationes veſtras in ſuas quaſque horas optimo ordine diſpoſitas eſſe voluit, ut diſciplinæ unius ſtudium obſtaret alteri atque officeret. Quem ſi vos ordinem in ſtudiis his veſtris diligenter ſervaveritis, brevi futurum ſpero, ut non eam modò, quam profeſſuri præcipuè eſtis, diſciplinam; ſed ceteras planè omnes, ſine quibus ne illa quidem perfecta eſſe poteſt, conſequamini.

ORATIO OCTAVA.

De laudibus Lotharingicis & Mediceis.

QUOD a Deo Optimo Maximo ego ſemper precatus ſum, Patres ſapientiſſimi, Auditores ornatiſſimi, ut noſtra hæc litterarum ſtudia pacis & otii ſummâ tranquillitate uterentur, & quod hìc Piſis, loco ad litteras atque doctrinas pertractandas totius Etruriæ maximè opportuno, ſapientiæ regnum Medicei principes fundaverant, magis magiſque ſtabiliretur atque propagaretur, ad gloriam Etruſci nominis ſempiternam; id tandem, Magno jam Etruriæ Duce, Franciſco Lotharingo, divinitus nobis obtigiſſe, tum ceteris omnibus, qui Etruſco nomine cenſentur, tum nobis præſertim, ad quos maxima hujus felicitatis pars pervenit, ſummopere lætandum. Si qua enim aurea unquam tempora fuerunt, qualia Mediceis certè principibus fuiſſe olim memorantur, profectò tempora hæc ſunt in primis aurea, cum felicitas, quam litteris omnibuſque bonis artibus atque diſciplinis in Piſano hoc Lyceo Magni illi Medicei Duces dederunt, aucta ſummè eſt atque cumulata Magni Ducis noſtri Lotharingi liberalitate. An non vaticinatio illa fuit viri doctiſſimi atque eruditiſſimi, qui ante centum & viginti annos, quum eandem hanc provinciam, quæ mihi demandata eſt, humanitatis atque eruditionis ſuſtineret, & de inſignibus Lotharingiæ familiæ gentilitiis, quodam veluti numine afflatus, ſubtiliùs diſputaret, tanquam ex Apollinis tripode, pronunciavit, bene omnino Lotharingæ genti cum Mediceâ gente convenire, hujuſque rei indicio eſſe lilia ſex illa aurea, quæ Duces Lotharingi ab Auſtraſiæ regibus, majoribus ſuis, inſigne olim gentilitium acceperunt: quorum quidem liliorum quædam veluti radix in ſex illis Mediceorum inſignium orbiculis conſpiceretur. Fuit illa ſanè divinatio. Neque verò illa inſignia quidquam portendere, aut præmonſtrare potuerunt. Sed eſt quædam in animis ho-

hominum neſcio quomodo aliunde impreſſa præſagitio , qua rem ſæpe , multò etiam ante , quam eveniat , præſentire divinitus videntur . Præſenſerant igitur homines jam inde ab eo tempore , quo Chriſtina illa Lotharinga , vice nepotis ſui Ferdinandi Medicei adoleſcentuli , Etruriæ cum imperio præſidebat , fore aliquando ut Ducibus Lotharingis avitum jam regnum , Etruria eſſet , &, quæ beatiſſima tunc erat , Academiæ hujus Piſanæ & litterarum conditio , per Magnos Duces Lotharingos renaſceretur. Quòd ſi tantâ hac fortunâ , tamque admirabili & divinâ , nobis maximè lætandum , quis , quæſo , dies ad lætitiam hanc concelebrandam aptior atque accommodatior , quàm hodiernus hic dies , quem ſtudiis noſtris auſpicandis ſolemnem atque legitimum majores noſtri eſſe voluerunt ? Agite , Auditores , geſtit oratio jam mea ſuam Etruriæ , ſuam litteris , ſuam Academiæ Piſanæ felicitatem gratulari , & Lotharingicas ſimul , & Mediceas laudes , divinas illas atque immortales , prædicare .

Neque verò eſt dubitandum , Auditores , quin utræque hæ laudes ſint cum litterarum laudibus conjunctæ atque conſociatæ . Nam Mediceæ quidem gentis quænam magis propria ac præcipua unquam laus , quàm quæ a litteris litterarumque patrocinio , uberrimè atque copioſiſſimè dimanat ? Intermortuæ a ſeptingentis ampliùs annis erant litteræ , bonæ omnes artes atque diſciplinæ in ſitu & ſquallore jacebant , omnia barbaries efferaverat , lingua Latina ab elegantiâ & nitore ſuo penitùs degeneraverat , ſummâ in ignoratione Græcarum litterarum Latini homines verſabantur, humanitas ferè ipſa politiorque litteratura in oblivionem & deſuetudinem venerat , elegantioribus quibuſque & melioribus ſtudiis nox apud Latinos ſempiterna offuſa eſſe videbatur . Quid plura ? Græcia , illa , inquam , Græcia , quæ , tametſi plurimum jamdudum ſordium contraxerat , tamen qualemcunque veteris eruditionis ſplendorem , ac veluti ſcintillam , conſervabat , Græcia , inquam , ipſa [dictu valde miſerandum !] barbara evaſerat , &, quæ ſedes olim ac caput humanitatis , arx jam facta erat atque propugnaculum barbariei , Græcæque ipſæ litteræ exules atque extorres e patrio ſolo profugerant . Hic ſtatus erat , hæc facies miſerabilis litteraturæ , cum Coſmus Medices ille ſenior , qui publico civium ſuo-

ſuorum decreto ſuæ pater patriæ eſt appellatus, accitis undique doctis viris, litteriſque Latinis atque Græcis in clientelam receptis, enixus eſt, atque effecit, ut non Latium modò, ſed etiam Græcia univerſa, in Etruriam commigraret: unde Coſmus, Latinis Græciſque copiis egregiè inſtructus, bellum barbariei intulit, eamque ex maximâ Europæ parte penitus profligavit. Quæ verò Europæ regio paullò excultior atque humanior, quò, reportatâ tandem a Coſmo pulcherrimâ clariſſimâque omnium victoriâ, trophæiſque de barbarie perilluſtribus conſtitutis, non hujus victoriæ fructus uberrimus pervaſerit? Teſtis eſt Italia, ad quam e fonte illo Mediceo omnis doctrinarum omnium elegantia copioſiſſimè profluit. Teſtis eſt Gallia, quæ non doctiſſimis modò atque elegantiſſimis viris e Coſmi domo in reconditis quibuſque atque interioribus litteris exornata eſt atque exculta; ſed etiam ſcriptis venerandæ antiquitatis codicibus Græcis locupletata. Teſtis eſt Germania, ad quam omnis inde diffuſa eſt doctrina atque eruditio. Teſtis eſt Britannia, quæ honeſtiſſimis hiſce atque optimis humanitatis ſtudiis ita inde, tamque ubertim, eſt irrigata, ut, quum Græca jam tum litteratura magno in pretio atque honore haberi cœpta eſſet, Plato poſtea atque Ariſtoteles, non niſi Græcè, in Oxonienſi Academiâ atque Cantabrigienſi prælegerentur. Teſtes denique omnes Academiæ, atque omnia gymnaſia, quæ ſtribligine antea ſermonis utebantur, poſtea, renatis per Coſmum Medicem litteris, ornatè & purè, hoc eſt, Latinè, neque Latinè modò, ſed etiam Græcè, loqui didicerunt. Sed hæc initia veluti fuerunt renaſcentium atque repullulantium litterarum. Illa, illa litterarum reſtitutarum incrementa, cum, quæ Coſmus ille Medices auſpicatò inchoaverat, nepos ejus Laurentius perfecit atque abſolvit. Quæ autem promeritis his Laurentii in optimas diſciplinas par unquam poſſit oratio inveniri? aut quid huc tandem, Auditores, afferri, quod dignum ejus ingenio, aut artium liberaliſſimarum, quas ille protexit, atque fovit, præſtantiâ atque amplitudine videatur? quem etiam Laurentium avo ſuo Coſmo in eo longè præferendum eſſe ajunt, quòd ille aliorum, hic cauſsâ etiam ſui, quippe litterarum optimarumque artium ſtudioſiſſimus, lectiſſimam ſibi atque locupletiſſimam bibliothecam comparaverit.

Quid

Quid enim per Deum immortalem in univerſo diſciplinarum orbe fuit, quod Laurentius non omnibus numeris abſolvendum atque exornandum curaverit? quid in arte Oratoriâ, quid in Poëticâ, quod Laurentius non ad ſummum faſtigium evexerit? quid in Philoſophiâ, quod Laurentius non ad altiſſimum excellentis doctrinæ gradum perduxerit? quid in Græcâ ac Romanâ antiquitate, quod Laurentius e tenebris in lucem non evocaverit? Ille Latinas Græcaſque Muſas non hoſpites modò, ſed etiam contubernales, ſibi eſſe voluit, ille doctiſſimos atque eruditiſſimos ætatis ſuæ homines in familiaritatem ſuam recepit, ille, quibus res domeſtica anguſtior omnes ad ſummam doctrinam aditus intercludebat, facilem liberalitate ſuâ aditum ad interiora quæque atque recondita ſummarum doctrinarum patefecit, ille honorem litteris ac litteratis hominibus maximum detulit, ille, ut Græcos ſibi undique libros, maximèque in Græciâ, redimeret, nulli unquam operæ, nullique ſumptui pepercit; atque adeò, quemadmodum Barbari Græcos imperio, ſic ille Græciam bonis ſcriptoribus boniſque libris ſpoliavit. Quid? maxima hæc Laurentii in litteras merita atque beneficia non ne hìc nobis, in hac ipsâ aulâ, intra hos ipſos parietes, ante oculos obverſantur? Adeſte huc, huc, inquam, adeſte, non animis modò, ſed etiam oculis, Auditores. Nam quòd Piſana hæc litterarum ſtudia ſedem hìc fixam atque ſtabilem habeant, quòd hìc in his ædibus, ſuo veluti in ſolio, ſeſe ſapientia magnificè regièque oſtentet, quòd hæc undique gymnaſia ſapientiſſimorum doctiſſimorumque virorum, hoc eſt, ſapientiæ ipſius, vocibus frequenter & aſſiduè perſonent, debemus nos Laurentio, qui ſacras haſce ædes a fundamentis excitavit atque extruxit, ſapientiæque Piſanæ, ac doctrinis omnibus dedicavit. Hoc verò tantum eſt, tamque prolixum ac ſingulare, Laurentii in litteras beneficium, ut, etiamſi, quæ plurima ac ſumma Laurentius in litteras beneficia contulit, minimè ipſe omnium contuliſſet, unum ac ſolum ad laudes hominis in omnem æternitatem celebrandas ſufficeret. Quandiu nanque nomen erit litterarum, nomen Academiæ Piſanæ, nomen Sapientiæ Piſanæ, nomen urbis Piſanæ, tandiu Laurentii Medicis nomen apud poſteros prædicabitur. Hìc ego quid dicam de Petro & Johanne, Laurentii filiis? quorum alterum ferunt

tum

tum in ceterâ omni litteraturâ, tum in Græcis litteris, adeò profeciſſe, ejus ut doctrinam, Græcique ſermonis facilitatem atque elegantiam Græci ipſi, qui frequentes Florentiam ventitabant, valde mirarentur; alter verò, Pontifex Maximus creatus, Leoque Decimus appellatus, tam impensè litteras coluit, tamque benignè atque liberaliter litteratos homines eſt complexus, ut, qui pater orbis terrarum legitimo ſuoque apud Chriſtianos titulo vocabatur, pater etiam litterarum nuncuparetur, &, quod ad litteras humaniores attinet, aurea Auguſti tempora Romæ reſtituiſſe putaretur. O tempora illa Leonis Decimi verè aurea, cum ſummo homines ingenio ampliſſimis præmiis ad perſequenda bonarum artium ſtudia invitabantur, cum iis, qui veteres ſcriptores deperditos e tenebris eruiſſent, magna merces perſolvebatur, cum doctrina atque eruditio in gradu dignitatis eminentiori collocabatur, cum Pontificis illius maximi atque doctiſſimi amores atque deliciæ ſtudia quæque humanitatis habebantur, cum denique litteræ Græcæ atque Latinæ Leonis Decimi liberalitate altæ atque ſuſtentatæ, incrementa multò omnium maxima accepiſſe videbantur. Quis hîc veſtrum, Auditores, ſibi facilè perſuadeat, poſt Leonem illum Decimum, auctâ jam ſummis opibus atque honoribus litteraturâ, ad talem hanc & tantam Mediceorum hominum erga litteras beneficentiam quidquam unquam adjici atque adjungi potuiſſe? Et tamen, Coſmo illo Magno, ad Etruriæ poſtea principatum evecto, tanta facta eſt meritorum Mediceæ gentis erga litteras bonaſque diſciplinas acceſſio, ut clariſſima illa atque ſplendidiſſima ſuperioris memoriæ exempla, veluti lumen ſtellarum luce ſolis, Coſmi Magni, reliquorumque Magnorum generoſæ illius ſtirpis Ducum ſtudiis & liberalitate obſcurata quodammodo fuerint atque offuſa. Qua enim Coſmus ſapientiâ erat, incredibili ac propemodum divinâ, quum in parvo mediocrique imperio magnam Auguſti fortunam ſtudiosè æmularetur, induſtriam omnem ſuam in eo etiam poſuit, ut Auguſtum ipſum in liberalibus artibus protegendis atque ornandis non æquaret modò, ſed etiam ſuperaret. Deus immortalis! Poteſt ne quidquam majus, atque etiam admirabilius dici, quàm Coſmum Medicem, Ducem illum Etruriæ, imperii magnitudine, & armorum potentiâ, tantò minorem Auguſto, multò Auguſto

Digitized by Google

majorem beneficiorum erga litteras magnitudine extitiſſe? Auguſtus, maximus ille terrarum orbis imperator, omniumque gentium Romani orbis dominus, pecunias non adeo multas in litteratos homines non adeò multos impendit: neque hæc quantacunque ejus in litteras optimaſque artes liberalitas valde diuturna fuit; ſed vitæ ejus terminis circumſcripta eſt atque definita. Coſmus, Dux Magnus Etruriæ, multò ille quidem minor dominator, Etruriæ ſuæ totius theſauros in litteras fovendas atque amplificandas profudit: neque hanc liberalitatem ſuam paſſus ipſe eſt ſecum extingui, aut ad paucos duntaxat homines pertinere; ſed eam ad plurimos longiſſimè latiſſimèque propagavit, atque ad omnem poſteritatem. Quis enim Academiam hanc Piſanam, lucem Etruriæ, arcem omnium doctrinarum, domicilium ac ſedem ſapientiæ, labentem ferè hominum negligentiâ atque inclinatam, reparavit atque inſtauravit, niſi Coſmus? quis eam jacentem atque afflictam excitavit, niſi Coſmus? quis, ſtudiorum bonarum artium jam pretiis imminutis, nudam antea atque inopem, certis atque annuis beatioris feliciorisque Etruriæ proventibus locupletavit atque auxit, niſi Coſmus? quis liberales omnes diſciplinas, quæ hîc Piſis a ſummis & celeberrimis viris docerentur, egregiè perpetuòque dotatas reliquit, niſi Coſmus? quis denique, niſi Coſmus, hanc ipſam Academiam, Summis Summæ doctrinæ atque eruditioni præmiis tributis, nec niſi Summis totoque orbe claris hominibus in Academicorum collegium cooptatis, eò honoris atque dignitatis extulit, ut nulli cuiquam celeberrimarum toto terrarum orbe Academiarum ſecunda, plurimarum certè eſſe tunc princeps videretur? Quibus ego te laudibus efferam, Coſme, cujus ſolerti curâ atque providentiâ bonæ omnes artes atque diſciplinæ, earundemque artium præclariſſima quæque ac nobiliſſima ſtudia, non ad Etruriæ modò atque Italiæ; verum etiam Europæ totiuſque terrarum orbis, utilitatem, recreata ſunt atque refloruerunt? Benefactum hoc tuum, divinum eſt atque immortale, neque unius hominis ingenio atque eloquentiâ ſatis pro dignitate celebrandum. Mitto, Coſme, ceteras virtutes tuas, mitto belli paciſque artes eximias, mitto ſapientiam illam tuam ſingularem, qua quum Etruriæ tuiſque populis Summam felicitatem pepereris, veriſſimum

Digitized by Google

mum re ipsâ comprobaſti, quod philoſophorum ſapientiſſimus divinè ac ſapientiſſimè protulit, beatas tum demum fore reſpublicas, in quibus aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur. Optimam hanc Coſimus atque pulcherrimam hereditatem poſteris ſuis Magnis Ducibus Etruriæ Mediceis reliquit: qui omnes quum pro ſuis quiſque viribus, eam auxerint atque amplificaverint, optimorumque Ducum partes univerſas bene præclarèque expleverint; tamen eorum quiſque eò melior atque laudabilior cenſeri & poteſt, & debet, quò propiùs atque perfectiùs Coſmum illum Magnum imitatus eſt, &, tanquam abſolutum regnandi exemplar, tum in ceteris aliis rebus, tum maximè in litterarum, Piſanique hujus Athenæi patrocinio, retulit in ſemetipſo atque expreſſit. Quò majori nobis nunc gaudio exultandum ſit, quòd regnum hoc Etruriæ a Magno illo Coſmo bonis auſpiciis, ac virtute fundatum, tandem veluti per manus ad Franciſcum III. Lotharingiæ Ducem, devenerit. Sentio, me paullatim, Auditores, in eam orationis meæ partem eſſe delapſum, quæ eſt de laudibus Lotharingicis: cujus quidem orationis in tantâ rerum copiâ nihil difficilius ſit, quàm modum & certam quandam rationem tenere. Nec verò mihi nunc propoſitum eſt laudationem panegyricam facere. Nam ſi artifex ille, & pater eloquentiæ Iſocrates, cujus domus officina quædam fuit dicendi, decem, aut etiam, Si Deo placet, quindecim annos fertur panegyricam orationem ſuam de Athenienſis urbis laudibus elaboraſſe, quî ego me ſperem, mediocri hominem ingenio, ac tenui, ſeu nullâ potiùs eloquentiâ, intra perbreve hoc tempus, orationiſque hujus meæ anguſtias, divinas tuas, Magne Dux Franciſce, majorumque tuorum laudes ſatis commemoraturum? Conabor tamen, quantum potero, partem aliquam earum laudum attingere atque delibare. Quanquam, cum maximis modo laudibus Mediceos homines, ac Magnos Duces afficiebam, multò potiori jure heroës quodammodo Lotharingos collaudare ipſe mihi videbar: qui a bonarum litterarum patrocinio, atque a ceteris omnibus pacis artibus præclariſſimis, eò mihi magis celebrandi eſſe videntur, quòd militari etiam fortitudine præſtiterunt, & pericula plurima atque graviſſima, quæ in rem Chriſtianam ab hoſtibus immaniſſimis imminebant, armis atque victoriis

Digitized by Google

riis a Chriſtiano longè orbe propulſarunt. Jam verò, conſtituto Magno Etruriæ Duce Franciſco III. Lotharingo, quantâ & quàm incredibili voluptate gens Etruſca perfuſa eſt, cum planè liquidòque perſpexit, Magnos ſibi nunquam optimoſque Duces defuturos, qui rem Etruſcam Etruſcique nominis majeſtatem ſervarent atque augerent. Quod quum tute, Franciſce, Etruriæ jam tuæ plenè cumulatèque præſtiteris, quo te unquam nomine appellem? Tu ſalutis noſtræ auctor, tu Etruſcæ dignitatis aſſertor, tu priſtinæ noſtræ felicitatis reſtitutor, tu pater nobis patriæ. Tua enim jam Lotharingia, Franciſce, noſtra hæc Etruria. Hæc tibi domus paterna, hoc tibi avitum regnum, hæc tibi patria, Etruria: quæ a te ſervata, patrem quoque te ſuum, amoris atque honoris, gratique animi cauſsâ, agnoſcit, confitetur, cunctiſque omnium ſuffragiis appellat. O nos beatos, quibus datus es divinitus pater, & talis pater, qualem neque meliorem, neque noſtrum amantiorem, optare nunquam potuiſſemus! O beatam feliciemque Etruriam; quæ in extremum pene diſcrimen ſalutis adducta, ſic inde, te auctore atque auſpice, evaſit, ut nunquam antea beatior atque felicior fuiſſe videatur! O diem illum fortunatum, & melioribus planè lapillis nobis conſignandum, quo, miro ordinum omnium Etruriæ conſenſu, maximoque populorum plauſu, Senatu Florentino verba præeunte, atque in ea verba jurante, Sanctiſſimo jurejurando tibi nos devinximus, tibi nos noſtraque omnia libentes volenteſque tradidimus, tuoſque nos fore, perpetuòque tibi, tanquam optimo & clementiſſimo patri, ſubjectos atque obedientes polliciti ſumus! Illud enim mehercule initium ac fundamentum totius noſtræ felicitatis. Quoniam vero maxima pars felicitatis eſt ſecuritas, ſine qua beata civium vita nullo modo eſſe poteſt, quæ & quanta eſt, Auditores, noſtra hæc felicitas, quorum ſumma atque firmiſſima eſt per Magnum Ducem noſtrum Franciſcum Lotharingum ſecuritas? Quis enim Franciſco aut ad bella profliganda, ac repellenda fortior, aut ad pacem & tranquillitatem tuendam ſapientior? Minervam, quæ dea eſt ſapientiæ fabulati ſunt Poëtæ, humaniorum ſimul litterarum diſciplinis ac bellicis rebus præſidere: ut hac nimirum ratione ſignificarent, utramque illam & militiæ & ſapientiæ laudem ſociatam inter ſeſe ple-

Digitized by Google

plerunque eſſe atque conjunctam. Quotus enim quiſque eſt ab omni hominum memoriâ ſummorum ducum, atque imperatorum, qui non etiam Sapientiæ atque litterarum liberaliſſima ſtudia excoluerit, atque in utrâque illâ & ſapientiæ & fortitudinis laude non quàm maximè excelluerit? Teſtem cito Alexandrum illum Magnum, teſtem C. Julium Cæſarem, teſtem Carolum illum Magnum, teſtes Duces Lotharingos, viros fortiſſimos atque ſapientiſſimos, qui militiæ & litterarum ſtudia ſuperioribus ſemper temporibus acerrimè conſectati, utrâque illâ ſimul laude ſummopere floruerunt. Sed, quoniam ita naturâ comparatum eſt, ut quæ unâ in familiâ in varios diverſoſque ſubinde homines ſumma atque præclara diſperſa fuerant, in unum aliquando divinitus congregentur, atque conveniant; quis, quæ Ducibus ſingulis Lotharingis præcipua antea atque eximia fuerunt, belli ac pacis ornamenta, non ſimul omnia in unum tandem Franciſcum collecta eſſe fateatur? quem Divus Carolus Cæſar, qua eſt ſapientiâ, ſingulari ac pene divinâ, unum omnium digniſſimum judicavit, cui filiam ſuam natu maximam, eandemque regnorum ſuorum heredem, Tereſiam Auſtriacam, eximiâ pulchritudine ac Sanctimoniâ feminam, omnique virtute ornatiſſimam, in matrimonium collocavit. Bellicæ illæ artes ſunt, quæ in ſummo imperatore requiruntur, ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas. Quis autem Franciſco rei militaris ſcientior, qui parvâ manu innumerabiles hoſtium copias aut vicit, aut repreſſit, aut retardavit? Quis virtute Franciſco præſtantior, qui in ſummis atque graviſſimis periculis exemplum ſeſe fortitudinis bellicæ militibus ad imitandum propoſuit, ſummâque innocentiâ, fide atque temperantiâ bella adminiſtravit? Quis propter magnam heroicæ cujuſdam atque excellentis virtutis opinionem, auctoritate Franciſco illuſtrior, quem ſic reveriti ſunt milites ac coluerunt, nulli ut alteri cuiquam imperatori obedientiores ſeſe atque obſequentiores vel in maximis diſcriminibus præſtiterint? Jam verò quum pacis artes variæ ac plurimæ ſint, eæque omnes præclariſſimæ ſimul atque difficillimæ, quibus populorum quietè inter ſeſe, & cum finitimis agentium tranquillitas ferè atque felicitas continetur, quis ab iis omnibus artibus non ſummis ad cœlum laudibus Franciſcum extollat? Experta

Digitized by Google

ta eſt nuper maximo ſuo bono & experitur Etruria, quantâ is curâ atque providentiâ populis ſuis conſulat, quàm legitimè atque æquabiliter juſtitiam adminiſtret, quàm rectè atque ſapienter clementiâ juſtitiam temperet, qua & quantâ æquitate ſummi juris rigorem mitiget, qua & quantâ prudentiâ omnes res civiles moderetur, quàm amantem denique ſeſe ſuorum & publici boni ſtudioſum exhibeat. Hæc omnia, procul a nobis agente Magno Duce noſtro Franciſco III. Lotaringho, reique Chriſtianæ cauſsâ difficillimum & graviſſimum bellum cum barbaris impiiſque hoſtibus in ultimis Pannoniæ finibus gerente, hæc, inquam, omnia, quæ dixi, beata felixque Etruria ſentit interea atque experitur per viros prudentiſſimos atque ſapientiſſimos, quibus ille vice ſui rem Etruſcam regendam commiſit. Qua ipsâ in re quis divinam verèque ſingularem Magni Ducis noſtri ſapientiam non admiretur, qui ipſe per ſeſe diſcreverit, ſummæque rei Etruſcæ viros tales præfecerit, qui de publicis privatiſque rebus deliberaturi, fidem ſemper ac probitatem in conſilium adhibeant? aut quis paullò prudentior atque perſpicacior animi conſiliique ejus magnitudinem non inde facilè metiatur atque ſuſpiciat, quòd viros vitæ integritate atque ſanctimoniâ, virtutiſque ingenii excellentiâ magnos per ſeſe atque illuſtres, ad rempublicam nomine ſuo adminiſtrandam admoverit? Quòd ſi ille abſens longèque remotus vim beneficentiæ ſuæ talem ac tantam latè in Etruriam diffundit, quid fore unquam cenſeamus, ſi ipſe per ſeſe Etruriam inviſat, ipſe ſemet Etruriæ ſpectandum ac fruendum præbeat, concurrentem ad ſeſe Etruriam, ſibique omni lætitiæ geſtu plaudentem, ipſe amanter complectatur? Atque hæc porro votorum Etruriæ ſumma eſt; idque unum ac ſolum ſupereſt ad perfectam atque abſolutam Etruriæ felicitatem. Jamque novo hoc ſuo atque eximio ſplendore Etruria mirum in modum lætatur, jamque omnino, Franciſce, ac certiſſimè ſperat, te dominum ac regem ſuum omnem deſiderii ſui expectationem adventu tuo brevi eſſe expleturum, ut tuo ipſa ſub imperio in ſuam priſtinam potentiam ac magnitudinem reſtituatur. Ac videor jam mihi univerſam Etruriam, ſedibus ſuis veluti relictis, obviam tibi prodeuntem; jamque te triumphali pompâ, inter populorum plauſus atque acclamationes, in nobiliſſimam hanc atque cla-

Digitized by Google

clariſſimam, quondam etiam totius Etruriæ potentiſſimam urbem, Piſas, jamque in Muſeum hoc Etruriæ, in hanc noſtram Academiam, atque in hoc ipſum magnum ſapientiæ atque eloquentiæ gymnaſium, ingredientem videre; itaque jucundiſſimâ hac dulciſſimâque cogitatione abripitur atque exultat animus meus, vix ut mihi temperem, quin tibi, quaſi præſenti, orationem de laudibus tuis, qualem me certè habiturum eſſe confido, habeam nunc ex hoc ipſo ſummæ auctoritatis loco Panegyricam. Nunc verò in communi hac Piſarum, totiuſque Etruriæ expectatione, quid Piſis, quid litterarum ſtudiis, quid nobis, qui ſtudia hæc litterarum profitemur, hodieque a nomine tuo, veluti tutelaris cujuſdam numinis, bonis ominibus ac votis auſpicamur, quid tandem matri huic ſtudiorum, florentiſſimæ huic totoque terrarum orbe celebratiſſimæ Academiæ, de patrocinio ac liberalitate tuâ non ſperandum? quando aurea illa litterarum ac doctrinarum tempora, illa, inquam, tempora, quæ hîc Piſis ſub Chriſtinâ Lotharingâ heroinâ, florentibus maximè propter præmiorum ubertatem atque opulentiam litteris, fuerunt; Magno jam te Etruriæ Duce, Franciſce Lotharinge, auctâ atque amplificatâ ſtudiorum noſtrorum dignitate, multò etiam beatiora atque feliciora redierunt.

ALE-

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONES

IN EUSTATHIUM

AD

DIONYSIUM PERIEGETAM.

ROMÆ
Ex Typographio Paleariniano.
ANNO REP. SAL. CIↃ. IↃCC. XLII.

CVM APPROBATIONIBVS.

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Johanni Ducæ inſcripti ab Euſtathio Commentarii in Dionyſium. Titulus honoris, πανσεβαστος. Johannes Ducas, Andronici Camateri filius. Ducas, nomen gentis, & officii. Ducum dignitas. Codinus ſemel atque iterum emendatus. Τȣ͂ ἐπὶ τῶν δεήσεων munus. Sebaſti dignitas Palatina. Ex Sebaſto plures factæ ab Alexio Comneno dignitates. Magnus Drungarius, alius τῆς βίγλης, alius τȣ͂ στόλȣ. Magnus Drungarius alterius dignitatis acceſſione cohoneſtatus.

PROPOSITUM mihi in his libris animadverſiones in Euſtathium ad Dionyſium Periegetam ſcribere; eademque ſimul operâ Dionyſium ipſum Periegetam, & antiquam Geographiam, atque adeo, ubi res antiquitatis, & Geographiæ potiſſimùm, tulerit, Græcorum ſubinde Latinorumque ſcriptorum loca, commodùm illuſtrare. Inſcripſit Euſtathius ſuos in Dionyſium Commentarios Johanni Ducæ, Andronici Camateri Filio. Titulus eſt in libris hujuſmodi: Πρὸς τὸν πανσέβαστον Δȣ͂καν κύριον Ἰωάννην, τὸν μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῶν δεήσεων, τὸν ὑὸν τȣ͂ πανσεβάστȣ Σεβαστȣ͂, καὶ μεγάλȣ Δρȣγγαρίȣ, κυρίου Ἀνδρονίκȣ τȣ͂ Καμάτηρος, Εὐσταθίȣ διακόνȣ ἐπὶ τῶν δεήσεων, καὶ μαΐστωρος τῶν ῥητόρων, τȣ͂ καὶ ὕστερον γεγονότος ἀρχιεπισκόπȣ Θεσσαλονίκης, ἐπιστολὴ ἐπὶ ταῖς Διονυσίȣ

τῦ περιηγητῦ Παρεκβολαῖς· μεθ᾽ ἣν προοίμιον εἰς τὸ πρᾶγμα· καὶ μετὰ τὸ προοίμιον, αὐταὶ αἱ παρεκβολαί. Titulus hîc honoris, πανσέβαστος, qualis ferè apud Latinos, *admodum venerandus*, ſeu *venerabilis*. Idem etiam ſtatim titulus attributus Sebaſto, Magnoque Drungario, Andronico Camatero, Johannis hujus Ducæ patri. ut & in Novellâ II. Manuelis Commeni, τῇ περὶ διαφόρων ὑποθέσεων· πανσέβαστος Σεβαστὸς, καὶ μέγας Δρουγγάριος. Et in inſcriptione Epitomes Juris Canonici, Conſtantino Harmenopulo auctore: Ἐπιτομὴ τῶν θείων, καὶ ἱερῶν κανόνων, γενομένη παρὰ τῦ πανσεβάστου Σεβαστῦ, καὶ Νομοφύλακος, καὶ κριτῦ Θεσσαλονίκης, κυρίου Κωνσταντίνου τῦ Ἁρμενοπούλου. Epiſtolâ Synodicâ Johannis Camateri Archiepiſcopi Conſtantinopolitani: Εὐδοκίᾳ, τῇ αὐταδέλφῃ τῦ πανσεβάστου Σεβαστῦ, κυρίου Κωνσταντίνου τῦ Βοϊωάννου. & paullò poſt: τῆς αὐταδέλφης δηλονότι τῦ πανσεβάστου Βοϊωάννου. Sic honorificè appellat Euſtathius Δούκαν κύριον Ἰωάννην. Quidam hîc Δούκαν gentile nomen intelligunt, de gente nimirum, ſeu familiâ perilluſtri Ducarum: perinde quaſi hic Joannes Ducarum gentem aliquo neceſſitudinis, ſeu affinitatis gradu attigerit; ideoque Ducæ ſibi cognomen aſſumpſerit. Sed, quum Andronici Camateri filius idem ipſe dicatur, mihi fit magis veriſimile, τὸ Δούκαν, ſeu, ut codex meus membraneus habet, Δοῦκα, nomen hîc eſſe officii, non gentis; & Johannem hunc fuiſſe Camaterum, eundemque Ducis, ſeu Ducæ, dignitate inſignitum. Nota illa in Imperio Conſtantinopolitano Ducum dignitas: quorum longè princeps, μέγας Δοὺξ, *magnus Dux*, appellatus. Fuerunt autem & alii Johannes Camateri, ut Johannes ille Camaterus ὁ ἐπὶ τῦ Κανικλείου, Patriarcha poſtmodum Bulgariæ, cujus in Alexio Comneno, Manuelis filio, meminit Niceta; & Johannes Camaterus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ſucceſſit Georgio Xiphilino. Ceterùm malè hîc ſcribunt Δοῦκαν, προπερισπωμένος· pro quo aut legendum, ut in codice meo ms. Δοῦκα, a recto Δοὺξ· aut Δούκαν, παροξυτόνως, a recto Δούκας. Utriuſque ſimul vocis exemplum in his verbis Nicetæ: ὁ μέγας Δοὺξ Ἀνδρόνικος ὁ Κοντοστέφανος, ὁ μέγας Ἑταιρειάρχης Ἰωάννης Δούκας. niſi quòd hîc in Nicetâ τὸ Δούκας cognomen eſt Johannis, magni illius Hetærearchæ, de gente Ducarum; alibi verò nomen eſt officii atque digni-

dignitatis, ut in Nicetâ in Manuele Comneno lib. 2. μέγαν Δούκαν προβαλλόμενος τῷ ἐπ' ἀδελφῇ γαμβρὸν τὸν Κοντοςέφανον Στέφανον. Simile olim ſcripturæ vitium in Codino cap. 5. De Offic. Aulæ Conſtantinopolitanæ, ubi de Ameralii munere: Ὁ Ἀμηράλιος ὑπὸ τὸν μέγαν Δοῦκαν δέρχεται. Namque ibi etiam pro Δοῦκαν, rectè alii emendarunt Δοῦκα. niſi forte malimus Δούκαν. quod perinde eſt. Sequitur in Titulo de Johanne illo Ducâ: τὸν μετὰ ταῦτα ἐπὶ τῆς δεήσεων. Qui a ſupplicibus libellis, is Græcis ὁ ἐπὶ τῆς δεήσεων. Hoc in Aulâ Conſtantinopolitanâ munere Johannes Andronici Camateri filius poſtea functus eſt, quàm ei Euſtathius ſuos in Periegetam Commentarios dedicaverat. Hujuſce etiam muneris functio expoſita a Codino Curopalatâ: Ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων δέχεται τὰς τῶν αἰτούντων, καὶ τῶν ἀδικουμένων ἀναφορὰς, καβαλλαρίου διερχομένου τοῦ βασιλέως. Corrupta erat lectio in iis libris, ex quibus Codinum nobis repræſentavit Franciſcus Junius. Nan pro ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων, ſcriptum erat ὁ ἐπὶ τῶν δικάσεων· quod Junius interpretabatur, *præfectus litium*. Sed ſcribendum certò fuiſſe, ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων, tum aliunde manifeſtiſſimè patet, tum ex iis etiam Palatinarum Dignitatum catalogis, quos ex veteribus libris ad Codinum adjecit Jacobus Goar. Catalogus Officiorum Palatii editus a Leunclavio in Jure Græco Romano: μδ΄ ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων. Cui ſanè catalogo conſentit & qui editus eſt a Bernardo Medonio ex ms. codice Caroli Monchalli, Archiepiſcopi Toloſani. Eſt & in titulis Andronici Camateri, τοῦ πανσεβάςου Σεβαςοῦ· id-eſt *admodum venerabilis Sebaſti*. Dignitas & hæc Sebaſti Palatina. Nicephorus Cæſar Bryennius refert, hac dignitate a Nicephoro Botaniatâ Imperatore donatos fuiſſe fratres duos Comnenos, Alexium & Iſaacium. Ac fortaſſe primo omnium tributa hæc dignitas fuit Alexio, de quo ita narrat Anna ejus filia: Ταῦτα μὲν ἔσω πλεονεκτήματα, καὶ πρὸ τοῦ θρόνου κατορθώματα, τῷ Κομνηνῷ Ἀλεξίῳ, ὧν ἁπάντων γέρας ἀπέλαβε παρὰ τοῦ Αὐτοκράτορος τὴν τοῦ Σεβαςοῦ ἀξίαν, Σεβαςὸς ἀναῤῥηθεὶς ἐκ μέσης συγκλήτου. Nam prima quidem Sebaſta a Conſtantino Monomacho renunciata multò ante fuerat pellex ei in primis chara Scleræna. Inde autem ex Sebaſto, quod unius tantùm Imperatoris cognomen olim, propriumque epitheton erat, variè hoc nomine conformato, ab Alexio illo Co-

Digitized by Google

Comneno, poſt adeptum Imperium, plures excogitatæ ſunt dignitates, Sebaſtocrator, Protoſebaſtus, Panyperſebaſtus. Anna Comnena filia: Τούτων δὲ τῶν ἀξιωμάτων τὴν καινοτομίαν ὁ ἐμὸς πατὴρ προσεξεύρατο. Τὰ μὲν συνθεὶς, καθάπερ ἄνωθεν εἴρηται, τοῖς δὲ καὶ παραχρησάμενος. Τὸ μὲν γὰρ Πανυπερσέβαστος, καὶ Σεβαστοκράτωρ, καὶ ὅσα τοιαῦτα συντέθεικε κατὰ γνώμην, τῇ δὲ τοῦ Σεβαστοῦ ἀξίᾳ παραχρησάμενος φαίνεται. Σεβαστοὶ γὰρ οἱ βασιλεῖς ἀνέκαθεν ἐπιθετικῶς ὠνομάζοντο, καὶ ἦν ἐξιδιαζόντως εἰς βασιλέας λεγόμενον τὸ τοῦ Σεβαστοῦ ὄνομα. Αὐτὸς δὲ εἰς τὸ κοινότερον πρῶτον κατήνεγκε τὴν τοιαύτην ἀξίαν. Alter Andronici Camateri titulus, καὶ μεγάλου Δρουγγαρίου· ideſt, magni Drungarii τῆς βίγλης, ut paullò poſt dicemus. Nam & alius fuit magnus Drungarius τοῦ στόλου. quam differentiæ notam, perſpicuitatis cauſsâ, appoſuit Anna Comnena in his verbis de Nicephoro, fratre natu minimo Taronitæ, eodemque Sebaſto, magnoque claſſis Drungario: καὶ Νικηφόρος ὁ ὕστατος ἀδελφὸς μέγας τε Δρουγγάριος τοῦ στόλου προυβέβλητο, καὶ εἰς τὴν τῶν Σεβαστῶν καὶ οὗτος ἀνηνέχθη βαθμίδα. De magno utroque Drungario, ejuſque diſcrimine breviter Codinus: Ὁ μέγας Δρουγγάριος τοῦ στόλου τὸν αὐτὸν λόγον ἔχει πρὸς τὸν μέγαν Δοῦκαν, ὃν ὁ τῆς βίγλης μέγας Δρουγγάριος πρὸς τὸν μέγαν Δομέστικον. Neque tamen diſtinxit Manuel Comnenus Novellâ II. τῇ περὶ διαφόρων ὑποθέσεων, in illis verbis: Φροντίσουσιν ὅ τε πανσέβαστος Σεβαστὸς, καὶ μέγας Δρουγγάριος, καὶ οἱ μεγαλοεπιφανέστατοι, ὅ τε Πρωτασηκρῆτις, καὶ ὁ Δικαιοδότης. Quo etiam loci magnum accipio Drungarium τῆς βίγλης, cujus item fuerit, quod ibidem dicitur, δικαστήριον. Uterque ille magnus Drungarius, ὅ τε τοῦ στόλου, καὶ ὁ τῆς βίγλης, illis quidem temporibus, non unâ ſolâque hac Dignitate Drungaricâ; ſed & alterius tituli ac dignitatis acceſſione cohoneſtatus videtur, puta, Sebaſti, & Curopalatæ, aut alterius etiam tituli hujuſcemodi. Et de magno quidem Drungario τῆς βίγλης, qui ſimul fuerit Curopalata, planè conſtat ex Novellâ Alexii Comneni, περὶ τῶν ἐκκαλουμένων κατὰ ἀποφάσεως δικαστικῆς· τοῦ Κουροπαλάτου Νικήτα, καὶ μεγάλου Δρουγγαρίου τῆς βίγλης, τοῦ Σκληροῦ, ὑπομνήσαντος. Alexius idem Comnenus in Reſcripto ad Joannem Thraceſium, magnum Drungarium τῆς βίγλης, quæ eſt ejus Novella περὶ διαλύσεως μνηστείας· μεγαλεπιφανέστατε

Κυ-

Κȣροπαλάτῃ, καὶ μέγα Δρȣγγάριε τῆς βίγλας. Inſcripta eſt Ὑπόμνησις τȣ̃ Κȣροπαλάτȣ καὶ μεγάλȣ Δρȣγγαρίȣ τῆς βίγλας, κυρίȣ Ἰωάννȣ τȣ̃ Θρακησίȣ. Curopalatam & Magnum Drungarium vocat etiam Alexius Comnenus in Novellâ τῇ ὑπαγορευθείσῃ παρὰ τȣ̃ Σελομῶντος, περὶ τȣ̃ ἐντὸς τῶν ιέ ἡμερῶν τȣ̃ ξιμήνȣ παράγεσθαι τὴν μαρτυρίαν· τȣ̃ μεγαλεπιφανεστάτȣ Κουροπαλάτȣ, καὶ μεγάλȣ Δρȣγγαρίου. Ubi ſine dubio magnum dicit Drungarium τῆς βίγλης. Unde magni hujus Drungarii τῆς βίγλης facilè intelligas δικαστήριον τὸ Δρȣγγαρικὸν, quod poſtea nominatur in Exemplo latæ ſententiæ, ad Novellam illam adjecto. Sic Andronicus Comaterus, Johannis Ducæ pater, magnus τῆς βίγλης Drungarius, & idem Sebaſtus.

CAPUT II.

Inſcriptio Euſtathiana emendata. Andronicus Camaterus. Tzetzis de eo querimoniæ. Pravè is ſcripſit de Spiritu Sancto; ideoque a Vecco confutatus. Laudatus is tamen ab elegantiâ elocutionis. Alii quoque Græci erroris, atque σχίσματος *auctores enumerati. Euſtathius, diaconus magnæ Eccleſiæ.* ἡ Φλώρȣ μονή. *Bandurius confutatus. Flori & Calliſtrati monaſteria diverſa. Codinus explicatus. Florentii monaſterium idem ac Flori. Florentii duo, alius tempore Arcadii; alius tempore Conſtantini. Patricii Romani a Conſtantino Conſtantinopolim traducti. Martyres percelebres Florus & Laurus. Codini Excerpta emendata. Flori monaſterium unde appellatum. Euſtathius monachus in Monaſterio Flori.* Τȣ̃ ἐπὶ τῶν δεήσεων *munus. Quo tempore diaconus Euſtathius.*

Libri editi Euſtathii: Ἀνδρονίκȣ τȣ̃ Καμάτορος. Ubi pro Καμάτορος meus codex, Καματηρȣ̃. Unde confirmatur conjectura Caroli Freſnæi, reſtituentis, quod reſtituendum utique eſt, Καματηρȣ̃. Eſt ille Andronicus Camaterus, Sebaſtus, Manuelisque Comneni Imperatoris propinquus, memoratus Cinnamo cum iis clariſſimis & perilluſtribus viris, quos Manuel Imperator Antiochiam miſit, ut ſibi Mariam, Raimundi filiam, eximiâ puellam pulchritu-

tudine, deſponderent: ἐν οἷς καὶ Ἀνδρόνικος ἦν ὁ Καματηρὸς, ὅς τὴν ἔπαρχον τότε διεῖπεν ἀρχὴν, ἀνὴρ, Σεβαςότητι μὲν ἀξιωθεὶς, ξυγγενὴς δὲ βασιλεῖ καὶ αὐτὸς ὤν. Idem eſt Camaterus, a quo Præfecto tunc urbis, atque Eparcho ſeſe, tanquam rudem atque imperitum, contemptui habitum, graviter queritur atque indignatur Johannes Tzetzes:

> Τζέτζης δ᾽ ὁ ἀῤῥητόρευτος, ὁ ἀμαθὴς Ἐπάρχῳ
> Τῷ πανσεβάςῳ Καματηρῶν ἐκ γένους.

& rurſus:

> Ὧν βίβλος ὅλη γέγραπται τῶν λογισμῶν τῷ Τζέτζῃ,
> Ὃς ἀμαθὴς κηρύττεται τῷ Σεβαςῷ Ἐπάρχῳ.

Videtur & idem eſſe Camaterus, Drungarius τῆς βίγλης, qui, tempore Manuelis Comneni, edito libro τῶν ἐπὶ ταῖς περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος γραφικαῖς χρήσεσιν ἐπιςασιῶν, detortis in pravum ſenſum ſuum divinarum litterarum teſtimoniis, conatus eſt demonſtrare, μὴ ἐκ πατρὸς, καὶ υἱοῦ ὑπάρχειν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Quo de Andronico Camatero hæc Johannes Veccus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ἐν τοῖς Ἀντιῤῥητικοῖς· ἡ ὁδὸς, τὴν βίβλον μετὰ χεῖρας λαβεῖν, ἣν ἐν ταῖς τῆς αὐτοκρατορείας ἡμέραις Μανουὴλ τοῦ ἀοιδίμου ἐν βασιλεῦσι, καὶ αὐτοκράτορσιν, ὡς ἐκ προσώπου ἐκείνου, Ἀνδρόνικος, ὁ τὴν τοῦ Δρουγγαρείου τῆς βίγλας ἀνεζωσμένος τότε ἀρχὴν, Καματηρὸς τοὐπίκλην, ἀνὴρ τὴν σοφίαν οὐκ ἀγεννὴς, συνεγράψατο· καὶ τὸ μὲν, ἐπὶ κάλλει λόγου, καὶ φράσει, ταύτης θαυμάσιον ἐπαινέσαι, καὶ ἀποδέξασθαι, πρὸς ἓν δὲ μόνον μέρος ἀπαντῆσαι αὐτῆς, πρὸς ὅπερ οὐ καλῶς ὁ σοφὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ ἠγωνιήσατο, οὐδὲ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἀξίως. Doleo ego ſanè, egregium illum & doctum virum, quem ab elocutionis elegantiâ tantopere Veccus admiratur, ſymbolam & ipſum ſuam ἐπὶ συγκροτήσει τοῦ σχίσματος contuliſſe. Ejuſdem farinæ, atque ſcripta Andronici hujus Camateri, fuerunt etiam τὰ Φωτίου, καὶ Νικολάου τοῦ Μεθώνης, Φουρνοῦ τε, καὶ Θεοφυλάκτου τοῦ Βουλγαρείας, καὶ Μοσχάμπαρος, & aliorum, de quibus idem Veccus ἐν τῇ ἐπισημειώσει τῶν αὐτοῦ ἁπασῶν βίβλων, καὶ γραφῶν συμφωνίας· & Joſephus Epiſcopus Methonenſis in Apologiâ contra Marcum Epheſium. quos quidem veritatis Chriſtianæque concordiæ oppugnatores laudibus proſequebatur, qui ab eorum partibus ſtabat, Bulgares neſcio quis Rhacen-

cendyta in Colloquio Johannis Pluſiadeni. Hæc enim verba Rhacendytæ: Ἔχομεν Φώτιον πρῶτον κατὰ Λατίνων ἐκθέντα βιβλίον. μετ' αὐτὸν δὲ πολλοὺς καὶ καλοὺς, τὸν φιλόσοφον Μιχαὴλ τὸν Ψελλὸν, Νεῖλον Καβάσιλα, Μεθώνης Νικόλαον, Νεῖλον Ῥόδου, Μοσχάμπαρά τινα, Φουρνὴν τε τὸν φιλόσοφον, Καματρὸν τὸν γενναῖον, Βαρλαάμ τινα μοναχὸν Καλαβρὸν, Παλαμᾶν τὸν σοφὸν, Θεοφύλακτον Βουλγαρίας, ἄλλον Βουλγαρίας Ματθαῖον, καὶ ἄλλους πλείστους. Atque hæc de Andronico Camatero, Johannis Ducæ patre: ad quem Johannem Ducam epiſtola eſt Εὐσταθίου διακόνου ἐπὶ τῶν δεήσεων. Et quidem Εὐσταθίου, τοῦ κατὰ Φλῶρον, διακόνου ὄντος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, meminit Demetrius Chomatenus, Archiepiſcopus Bulgariæ, ad Conſtantinum Cabaſilam, Archiepiſcopum Dyrrhachinum. Fuit olim Conſtantinopoli percelebris ἡ Φλώρου μονὴ, quam ἁπλῶς Φλῶρον appellare videtur Chomatenus. Unde colligebat Anſelmus Bandurius, monachum ibi Euſtathium fuiſſe. Sed ego non probo, quod ad Excerpta De Antiquitatibus Conſtantinopolitanis Bandurius ſcribit, monaſterium hoc, quod Florentii & Calliſtrati dicitur a Codino, appellari idem ab aliis ſcriptoribus Byzantinis monaſterium Sanctorum Flori & Lauri, & interdum tantùm μονὴν τῶν Φλώρου. Quaſi verò unum & idem monaſterium fuerit, quod ſimul & Flori & Calliſtrati vocaretur. At enim Codinus ea monaſteria dicit duo, alterum Florentii, alterum Calliſtrati: Τὰ Φλωρεντίου, καὶ τὰ Καλλιστράτου (παλάτια) ἀπὸ δύο αὐταδέλφων οὕτω καλουμένων ἐκτίσθη. μετὰ δὲ τὸν θάνατον αὐτῶν ἐγένετο δύο μοναστήρια ἐν τοῖς χρόνοις Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου. Et duo planè monaſteria illa fuerunt, Flori & Calliſtrati: quorum cuique ſuus præfuit Hegumenus, ut patet etiam ex Hegumenorum ſubſcriptionibus ad Actionem IV. Concilii Œcumenici VII. ſeu Nicæni II. in quibus Hilarion ἡγούμενος τοῦ Φλώρου, ut rectè vidit legendum eſſe Carolus Freſnæus pro vulgato Φλώρων· & Gregorius ἡγούμενος τοῦ Καλλιστράτου. Nicephorus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, in Breviario: Παῦλός τις μοναχὸς τῆς Καλλιστράτου μονῆς ὑπάρχων, ἀστρονόμος τὴν ἐπιστήμην, καὶ Γρηγόριος μοναχὸς, καὶ ὑγούμενος ἐν τῇ Φλώρου μονῇ. Theophanes in Chronographiâ: Παῦλος μοναχὸς τοῦ Καλλιστράτου, ὁ καὶ ἀστρονόμος, Γρηγόριος ὁ Καππαδὸξ ὁ καὶ κλεισουράρχης γενόμενος, ἔπειτα δὲ μοναχὸς, καὶ ἡγούμενος τῶν Φλώρου.

Suidas in Juſtiniano Rhinotmeto: *Παῦλος, ὁ Καλλιστράτου μονῆς μοναχὸς, ἀστρονόμος, καὶ Γρηγόριος Καππαδόκης, ἡγούμενος τῆς τοῦ Φλώρου μονῆς.* Neque verò ad Calliſtrati; ſed ad Florentii monaſterium ea ſpectant, quæ ſubdit Codinus de Paullo Patriarcha: *μετὰ δὲ τετρακόσια καὶ εἰκοσιοκτὼ ἔτη Παῦλος Πατριάρχης ἐν τοῖς χρόνοις Εἰρήνης τῆς Ἀθηναίας παρῃτήσατο, καὶ κατελθὼν τοῦ Πατριαρχίου, ἐκεῖσε ἡσυχάσας, μετὰ μῆνας τέσσαρας τέθνηκεν.* Hic enim τὸ ἐκεῖσε non eſt quidem certè, in monaſterio illo Florentii & Calliſtrati, quæ ſunt monaſteria duo; ſed in monaſterio Florentii. Illic enim in Florentii monaſterio Paullus *ἡσυχάσας μετὰ μῆνας τέσσαρας τέθνηκεν.* Ex quo rectè concludas cum Bandurio, monaſterium Florentii, quod vocat Codinus, idem omnino eſſe atque monaſterium Flori, ubi Paullum, Patriarchatu depoſito, monachum factum eſſe, diemque obiiſſe, Græci ſcriptores teſtantur. Jubet nos Bandurius videre, quæ ſuus ille Antiquitatum Conſtantinopolitanarum ſcriptor anonymus habet de domo, tractu, ac gerocomio Florentii. Eadem, quæ anonymus ille, habet & Codinus. Sed ea nihil ad monaſterium, ſeu *μονὴν* Florentii. Immo & alius prorſus ab hoc Florentio ille eſt, qui domum ſuam traditur moriens in gerocomium commutaſſe. Florentius namque ille vixit tempore Arcadii. Codinus: *Τὰ Φλωρεντίου, οἶκος ἦν Φλωρεντίου πατρικίου, καὶ Δουκὸς Ἀντιοχείας, τοῦ ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρκαδίου τοῦ βασιλέως, ὅστις τελευτῶν ἐποίησε τὸν οἶκον αὐτοῦ γηροκομεῖον.* At verò hic iſte Florentius, cujus pariter, atque Calliſtrati, monaſterium a Codino memoratur, fuit pariter, atque Calliſtratus, niſi ego vehementer fallor, temporibus Conſtantini. Exiſtimo enim, Florentium hunc & Calliſtratum de iis fuiſſe patriciis Romanis, viriſque illuſtrioribus, quos Conſtantinus ille Magnus in urbem ſuam Conſtantinopolim traduxit; eoſdemque ipſos fuiſſe quos, inter ceteros patricios, nominat Michaël Glycas: *Ὁρῶν δὲ τὴν αὐτοῦ πόλιν ὁ Μέγας ὀλιγάνθρωπον, τοὺς ἀξιολογωτέρους Ῥώμης ἐκεῖθεν παρήγαγεν· ἀφ᾽ ὧν εἰσι καὶ οὗτοι. Ὀλύβριος, Βῆρος, Οὐρβίκιος, Καλλίστρατος, Ζωτικὸς, Εὐγένιος, Εὔβουλος, Στούδιος, Φλωρέντιος, Μαυριανὸς, Σεβῆρος, καὶ Ἰσίδωρος, οἵ τινες οἴκους, ναοὺς, καὶ ξενῶνας ἀνήγειραν.* Quòd enim Excerpta illa Codini Florentium & Calliſtratum *αὐταδέλφους* vocent, id equidem non certâ aucto-

auctoritate nixum puto; ſed ex vulgi ſermonibus manaſſe. Florentii autem hujus ædibus proxima fuiſſe videtur ædes Martyrum celeberrimorum, eorundemque fratrum διδύμων, Flori & Lauri: quam etiam ædem his ego Martyribus ſuſpicor Florentium ipſum poſuiſſe. Certè quidem tempore Conſtantini Magni ſacræ horum Martyrum reliquiæ Conſtantinopolim translatæ fuerunt, ibique honorificè reconditæ. quod teſtatur Menologium Græcorum: ἐπὶ δὲ Κωνςαντίνου τοῦ μεγάλου φανερωθέντα τὰ τίμια αὐτῶν λείψανα ἐπανήχθησαν εἰς Κωνςαντινούπολιν, καὶ ἀπετελέσθησαν ἐν τόπῳ, ἐν ᾧ νῦν κατάκεινται. Eos autem patricios, quos in novam ſuam Romam ex veteri Româ Conſtantinus deduxit, ſcimus ex Glycâ οἴκους, ναὸς, καὶ ξενῶνας ἀνηγερκέναι. Utcunque ſeſe res de Florentio habeat, eo tandem demortuo, quæ ædes ejus fuerant, ſunt in Monaſterium commutatæ. quod Codini Excerpta factum ponunt ἐν τοῖς χρόνοις Κωνςαντίνου τοῦ μεγάλου. Unde facilè corrigi poſſit numerus annorum, quos a Florentii monaſterio condito ad Paulli illius Patriarchæ obitum effluxiſſe ajunt Excerpta, πετρακόσια καὶ εἰκοσιοκτὼ ἔτη. Obiit nanque Conſtantinus anno CCCXXXVII. a quo ad annum uſque DCCLXXXIV. quo anno in Flori monaſterio demortuus eſt Paullus, effluxerunt πετρακόσια καὶ τεσσαρακονταεπτὰ ἔτη. Hoc porro monaſterium dictum eſt Flori, ſeu Florentii nomine in hunc modum decurtato, ut ego aliquando ſuſpicatus ſum, ſeu, quod plerique omnes ſentiunt, a proximâ æde martyris Flori. Nec alio nomine, niſi Flori, monaſterii hujus, ſeu μονῆς, mentio apud Byzantinos ſcriptores occurrit. Nam quod affirmat Bandurius, ab iis ſcriptoribus vocari hoc monaſterium *Sanctorum Flori & Lauri*, id ille quidem mihi non facilè, opinor, perſuaſerit. Hoc igitur in monaſterio Flori monachus primùm fuerit Euſtathius, qui & magnæ Eccleſiæ diaconus, idemque ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων. Munus τοῦ ἐπὶ τῶν δεήσεων inter Officia magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ explicatum a Codino: Ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων ἀπέρχεται εἰς τὸν βασιλέα ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων· paullòque diſtinctiùs in Catalogo Officiorum magnæ Eccleſiæ, edito ab Jacobo Goare: ὁ ἐπὶ τῶν δεήσεων ἀναφέρων τῷ Πατριάρχῃ τὰς τῶν δεομένων ἀναφορὰς, πεμπόμενος πρὸς τὸν βασιλέα μετὰ τοῦ Ῥεφερενδαρίου. Patriarchatum tum Conſtantinopolitanum obtinebat Lucas Chryſoberges, cum magnæ Eccleſiæ diaconum

num agebat Euſtathius. Fuit autem Chryſoberges Patriarcha quinque & decem annos, ab anno MCLV. uſque ad annum MCLXIX. quo anno in Chryſobergæ demortui locum Michaël Anchiali ſucceſſit.

CAPUT III.

Μαΐστωρ τῶν ῥητόρων, *inter officia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Talis* Μαΐστωρ *Euſtathius. Bulengeri hallucinatio. Error Meurſii.* Μαΐστωρ τοῦ κλήρου. Παρεκβολαὶ *in Dionyſium atque Homerum antè ab Euſtathio compoſitæ, quàm fieret ipſe Archiepiſcopus Theſſalonicenſis. Dionyſius,* κατ᾽ ἐξοχὴν, ὁ Περιηγητής. *Locus Pindari. Codex Euſtathianus Cajetani Moniliæ. Euſtathius emendatus. Latonæ contra Mercurium pugna allegoricè explicata. Phraſis Davidica apud Euſtathium.* Τόκος *quid Pindaro. Euſtathii lectio reſtituta.* Χρυσῖτις λίθος. Σπεμφύλων κάλυμμα τὰ στέμφυλα, *per periphraſin. Achillis etymologia. Johannis Ducæ avus paternus, Gregorius Camaterus.*

ALTER Euſtathii titulus: καὶ μαΐστορος τῶν ῥητόρων. Scribe μαΐστορος, a recto μαΐστωρ. Oratoris magnæ Eccleſiæ erat, ſacros atque divinos libros interpretari. Codinus De Officiis magnæ Eccleſiæ: Ὁ ῥήτωρ εἰς τὸ ἑρμηνεύειν τὰς γραφάς. Ejus quoque erat, orationes διδασκαλικὰς Patriarchæ nomine conſcribere, ut diſerte Catalogus editus a Goare: Ὁ ῥήτωρ γράφων λόγους διδασκαλικοὺς ἀπὸ προσώπου τοῦ ἀρχιερέως. Plures autem hi erant magnæ Eccleſiæ oratores: quibus qui præerat, μαΐστωρ ille τῶν ῥητόρων. Sed fallitur Bulengerus De Officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, cum ſcribit, Codinum Maiſtoris, ſeu Magiſtri Rhetorum, crebro meminiſſe. Eſt quidem Codino ἐν τῇ τετάρτῃ πεντάδι eorum Officiorum, quintus ὁ ῥήτωρ, quem aliorum ſacrorum Rhetorum magiſtrum atque principem fuiſſe facilè ego conceſſerim. Sed tamen *magiſtrum Rhetorum* nuſquam, quod ſciam, dicit Codinus. Neque verò eundem intelligit, ubi de feſto τῶν Χριστουγέννων in Palatio agi ſolito: φοροῦντες καὶ καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων. ὁ μέν τοι πρωτοψάλτης, καὶ ὁ δομέστικος λευκά· ὁ λαμπαδάριος δὲ κρατῶν τὸ χρυσοῦν διβάμπουλον, ὁ μαΐστωρ, καὶ πάντες οἱ ψάλται πορφυρᾶ. itemque ubi

ubi de menſâ Imperatoris, poſt ψαλμωδίαν abſolutam: καὶ καλεῖ (magnus Domeſticus) κατ' ὄνομα τόν τε πρωτοψάλτην, τὸ δομέστικον, τὸ λαμπαδάριον, καὶ τὸ μαΐστορα. Quibus in locis vult Meurſius ita ſimpliciter appellatum Rhetorum magiſtrum: *quia*, inquit, *alius nemo in toto ordine Eccleſiaſtico* μαΐστορος *nomen habebat*. At fallitur etiam Meurſius, qui auctor duxque erroris fuiſſe videtur Bulengero. Quis enim ibi in Codino non videat, magiſtrum Cleri, & ψαλμωδίας, non Rhetorum, eſſe intelligendum? Et ſuus fuit Clero Palatino magiſter, qui & μαΐστωρ τοῦ κλήρου. Catalogus Officilium Palatinorum Metricus, ex Bibliothecâ Mazarinianâ editus a Goare:

Καὶ τῶν μελωδῶν, οἱ Πρωτοψάλται δύο,
Κἂν ταῖς ἑορταῖς Λαμπαδηφόρος ἄλλος,
Ἀποστολικῶν ὁ Κῆρυξ διδαγμάτων,
Δομέστικός τε, καὶ Μαΐστωρ τοῦ κλήρου.

Additum eſt de Euſtathio: τοῦ καὶ ὕστερον γεγονότος ἀρχιεπισκόπου Θεσσαλονίκης. Ex quo apparet, Euſtathium has in Dionyſium Παρεκβολὰς ante elucubraſſe, quàm fieret Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, tum nimirum, cum Diaconi ἐπὶ τῶν δεήσεων, καὶ μαΐστορος τῶν ῥητόρων munere fungebatur. Sic ab Euſtathio adhuc Diacono, & Oratorum magiſtro compoſitas eſſe Παρεκβολὰς Homericas, quarum non ſemel in hiſce Dionyſianis meminit, oſtendebamus nos ad Homerum ex utrâque illâ veteri Commentariorum Euſtathianorum in Iliadem & Odyſſeam inſcriptione: Εὐσταθίου μαΐστορος τῶν ῥητόρων, καὶ ἐκκλησιαστικοῦ ἐπὶ τῶν δεήσεων, τοῦ ὕστερον Θεσσαλονίκης, Παρεκβολαὶ τῆς Ὁμήρου Ἰλιάδος. Et: Εὐσταθίου μαΐστορος τῶν ῥητόρων τοῦ ὕστερον Θεσσαλονίκης, Παρεκβολαὶ τῆς εἰς τὴν Ὀδύσσειαν. Dictus autem Dionyſius ὁ Περιηγητὴς, κατ' ἐξοχήν. Ode, cujus ὀφειλήτης Pindarus, in laudem eſt Ageſidami, Locri Epizephirii, pugilis. Hæc ibi Pindari verba:

Τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι
Ἀρχεστράτου παῖδα, πόθι φρενὸς
Ἐμᾶς γέγραπται.

Ad hæc verba alludunt illa Euſtathii: ὡς ἂν ἔχοι ἀναγνῶναι, ποῖ τῆς ἐκείνου φρενὸς ὁ ἄνθρωπος γέγραπται. Ita ſcriptum in libris editis. Sed codex membraneus, quem dono mihi dedit Cajetanus Monilia,

nilia, vir clariſſimus, atque doctiſſimus, e meâ olim diſciplinâ, quem ego deinceps codicem, grati animi & memoriæ cauſsâ, Monilianum vocabo; codex, inquam, Monilianus, ποῦ τῆ ἐκείνου φρενός. Paullò poſt in illis verbis: οὐδὲ τὸ τῆς Λητοῦς χρῆμα καὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς ἔχειν Ἑρμοῦ τούτου καυχήσασθαι· codex idem Cajetani Moniliæ, κατακαυχήσασθαι. quomodo & mihi legendum videbatur in verbis Euſtathii ad librum υ Iliad. Οὐ γὰρ δύναται λόγος λήθης καυχήσασθαι· ubi pro ſimplici καυχήσασθαι legebam ſimiliter κατακαυχήσασθαι. Alludit autem hîc ingenioſè Euſtathius ad pugnam Homericam τῆς Λητοῦς, ſeu Latonæ, contra Mercurium:

Λητοῖ δ' ἀντέστη σῶκος ἐριούνιος Ἑρμῆς.

Quam tamen pugnam Mercurius detrectavit: Λητοῖ, ἐγὼ δέ τοι οὔτι μαχήσομαι. Quod Græci illi magiſtri accipiunt allegoricè. Eſt enim iis Λητὼ eadem, atque ἡ λήθη, eademque etiam ἡ νὺξ, διὰ τὴν λήθην τῶν κακῶν· quia nempe ὑπνοῦντες νυκτὸς, πάντων ἐπιλανθανόμεθα. At verò Mercurius ὁ λόγος, cujus λήθη Latona: ita ut hæc, Λητὼ quaſi Ληθὼ dicta eſſe videatur. Scholiaſta Homericus: Ἑρμῆς δέ ἐστιν ὁ λόγος· Λητὼ δὲ, ἀμνημοσύνη, οἷον Ληθὼ τὶς τῶν λόγων. Præclarè Euſtathius ad Homerum: Λητοῖ δέ, φησιν, ἀντέστη σῶκος ἐριούνιος Ἑρμῆς. οἵπερ αὖθις ἠθικῶς ἐκλαμβάνονται, ὁ μὲν, εἰς λήθην· ὁ δὲ, εἰς λόγον, μεταγόμενοι. Καὶ ὁμολογήσει Ἑρμῆς, ὅτι ὦ Λητοῖ, ἐγὼ δέ τοι οὔτι μαχήσομαι. Οὐ γὰρ δύναται λόγος λήθης κατακαυχήσασθαι. ἄμαχον γάρ τι χρῆμα ἡ λήθη. Ab hac igitur allegoriâ dicit hîc lepidè Euſtathius, Latonam illam oblivionis contra Mercurium, hoc eſt, ſermonem ſuum, non in eo quidem certè eſſe gloriaturam, quòd eum ſermonem, ſeu promiſſum, certando devicerit, diuturnâque oblivione deleverit. Hæc ſi cognoviſſet Henricus Stephanus, non ingenium fruſtra ſuum in hoc Euſtathii loco intelligendo torſiſſet. Τὰς τῆ καρδίας ἀναβάσεις dicit Euſtathius, phraſi Davidicâ, ex illo Pſal.83. ἀναβάσεις ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. Nec tam alienus Euſtathius, quàm quidam eum eſſe volunt, ubi res poſtulat, a phraſibus & teſtimoniis ſacrorum librorum. Non ſatis commodè cum ſuperioribus connecti & cohærere videntur illa verba: Οὕτω λιχνεύεσθαι τὰ εἰς λόγους μεμάθηκας. Cohærentiùs, & pleniùs codex Monilianus: Σὺ δὲ οὕτω λιχνεύεσθαι. Medicæ manûs indigens videtur ille locus: καὶ οὕτω γίνη

τοῦ

τῦ πλείονος. Placebat Henrico Stephano pro γίνῃ ſcribere γλίχῃ. Meus codex, τίμῃ. An καὶ οὕτω τιμᾷ τῦ πλείονος; Elegantiam locutionis Pindaricæ oſtendit illud: καὶ ταύτην (ἐπιθήκην) τόκον ὠνόμαζε. Sic enim Pindarus:

> Ὅμως δὲ λῦσαι δυνατὸς ὀξεῖ-
> αν ἐπιμορφὰν ὁ τόκος ἀνδρῶν.

Mendoſum illud: Οὐ γὰρ κατ' ἐκεῖνό μοι τῦ λόγυ χρυσῖτις. Emendaveram: Οὐ γὰρ κατ' ἐκεῖνον ἡ τῦ λόγυ χρυσῖτις. Quam ego ſcripturam totidem penitus verbis expreſſam poſtea vidi in codice Moniliano. Χρυσῖτις λίθος dicta Agatharchidi in aurifodinis Ægyptiacis, ſeu Æthiopicis, quæ marmoreo ſuo nitore abditas auri venas metallariis patefaciebat: καὶ τέμνυσι διὰ τῆς πέτρας ὑπονόμυς πλείονας οὐκ ἰθύς. ἄλλοτε μὲν ἄνω τῆς χρυσίτιδος ἀπονευύσης λίθυ, ποτὲ δὲ κατωτέρω, πάλιν δὲ εἰς τὴν εὐώνυμον κλίσιν, ἐνίοτε δὲ σκολιὰν, καὶ διεστραμμένην, καὶ παραπλησίαν ταῖς τῶν δένδρων ῥίζαις. Χρυσῖτιν eandem λίθον ſignificat Diodorus in his verbis: ὑπονόμυς δὲ διακόπτοντες, οὐκ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ὡς ἂν ἡ διάφυσις τῆς ἀποστιλβύσης πέτρας ipſa eſt χρυσῖτις λίθος. Genus loquendi παροιμιῶδες· παίζων τε, ὅ φασι, καὶ σπυδάζων. Plautus: *nec joco, nec ſeriò*. Ad hæc, notanda illa verba: οἴνῳ γυμνῷ στεμφύλων τε καλύμματος καὶ γιγάρτων ἐκχύντος. Nec enim quidquam muto: tametſi Holſtenius probet ſcripti codicis lectionem, στεμφύλων τε, καὶ λέμματος. Sicuti enim γιγάρτων ἐκχύματα dicit τὰ γίγαρτα, idque per periphraſin; ſic etiam στεμφύλων κάλυμμα τὰ στέμφυλα. quomodo etiam Oceanum ipſum Dionyſius per periphraſin ἀκαμάτυ ῥόον ὠκεανοῖο. Eſt autem στέμφυλον, τὸ κάλυμμα τῆς σαφυλῆς, quod & ἔκδυμα. Suidas: στέμφυλον, τὸ ἔκδυμα τῆς σαφυλῆς. Pervulgatum illud de Chirone: ὃς μυελοῖς ἐξέτρεφε τὸν τῆς Θέτιδος. Hinc, ſecundùm quoſdam, nomen Achilli: nempe ἀπὸ τῦ μὴ γεύσασθαι τῦ χιλῦ· quia nimirum οὐ μετέσχε γάλακτος, ἀλλὰ μυελοῖς ἐλάφων ἐτράφη ὑπὸ Χείρωνος. atque, ut ait Euphorion:

> Ἐς Φθίην χιλοῖο κατῄιε πάμπαν ἄγευστος·
> Τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλλέα φημίξαντο.
> *Quòd Pthiam a chilo jejunus venerit heros,*
> *Ipſum Myrmidones dixerunt nomine Achilem.*

Congeſtæ Johannis Ducæ laudes, tum a ceteris fortunæ animique bonis,

Digitized by Google

bonis, tum etiam a generis nobilitate. Βασιλικῷ, inquit, τὴν τοῦ γένους φυήν. Videtur porrò Johannis hujus Ducæ avus paternus fuiſſe Gregorius ille Camaterus, quem Alexius Comnenus Imperator, collocatâ ei cognatâ quadam ſuâ, affinitate ſecum devinxerat. Quo de Gregorio Camatero Nicetas in Johanne Comneno: Γρηγόριος ἕτερος, ᾧ Καματηρὸς ἡ ἐπίκλησις. ὁ δ' ἀνὴρ οὗτος, ἐλλόγιμος μὲν, τὸ δὲ γένος οὐκ εὐπρεπὴς, οὐδ' ἐπίπαν εὐπάρυφος, τῷ βασιλεῖ δὲ προσληφθεὶς Ἀλεξίῳ, καὶ τοῖς ὑπογραμματευομένοις καταλεγεὶς, καὶ κατὰ κῆδος αὐτῷ συναφθεὶς, ὡς μιᾷ τῶν ἐκείνου συγγενῶν προσπλακεὶς, Λογοθέτης τῶν σεκρετῶν προὐβέβλητο. Laus eſt illa Ducæ Joannis a corporis proceritate: λαμπρῷ τὴν σωματικὴν ἀναδρομήν. Dicit autem ἀναδρομὴν τὴν αὔξησιν.

CAPUT IV.

Ulyſſis exemplum accommodatum ad Dionyſium Periegetam. Euſtathii lectio reſtituta. Dionyſius in perluſtrando terrarum orbe uſus oculo & magiſterio Muſarum. Dionyſius noſter, alius a Characeno Plinii. Aliud ᾄδειν, *aliud* λέγειν. Dicere *etiam Latinorum Poetarum. Locus Pindari. Poetæ quaſi aliá quadam linguá locuti. Euſtathius emendatus.* Κεστὸς, ὁ ἱμὰς, ἢ χιτὼν διακεκεντημένος. *Mulicbris omnis amictus ad ornatum,* κεστός. Κεστὸς *etiam,* ὑπόμνημα *hoc Euſtathii. Geographiæ & Chorographiæ differentia.* Τὸ τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐμπεριγράφειν, *in proverbio.* Ὀνυχίαιον διάστημα τὸ πινάκιον. *Alcibiadis arrogantia ſcitè a Socrate retuſa.* Πινάκιον, ἐπίπεδον βραχύτατον. Brevis tabella *Floro.* Ἐπίπεδος καταγραφὴ *Ptolemæo. Tabularum Geographicarum auctor Anaximander. Laertius illuſtratus. Anaximandrum ſecutus Hecatæus Mileſius. Quis ille Hecatæus. Tabula ex ære Geographica Ariſtagoræ.*

Accommodat Euſtathius ad Dionyſium Periegetam Homericum illud de Ulyſſe:

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

hac tamen inter utrumque differentiâ, quod, quum Ulyſſes ipſe per ſeſe, peregrinando, multorum hominum urbes atque mores inſpe-

Digitized by Google

inſpexerit, Dionyſius & oppida vidit, & hominum mores atque ingenia cognovit, oculo & magiſterio Muſarum. Hæc enim Euſtathii verba de Dionyſio: καὶ πολλῶν ἀνθρώπων ἰδὼν ἄστεα, καὶ νόον γνοὺς ὀφθαλμῷ καὶ διδασκάλῳ Μουσῶν. Ubi codices meus, & Monilianus, pariter atque Henricus Stephanus ex conjecturâ, καὶ διδασκαλίᾳ· quomodo ego etiam legendum conjeceram, cum primùm in hunc locum incidi. Quaſi verò non oculis ipſe ſuis exploraverit illa Dionyſius; ſed oculo & διδασκαλίᾳ Muſarum· hoc eſt, quæ ipſe per totum terrarum orbem deſcriberet, ei clarè atque perſpicuè Muſæ ſuggeſſerint,

αἵ τε δύνανται
Νόσφιν ἀλημοσύνης πολλὴν ἅλα μετρήσασθαι,
Οὔρεά τ', ἤπειρόν τε, καὶ αἰθερίην ὁδὸν ἄστρων.

atque adeo oculus & magiſterium Muſarum viam Dionyſio in perluſtrando orbe præiverit. Sic enim intelligo hîc Euſtathium, non, ut Henricus Stephanus, ut pleraque Dionyſius oculo ſuo inſpexerit, partimque αὐτόπτης is fuerit, partim doctus & eruditus a Muſis. Clarè ipſe de ſeſe Dionyſius, cum Caſpium mare deſcribit:

Οὐ γάρ μοι βίος ἐστὶ μελαινάων ἐπὶ νηῶν,
Οὐδέ μοι ἐμπορίη πατρώϊος, οὐδ' ἐπὶ Γάγγην
Ἔρχομαι, οἷά τε πολλοὶ Ἐρυθραίου διὰ πόντου,
Ψυχῆς οὐκ ἀλέγοντες, ἵν' ἄσπετον ὄλβον ἕλωνται·
Οὐδὲ μὲν Ὑρκάνιος ἐπιμίσγομαι, οὐδ' ἐρευνῶ
Καυκασίας κνημῖδας Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν·
Ἀλλά με Μουσάων φορέει νόος.

Unde docti viri ſatis probabiliter contendunt, Dionyſium hunc noſtrum Periegetam non Characenum illum fuiſſe, quem Plinius commemorat *terrarum orbis ſitus recentiſſimum auctorem*, quemque etiam ſcribit Divum Auguſtum, ituro in Armeniam majore filio, ad commentanda omnia in orientem præmiſiſſe. Notanda verborum illorum differentia: οὐ μόνον ᾄδων, ἀλλὰ καὶ λέγων. Nanque aliud ᾄδειν, aliud λέγειν. Hoc Oratorum, illud Poëtarum. Nota Muſicis differentia. Euſtathius ad Iliadem: ἡ ἁρμονικὴ σοφία διαφορὰν οἶδε τοῦ ᾄδειν, καὶ τοῦ λέγειν, τὸ μὲν ᾄδειν ἀπονέμουσα τῇ ἐμμελείᾳ, τὸ δὲ λέγειν τῷ ἀμελεῖ λόγῳ διδοῦσα. Veruntamen apud Latinos *dicere*, non Oratorum modò eſt; ſed etiam Poë-

tarum. Homericum illud, Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, Flaccus in Arte: *Dic mihi, Muſa, virum*. Et

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?

Ex Pindaro illa: οὐκ εἰς τὸ πὰν ἑρμηνέων χατίζων, εἴποι ἂν ἡ Θηβαία λύρα. Quippe ſic Pindarus Olymp. Od. 2.

Πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶ-
νος ὠκέα βέλη
Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
Φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς
Δὲ τὸ πᾶν, ἑρμηνέων
Χατίζει.

Ubi ἐς τὸ πᾶν exponebat vetus Scholiaſta, εἰς τὸ κοινὸν, καὶ εἰς τοὺς πολλοὺς, καὶ κυδαιοτέρους. Et ad vulgus quidem non Pindarus modò; ſed etiam ceteri Poëtæ Græci plerique omnes, interprete indigent: quippe qui quaſi aliâ quadam linguâ locuti eſſe videantur. Appoſita valde ad Dionyſianum hoc Poëma ſimilitudo aurariæ: Τοῖς μὲν ἄλλοις ὡς ἐπί τινος μεταλλείας τὴν παρ' ἑαυτῷ χρυσῖτιν χύδην ὁ Διονύσιος παραβάλλεται εἰς κακεργασίαν ἐπίπονον. Codex Monilianus, εἰς κατεργασίαν· quod ſcribendum ſuſpicabatur Henricus Stephanus. idque ego valde probo. Diodorus de metallariis in aurifodinis Ægyptiacis: προσάγουσι τὴν διὰ τῶν χειρῶν κατεργασίαν. Euſtathianum hoc ὑπομνημα meritò quis κεστὸν vocaverit. Quippe ἐνθάδε οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο: Verba Euſtathii: Ὁ γοῦν φιλῶν τὸν Διονύσιον, φιλοίη ἂν καὶ τὸ παρὸν ὑπόμνημα, καὶ τὴν τῶν ἐν αὐτῷ ἀπομνημονευμάτων σωρείαν, καὶ εἰς κεστὸν ἂν ἐγγράφοιτο αὐτόν; Meus codex ἀνεγράφοιτο αὐτό. Κεστὸς autem non ἱμὰς modò διακεκεντημένος, καὶ διαπεποικιλμένος, ſed etiam χιτὼν διακεκεντημένος. Immo & muliebris omnis amictus ad ſpeciem atque ad ornatum, dictus per catachreſin κεστός. Græci vocant φαντασιῶδες ἔνδυμα. In ceſti hujus ordinem, propter operis venuſtatem atque varietatem, referri vult Euſtathius ſuum hoc ὑπόμνημα· ab eo, qui Dionyſium amat. Ceſtus ille Veneris πολυκέντητος· ὑπόμνημα hoc Euſtathii in Dionyſium, πολυσύνθετον. Uterque hic ceſtus, illex amoris; ſed alter in Venerem, alter in eruditionem atque doctrinam. Quæ ſequuntur, Τίς δ' οὖν ἡ τῆς χωρογραφίας βούλησις, &c. vulgò ſeparabantur a ſuperioribus. Verùm

rùm cum iis continenter legenda, ut animadvertit etiam Holſtenius. Conjunctim certè leguntur in codicibus, meo & Moniliano. Differt autem Geographia a Chorographiâ, ἐπειδή περ αὐτὴ μὲν ἀποτεμνομένη τοὺς κατὰ μέρος τόπους, χωρὶς ἕκαστον, καὶ καθ' αὐτὸν ἐκτίθεται, συναπογραφομένη πάντα σχεδὸν, καὶ τὰ μικρότατα τῶν ἐμπεριλαμβανομένων, οἷον, λιμένας, καὶ κώμας, καὶ δήμους, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν ἀρώπων ποταμῶν ἐκτροπάς, καὶ τὰ παραπλήσια. τὸ δὲ Γεωγραφίας ἴδιόν ἐστι, τὸ μίαν τε, καὶ συνεχῆ δεικνῦναι τὴν ἐγνωσμένην γῆν, ὡς ἔχει φύσεώς τε, καὶ θέσεως καὶ μέχρι μόνων τῶν ἐν ὅλαις περιεκτικωτέραις περιγραφαῖς αὐτῇ συνημμένων, οἷον, κόλπων, καὶ πόλεων μεγάλων, ἐθνῶν τε καὶ ποταμῶν τῶν ἀξιολογωτέρων, καὶ τῶν καθ' ἕκαστον εἶδος ἐπισημοτέρων. Vide Ptolemæi Geographiam ſtatim ab initio. De iis, quæ fieri nequaquam poſſunt, in proverbii conſuetudinem venit τὸ τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐμπεριγράφειν· ſecundùm illud Jobi cap. 38. Νουθέτησαι δὲ τὸ εὖρος τὸ ὑπ' οὐρανόν· ἀνάγγειλον δή μοι, πόση τίς ἐστιν. Hinc Euſtathius: Τὸ τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐμπεριγράφειν, τοῖς μὲν ἐν παροιμίαις λαλήσασιν, ὡς ἀδύνατον καταγραφῆναι, πέπαικται. Malè codex meus, τὸ ὄνυχι τὴν ὑπ' οὐρανὸν ἐμπεριγράφειν. Eſt enim huc intruſum τὸ ὄνυχι, ſatis importunè. Eſt tamen paullò poſt: ὀνυχιαίῳ που τάχα τινὶ διαστήματι τὴν ἀπείρονα περικλείσαντες. Ὀνυχίαιον διάστημα τὸ πινάκιον, quod quis unguiculo propter parvitatem non immeritò comparaverit. Refert Ælianus, Socratem, ut Alcibiadis ab agrorum numero atque copiâ arrogantiam retunderet, πινάκιον ei commonſtraſſe, ἔχον γῆς περίοδον, eumque juſſiſſe, ſuos ibi agros diſpicere. Quumque ille, eos ibi agros nequaquam conſpici reſpondiſſet, Socratem ſubjunxiſſe: ἐπὶ τούτοις μέγα φρονεῖς, οἵπερ οὐδὲν μέρος τῆς γῆς εἰσίν; Idem ipſum πινάκιον, ἐπίπεδον βραχύτατον dicit paullò poſt Euſtathius. Ἐπίπεδον πίνακα Strabo. Sic enim Strabo: ἐν τῷ ἐπιπέδῳ γε οὐ διοίσει πίνακι τὰς εὐθείας μικρὸν συννευούσας ποιεῖν κώνου τὰς μεσημβρινάς. οὐδὲ γὰρ πολλαχοῦ τοῦτ' ἀναγκαῖον, οὐδ' ἐκφανής ἐστιν, ὥσπερ ἡ περιφέρεια, οὕτω καὶ ἡ σύννευσις, μεταφερομένων τῶν γραμμάτων εἰς τὸν πίνακα τὸν ἐμπεδον, καὶ γραφομένων εὐθειῶν. Καὶ δὴ καὶ τὸν ἑξῆς λόγον, ὡς ἐν ἐπιπέδῳ πίνακι τῆς γραφῆς γινομένης, ἐκθήσομεν. Brevem tabellam Florus: *Faciam, quod ſolent,*

 qui

Digitized by Google

qui terrarum ſitus pingunt: in brevi quaſi tabellâ totam ejus imaginem amplectar. Eandem Ptolemæus ἐπίπεδον καταγραφήν. Alibi ſæpe occurrit τὸ ἐπίπεδον, quod intelligitur σχῆμα. Μέθοδος porro εἰς τὸ ἐν ἐπιπέδῳ τῆς οἰκουμένης σύμμετρον τῇ σφαιρικῇ θέσει καταγραφήν, videatur apud eundem Ptolemæum. Quod autem in libris editis legere ſtatim eſt, μικρῷ διαστάτῳ, codices, meus & Monilianus, μικρῷ διαστήματι. Tabularum Geographicarum auctor fertur Anaximander. Euſtathius: οὗ δὴ τολμήματος κατάρξαι μὲν ἱστόρηται Ἀναξίμανδρος. Agathemerus: Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω, πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Idem teſtantur Strabo & Diogenes Laërtius in Anaximandro. Sic enim cum doctis viris intelligo verba illa Laërtii de Anaximandro: καὶ γῆς καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψε· nempe ut idem ſit hoc Laërtii, atque illud Strabonis de eodem Anaximandro: ἐκδοῦναι πρῶτον γεωγραφικὸν πίνακα. quomodo etiam accipio illud Suidæ de Anaximandro: ἔγραψε γῆς περίοδον. Anaximandrum in Geographico eodem inſtituto ſecutus Hecatæus. Euſtathius: Ἑκαταῖος δὲ μετ' αὐτὸν (ἱστόρηται) τῇ αὐτῇ τόλμῃ ἐπιβαλεῖν. Agathemerus: μεθ' ὃν Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος, ἀνὴρ πολυπλανής, διηκρίβωσεν, ὥστε θαυμασθῆναι τὸ πρᾶγμα. Hecatæi Meleſii ſecundùm Anaximandrum meminit etiam Strabo, excepto quòd Anaximandrum quidem ait ἐκδοῦναι πρῶτον γεωγραφικὸν πίνακα· Hecatæum verò καταλιπεῖν σύγγραμμα. Eſt ille Hecatæus Mileſius, Hegeſandri filius, ὁ ἱστοριογράφος, ſeu, ut vocat Herodotus, λογοποιός· quem Herodotus narrat Ariſtagoræ Mileti tyranno bellum contra Perſas diſſuaſiſſe. Ab hoc Hecatæo familiari ſuo accepiſſe videtur Ariſtagoras χάλκεον πίνακα, ἐν τῷ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο, καὶ θάλασσά τε πᾶσα, καὶ ποταμοὶ πάντες. Quam tabellam Geographicam Spartam Ariſtagoras perlatam, Cleomeni Spartanorum regi oſtendit, ut eum ad bellum ſollicitaret.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Tertius Democritus, qui Tabulas Geographicas dederit. Euſtathii ſententia reſtituta. Anaximander, Thaletis diſcipulus. Vetuſtiſſimi Geographi poſt Homerum enumerati. Democriti κοσμογραφίη, καὶ γεωγραφίη. *Eudoxi Cnidii* ἡ γῆς περίοδος. *Carthaginem ſecta pelle bubula circumſcriptam, vix creditum Dionyſio. Carthaginis arx, Byrſa. Hujus ambitus, paullò ſupra duo millia paſsuum. Byrſæ tantùm menſura, non totius urbis, ſecta pellis bubulæ. Carthaginis totius circuitus ad viginti tria millia paſsuum. Liviana epitome emendata, Correctus Ado.*

GEographorum, qui deſcriptas nobis terrarum tabulas dederunt, tertius Democritus. de quo ita in libris editis: μετὰ δὲ, Δημόκριτος, μαθητευσάμενος Θαλῆτι. Quid? Democritus, Thaletis diſcipulus? Nihil minus. Repugnant enim tempora. Non dubito, quin, librariorum vitio, tranſpoſitis verbis, tota luxata ſit ſententia, planèque ſcripſerit Euſtathius, ut legere diſtinctè eſt in codice Moniliano: κατάρξαι μὲν ἱστόρηται Ἀναξίμανδρος μαθητευσάμενος Θάλητι· Ἑκαταῖος δὲ μετ' αὐτὸν τῇ αὐτῇ τόλμῃ ἐπιβαλεῖν· μετὰ δὲ, Δημόκριτος· καὶ τέταρτος, Εὔδοξος. Et de Anaximandro quidem palam eſt, diſcipulum eum fuiſſe Thaletis. Agathemerus: Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω. Strabo: Ἀναξίμανδρόν τε, Θαλοῦ γεγονότα γνώριμον. Idem γνώριμος atque ἀκουστής. Suidas: Ἀναξίμανδρος, μαθητὴς καὶ διάδοχος Θάλητος. Eundem autem ordinem, quem hîc Euſtathius, ſervat etiam in Geographis enumerandis Agathemerus, niſi quòd Agathemerus inter Hecatæum & Democritum, Geographos medios interponit, Hellanicum Lesbium, & Damaſtem. quo etiam ordine Strabo Geographos poſt Homerum recenſuerat, Anaximandrum Mileſium, ejuſque civem Hecatæum, itemque Democritum, & Eudoxum. Sed de Hecatæo, Democrito, atque Eudoxo, non affirmat Strabo, quod hîc Euſtathius, eos in tabellâ, ἐν ἐπιπέδῳ βραχυτάτῳ, terrarum orbis deſcriptionem exhibuiſſe. Neque verò Democritum, atque

Digitized by Google

atque Eudoxum ait Agathemerus τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι, quod dixerat de Anaximandro, itemque de Hecatæo; ſed duntaxat τὰς γῆς περιόδους καὶ περίπλους πραγματεύσασθαι. quod explicandum videtur de hiſtoriâ Geographicâ: quanvis ſit veriſimile, eos quoque orbis terrarum atque marium deſcriptionem in tabulam contuliſſe. Democriti κοσμογραφίαν, itemque γεωγραφίαν, refert inter ejus ſcripta Laërtius. Eudoxi verò Cnidii veteribus celebrata eſt ἡ γῆς περίοδος. De Charthagine, nihil mirabilius, nihilque notius atque pervulgatius, quàm quod hoc loci peropportuuè tangit Euſtathius: Εἰ δὲ Καρχηδόνα ὑπὸ βοὸς μετρηθεῖσαν διὰ θαύματος ὁ Διονύσιος ἄγει. Dionyſius:

Καρχηδὼν, τὴν μῦθος ὑπαὶ βοὸς μετρηθῆναι.

Vix credere videtur Dionyſius. Adeo ei ſupra omnem fidem viſum fuit, quod paſſim ferebatur, Carthaginem, urbem illam tantam, unâ pelle bubulâ minutiſſimè ſectâ cingi atque circumſcribi potuiſſe. Ex quo apparet, Dionyſium, quod de ſecto bovis corio in fabulâ erat, id planè ad totam urbem Carthaginem retuliſſe. Sed alii menſuram illam bubulam ad ſolam Carthaginis arcem reſtrinxerunt, quæ Byrſa eſt appellata. cujus quidem ambitus, ſi credimus Servio, fuit ſtadiorum duûm & viginti. *Paullò amplius, quàm duo millia paſſuum*, dat Byrſæ in circuitum Paullus Oroſius, ex quo id ipſum in Chronicon ſuum tranſcripſit Ado Viennenſis. Nec majus loci ſpatium vetus illa tum Carthago, cum primum condita eſt, videtur occupaſſe. Unde illud Numidarum in diſceptatione de jure finium cum Carthaginienſibus, apud Livium: *Advenis, quantum ſecto bovis tergo amplecti loci potuerint, tantum ad urbem communiendam precario datum. quidquid Byrſam ſedem ſuam exceſſerint* (Carthaginienſes), *vi atque injuriâ partum habere*. Sequitur apud Euſtathium de totius urbis Carthaginis circuitu: ὡς καινόν τι δήπουθεν ὄν, εἰ τηλικαύτης πόλεως διάστημα καταμετρηθείη, περιγραφὲν ὑπὸ βύρσης τμήματι. At non urbem tantam, quanta poſtea fuit Carthago, metitum eſt lorum illud ſectæ bubulæ pellis tenuiſſimum; ſed tantùm ἀκρόπολιν, τὴν Βύρσαν: Appianus in Lybicis: οἱ δὲ τὸ δέρμα περιτεμόντες, ἐς ἱμάντα ἕνα στενώτατον, περιέθηκαν, ἔνθα νῦν ἐστὶν ἡ Καρχηδονίων ἀκρόπολις. Nam poſtea quidem, dilatatis pomeriis, tanta fuit urbis

Digitized by Google

urbis illius amplitudo, ut, quemadmodum a Livio proditum fuit, Carthago in circuitu viginti tria millia paſſuum pateret. Corruptè legunt in epitome Livianâ libri primi & quinquageſimi: *Carthago in circuitu viginti tria millia paſſus patens*. Ubi pro *paſſus* vetus meus codex a bonâ manu, *paſſuum*. Scriptum fortaſſe a primo per compendium fuerat, *paſſ*. Unde librarii, parùm ſcientes Latinitatis, fecerunt *paſſus*. Valeat rectior illa priſca lectio Sigonii: *Carthago in circuitu mille* XXIV. *paſſus patens*. Byrſa, quæ erat ἀκρόπολις, ampliùs duo millia paſſuum in circuitu, ut diximus, patebat. Quid igitur de reliquæ totius urbis circuitu reputandum? quam poſtea urbem Byrſæ undique circumdatam ſcribit, præter alios, Appianus: *χρόνῳ δ᾽ ἐντεῦθεν (ἐκ τῆς Βύρσης) ὁρμώμενοι, καὶ τῶν περιοίκων ἀμείνους ὄντες ἐς χεῖρας ἐλθεῖν, ναυσί τε χρώμενοι, καὶ τὴν θάλασσαν, οἷα Φοίνικες, ἐργαζόμενοι, τὴν πόλιν τὴν ἔξω τῇ Βύρσῃ περιέθηκαν*. Quanto porrò circuitus ille totius urbis amplior? Oroſius de Carthagine: *Viginti millia paſſuum muro amplexa, tota pene mari cingebatur, abſque faucibus, quæ* III. *millibus paſſuum aperiebantur*. Qui univerſus numerus, faucibus nimirum comprehenſis, omnino concordat cum lectione noſtrâ Livianâ: *in circuitu viginti tria millia paſſum patens*. Hinc autem ex Oroſio libenter correxerim illud Adonis in Chronico: *Viginti duo millia paſſuum muro amplexa*. & pro *viginti duo millia*, repoſuerim *viginti millia*. Strabo tamen peninſulæ, ubi ſita erat Carthago, ambitum ἔχοντα τεῖχος, definit ſtadiis trecentis & ſexaginta. Τοσαῦτα Καρχηδών.

CAPUT VI.

Sphæra mundana, & cæleſtis. Sphæra ἀπλανής, maxima omnium ſphærarum. Sphæra terreſtris. Sphæræ cæleſtis inventor Anaximander. Harduinus improbatus. Signiferi obliquitas animadverſa primùm ab Anaximandro. Plinius explicatus. Sphæra mundana intellecta primùm ab Atlante. Muſæi Poema de Sphærâ. Diodorus explicatus. An primus Atlas Sphæram materialem conſtruxerit. Sphæræ alia κατασκευή, alia καταγραφή. Plinius illuſtratus. Atlas aſtrologiæ inventor. Laer-

Laertius contra Harduinum explicatus. Anaximandri ſcripta. Sphæra κατ' ἐξοχὴν, *mundana. Sphæra ab Anaximandro & fabricata & deſcripta. Sphæræ cæleſtis propria* κατασκευὴ. *Sphæræ terreſtris, ſeu Geographicæ*, καταγραφή. *Sphæra* κρικωτὴ *conſtructa ab Anaximandro. Sphæræ ſolidæ inventio ab Archimede. Sphæra Archimedis explicata. Sphæra Archimedis primùm* κρικωτὴ, *eaque ex ære. Sol & Luna, reliquæque Stellæ ex ligno. Terra ex ligno, eaque marmoreo circulo interſtincta. Sphæra hujus circuli ænei. Sphæra ex circitibus* κρικωτὴ, *quæ &* circite. *Quomodo ea ſolida facta ab Archimede. Incluſa in orbe vitreo, ibique polis æneis ſuſpenſa. Ovidius explicatus. Sphæra non* ςερεὰ *modo, ſed etiam* κρικωτή. *Claudianus explicatus. Archimedeæ Sphæræ recentiorum explicatio. Ovidii lectio contra Nicolaum Heinſium defenſa.*

DE Sphærâ mundanâ ac cœleſti ut hìc aliquid diſputemus, jure a nobis poſtulant illa verba: τὴν ἀπλανῆ σφαῖραν, ἣ ἔσω τὰ πάντα σφίγγουσαν, εἰς μικρὸν σφαιρικὸν ὄγκον, ὡς ἂν εἴποι τις, κεγχριαῖον, συςρέφουσι. Sphæra ἀπλανὴς, ſumma & maxima omnium Sphærarum, quæ credita olim fuit ſtellifera: dictaque fuit ἀπλανὴς ad differentiam ſubjectarum Sphærarum, quæ ſunt Solis ac Lunæ, ac quinque errantium Stellarum. Itaque non de Sphærâ jam, ſeu globo terreſtri, loquitur hìc Euſtathius, qua de Sphærâ præcipit in Geographiâ Ptolemæus, πῶς δεῖ τὴν οἰκουμένην ἐν σφαίρᾳ καταγράφειν· ſed de Sphærâ mundanâ, ſeu cœleſti, τῇ ἔσω τὰ πάντα σφιγγούσῃ. Sphæræ hujus cœleſtis inventionem adjudicat Plinius Anaximandro lib.7. cap.56. Quæ quis invenerit in vitâ: *Aſtrologiam Atlas, Libyæ filius: ut alii, Ægyptii: ut alii, Aſſyrii. Sphæram in ea Mileſius Anaximander*. Nec enim audiendus Harduinus, qui Sphæræ ibi appellatione non cœleſtem globum cenſeri putat, ſed terreſtrem, in quo ſitus gentium deſcribuntur. Quæ explicatio manifeſtè repugnat Plinio, qui non de Geographiâ ibi loquitur, ſed de Aſtrologiâ; & *in eá* Mileſium Anaximandrum Sphæram inveniſſe ait. Erat igitur Sphæra illa Anaximandri Aſtrologica, non Geographica. Nec verò ipſe ſibi Plinius contradicit, eo quia ſupra lib.2. cap.8. ita ſcripſerit: *Obliquitatem*

ejus

Digitized by Google

ejus (ſigniferi) *intellexiſſe, hoc eſt, rerum fontes aperuiſſe, Anaximander Mileſius traditur primus, Olympiade* LVIII. *Signa deinde in eo Cleoſtratus, & prima Arietis, ac Sagittarii. Sphæram ipſam ante multò Atlas*. Neque enim dicit ibi Plinius Atlantem Sphæram compoſuiſſe; ſed intellexiſſe; neque Sphæram qualemcunque intellexiſſe; ſed *Sphæram ipſam*: hoc eſt, Sphæram ipſam cœleſtem & mundanam. *Ipſam* autem vocat peculiari notâ excellentiæ & dignitatis. Quam etiam Sphæram refert Laërtius Muſæum Athenienſem, Poëtam vetuſtiſſimum, primum *ποιῆσαι*, *carminibus expoſuiſſe*. Quippè multò ante, quàm Anaximander obliquitatem ſigniferi, & Cleoſtratus ſigna in eo intelligeret, Atlas Sphæram ipſam, hoc eſt, rationem ipſam ſphæricam mundi ac cœli, intellexerat. Hoc dicit Plinius, quod vidit etiam Salmaſius. Hinc re ipsâ fit manifeſtum, Atlantem, qui primus mundanæ Sphæræ rationem agnovit, tamen Sphæram minimè fabricaſſe Quî enim, ſigniferi obliquitate non adhuc intellectâ, quam primus poſtea intellexit Anaximander, Aſtrologicam Sphæram fabricare unquam potuerit? Scio, videri Diodorum Siculum Sphæræ Aſtrologicæ inventionem atque deſcriptionem Atlanti attribuiſſe, in illis verbis de Atlante: *Φασὶ δ', αὐτὸν τὰ περὶ τὴν ἀστρολογίαν ἐξακριβῶσαι, καὶ τὸν σφαιρικὸν λόγον εἰς ἀνθρώπους πρῶτον ἐξενεγκεῖν· ἀφ' ἧς αἰτίας δόξαι τὸν σύμπαντα κόσμον ἐπὶ τῶν Ἄτλαντος ὤμων ὀχεῖσθαι, τοῦ μύθου τὴν τῆς σφαίρας εὕρεσιν, καὶ καταγραφὴν αἰνιττομένου*. Hic ego Sphæram, cujus inventor Atlas, non cum Salmaſio Sphæram ipſam mundanam atque cœleſtem *αὐτόχρημα* accipio, quam non propriè dici poſſet Atlas inveniſſe; ſed tantùm deprehendiſſe, cognoviſſe, atque, ut loquitur Plinius, intellexiſſe.. Sphæram igitur, quam inveniſſe Atlas dicitur, ſignificare mihi videtur Diodorus materialem illam, quam ad mundanæ Sphæræ exemplum Atlas conſtruxerit. Nec verò *τὸν σφαιρικὸν λόγον*, quem Diodorus ait Atlantem hominibus primum in medium protuliſſe, rationem nimirum ſphæricam, aliam ego rationem interpretor, niſi artem atque diſciplinam Sphæræ fabricandæ atque deſcribendæ. Hanc quia primus, ſecundùm Diodorum, Atlas reperit, ideo etiam dicitur *τὸν σφαιρικὸν λόγον εἰς ἀνθρώπους πρῶτος ἐξενεγκεῖν*. Atque hæc fabricandæ Sphæræ ratio primùm reperta, ipſa eſt Sphæræ *εὕρεσις*,

ſeu inventio, quam Atlanti adſerit Diodorus. Quum autem exacta Sphæræ fabricandæ atque deſcribendæ ratio obliquitate maximè ſigniferi nitatur; ſi ratio illa ab Atlante reperta fuit, neceſſe etiam eſt, Atlas multò ante Anaximandrum ſigniferi obliquitatem perſpexerit, idque ex ſententiâ Diodori. Diſtinguit porro Diodorus Sphæræ εὕρεσιν, καὶ καταγραφὴν, & utramque adſcribit Atlanti: ut proinde Atlas non Sphæræ modò concinnandæ rationem invenerit; ſed etiam Sphæram deſcripſerit. Illa eſt Sphæræ κατασκευὴ, hæc καταγραφή. Sed, quidquid de Sphæræ mundanæ inventore ſenſerit Diodorus; illud certè nihil ad Plinium: & ſatis mihi eſt, Plinium ſibi ipſum minimè contradicere, cum alibi aſſerit, Atlantem multò ante Anaximandrum Sphæram ipſam intellexiſſe; alibi verò, Anaximandrum Sphæram in Aſtrologiâ inveniſſe. Nam priori quidem loco vult, Atlantem, cœlum ipſum αὐτόχρημα, ſeu mundum, ſphæricum eſſe, primum omnium deprehendiſſe, quem etiam Atlantem poſtea aſtrologiæ inventorem facit; poſteriori verò, Anaximandrum Sphæram aſtrologicam primum omnium compoſuiſſe. Quod & de Anaximandro luculentè teſtatur Laërtius: καὶ γῆς καὶ θαλάσσης περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν· ἀλλὰ καὶ σφαῖραν κατεσκεύασεν. Attamen hîc etiam Harduinus Sphæram intelligit terreſtrem atque Geographicam. Quod planè eſt vim Laërtii verbis inferre. Non enim dicit Laërtius σφαῖραν eandem, cujus dicit περίμετρον, γῆς καὶ θαλάσσης· quaſi ſcilicet Anaximander terræ atque maris non ambitum modò deſcripſerit; ſed etiam Sphæram conſtruxerit. Non id dicit Laërtius, terræ nimirum Sphæram Anaximandrum conſtruxiſſe; ſed, qui terræ atque maris circuitum primus deſcripſit, Anaximandrum eundem Sphæram quoque, mundanam nimirum, fabricaſſe. Senſum hunc eſſe Laërtii, patet ex Suidâ in Anaximandro: ἔγραψε περὶ φύσεως. Γῆς περίοδον. Περὶ τῶν ἀπλανῶν, καὶ σφαῖραν. Vides hîc omnia benè diſtincta atque diſcreta. Scripſit Anaximander de naturâ. Scripſit terræ circuitum. Scripſit de Stellis fixis, atque Sphæram. Quænam hæc Sphæra, niſi mundana, atque cœleſtis, quam ἁπλῶς, καὶ κατ' ἐξοχὴν, Sphæram nominant Mathematici, ut argumento eſt Sphæra Procli, & Sphæra Aratea Leontii Mechanici, itemque Sphæra Nigidii, tum Barbarica, tum Græcanica? Ut hic intelligas, Sphæram quoque

hanc

Digitized by Google

hanc cœleſtem Laërtium Anaximandro tribuiſſe; illudque unum ſolumque eſse inter Laërtium & Suidam diſcrimen, quod Suidas Anaximandrum ait, Sphæram hanc γράψαι· Laërtius verò κατασκευάσαι. Et credo ego, Anaximandrum in Sphærá ſuâ utrumque illud præſtitiſse, ut eam & fabricaret & deſcriberet. quod de Atlante affirmare videtur Diodorus. Sed Sphæræ tamen cœleſtis atque aſtronomicæ præcipua ac peculiaris eſt κατασκευή. Hinc Leontii Mechanici περὶ κατασκευῆς Ἀρατείας σφαίρας. Καταγραφὴ verò pertinet etiam atque præcipuè ad Sphæram Geographicam. Unde Ptolemæus, ubi Sphæræ Geographicæ meminit, καταγραφὴν ferè uſurpat, non κατασκευήν. ut cap.21. lib.1. Geographiæ: ὡς δεῖ τὴν ἐν τῇ σφαίρᾳ καταγραφὴν γίνεσθαι, προεκθώμεθα. & c.22. ubi inquirit, πῶς δεῖ τὴν οἰκουμένην ἐν σφαίρᾳ καταγράφειν; ποιησόμεθα δὲ τὴν καταγραφήν. tametſi Sphæram quoque ipſam τὴν γῆν, hoc eſt, quæ terreſtrem globum referat, opus ſit κατασκευάσασθαι, ut in eâ fiat ἡ τῆς οἰκουμένης καταγραφὴ, ſeu ἐπιγραφὴ, ut videre eſt apud Strabonem lib. 2. Laërtius autem non ait, Anaximandrum σφαῖραν καταγράψαι, ſeu ἐπιγράψαι, *deſcripſiſſe*; ſed κατασκευάσαι, *conſtruxiſſe atque fabricaſſe*. quod in Sphæram planè mundanam, ſeu aſtronomicam, convenit, ut apud Leontium: πειρασόμεθα, ὡς μάλιστα δυνατὸν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον τῶν ἄλλων σύμφωνον τὴν ὑποκειμένην σφαῖραν κατασκευάσαι. apud quem etiam ἡ κατασκευαζομένη σφαῖρα. Veruntamen non Sphæram στερεὰν, *ſolidam*, conſtruxiſse mihi videtur Anaximander; ſed quam vocant κρικωτήν· quam ei ſanè perfacile fuit conficere, qui obliquum ſigniferi gyrum primus omnium intellexiſset. Nam ſolidæ quidem Sphæræ inventionem videntur mihi veteres vindicaſse Archimedi. Eam mirabili arte Archimedes concinnaverat, quæ non circulos modò cœlumque ac ſidera, ſed etiam motus ipſos cœleſtes mechanicâ quadam ratione imitaretur ac referret. Ac, quantum ex veterum ego deſcriptione colligo, Sphæram hanc ſuam primò Archimedes effecerat κρικωτήν. Neque enim alioquin, ſi nempe illa ſolida fuiſset, terra, quæ intus in medio poſita erat, aut Solis Lunæque intus in eâ Sphærâ motus conſpici potuiſsent. Quippe Archimedea illa Sphæra fuit ex ære. Lactantius: *An Archimedes Siculus concavo ære ſimilitudinem mundi ac figuram potuit machinari*

R 2

nari, in quo ita Solem & Lunam compoſuit, ut inæquales motus, ac cœleſtibus ſimiles converſionibus, ſingulis quaſi diebus efficerent? Concavum æs vocat Lactantius, ideſt, cavum, atque ſinuoſum, ut *concavas altitudines ſpeluncarum* Cicero. Quanquam Sol ac Luna, reliquæque Stellæ factæ fuerint ex ligno. quod me docet Sextus Empiricus lib. I. adversùs Phyſicos, ubi de Sphærâ Archimedis: Τὴν γοῦν Ἀρχιμήδειον σφαῖραν σφόδρα θεωροῦντες ἐκπληττόμεθα, ἐν ᾗ ἥλιός τε καὶ σελήνη κινεῖται, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀστέρων, οὐ μὰ Δία ἐπὶ τοῖς ξύλοις, οὐδ' ἐπὶ τῇ κινήσει τούτων πεθηπότες, ἀλλ' ἐπὶ τῷ τεχνίτῃ. Ac ſimiliter ex ligno factam fuiſse opinor terram, quæ medium locum tenebat, eamque marmoreo circulo interſtinctam, quo oceanus deſignabatur. Et de circulo hoc marmoreo, quo tanquam oceano, cincta erat terra, perſpicuè Martianus:

Quæ tamen immenſo quo cingitur illa profundo,
Interrivata marmore tellus erat.

Verùm Sphæræ hujus circuli, κρίκοι, fuerunt ænei. Hi Latinè *circites*. Feſtus: *Circites, circuli ex ære facti*. Ab his κρίκοις, ſeu circitibus, Sphæra ipſa ænea, κρικωτή. Sphæra ex circitibus, σφαῖρα κρικῶν, ut eam appellat Leontius. Nec alia ferè κρικωτὴ, niſi ænea, quæ *circite* Martiano Capellæ in Aſtronomiâ: *Nos igitur circulos non ita dicemus, ut liquentis naturæ diſcrimina corpulenta fingamus; ſed ut adſcenſus deſcenſuſque ad nos errantium demonſtremus. Neque enim vel axem poloſque, quos in Sphærâ æneâ, quæ circite dicitur, ad intelligentiæ compendia affixere mortales, ego robori mundanæ rationis apponam, quum nihil ſolidius terrâ ſit, quod eam valeat ſuſtinere*. Ac ſtatim ſubdit: *Deinde quum poli velut perforatæ exterioris Sphæræ cavernis emineant, & hiatus quidam cardineſque fingantur*. Quibus ex poſtremis verbis clarè intelligimus, cur Archimedeæ hujus Sphæræ *concavum æs* dixerit Lactantius, & cur Sphæram, quam A. Gellius κρικωτὴν nominat, interpretati ſint *pertuſam*. Talem eſse Sphæram oportuit, in qua Archimedes orbium cœleſtium, atque aſtrorum, Soliſque præſertim ac Lunæ certos ſtatoſque motus perfectè exprimeret; &, talem quum fecisset, quippe ex ære, rationem deinde excogitaret, qua Sphæram illam κρικωτὴν, ſolidam inſuper redderet.

ret. Itaque incluſit eam in orbe vitreo, ibidemque polis æneis, circa quos incluſa illa machinula verſaretur, ſuſpendit. Unde verſus Ovidii in Faſtis:

Arte Syracoſiâ ſuſpenſus in aere clauſo
Stat globus, immenſi parva figura poli.
Et quantum a ſummis, tantum ſeceſſit ab imis
Terra, quod ut fiat, forma rotunda facit.

Quid eſt enim aër ille clauſus, niſi aër intus in vitro incluſus, in quo Sphæra illa Archimedis κρικωτῇ, polis æneis in foramina vitrea inſertis, ſuſpendebatur? Globum vocat Ovidius, quem Græci Sphæram. Sphæram autem non στερεὰν modò vocant; ſed etiam κρικωτὴν. Sic qui globus dicitur Ovido, & ille κρικωτός. Quòd ſi, ut placet doctiſſimis viris, globus ſolidus ac totus vitreus intelligitur, & non Sphæra κρικωτὴ intus in orbe vitreo ſuſpenſa atque incluſa, quî globus ille dici unquam poſſit *in aere clauſo ſuſpenſus*? Jam enim ſtabit globus ille *ſuſpenſus in aere aperto*: quippe quum nihil aliud ſit, quod in ſeſe aërem claudat, quo in aëre ſit ille globus ſuſpenſus. Et valde aberrant viri doctiſſimi, qui aërem illum clauſum explicant de aëre, quem globus ipſe ſuſpenſus intus in ſeſe claudat atque cohibeat, ad differentiam Sphæræ κρικωτῆς, quæ propter hiatus, & κρίκων intervalla, aërem intus non claudit. Quæ ſanè inepta eſt explicatio. Quaſi ſcilicet poſſit quidquam ſuſpenſum ſtare in aëre, quem intus habet incluſum, & non potiùs in aëre exteriori, quo continetur atque circundatur. Ut ſiquis innatare diceretur in aquis, quas in ſtomachum tranſmiſiſset, non quas ingreſsus fuiſset. Ergo, ſi Sphæra illa Archimedis ſuſpenſa ſtabat *in aere clauſo*, oportuit, ipſam alicubi, ſive in alio quopiam orbe, incluſam fuiſse, ibique ſuſpenſam ſtetiſse. Incluſam autem eam fuiſse in orbe vitreo, clariſſimè teſtatur Claudianus noto illo Epigrammate in Sphæram Archimedis:

Juppiter in parvo cum cerneret æthera vitro:

Unde & paullò poſt:

Jam meus in fragili luditur orbe labor.

Orbis fragilis, eſt orbis vitreus, in quo Juppiter incluſum *æthera* conſpexit: hoc eſt, cœlum, ſeu Sphæram cœleſtem. Quò etiam reſpicit illud Martiani Capellæ de tellure, quæ in Sphærâ illâ Archimedis, *Pun-*

Digitized by Google

Puncti inſtar, medio hæſerat una loco.
Hanc tener, & vitreis circumvolitantibus auris,
Aer complectens imbrificabat aquis.

Sic nihil erat impedimento, quominus per vitrum Sphæra illa ex ære κειχωτὶ pulcherrimum ſui, ſuarumque omnium partium, & circulorum atque motuum, ſpectaculum præberet. Hæc mea eſt Archimedeæ Sphæræ explicandæ ratio. Nam quæ a doctiſſimis viris ratio affertur, eſt illa, meo quidem judicio, multò intricatior. Si enim, quod ipſi volunt, ſolida illa Sphæra Archimedis, tota fuit ex vitro, quomodo fuit eadem ex ære, atque etiam ex ligno, quod veteres tamen ſunt teſtati? Hæc verò nos ſimul omnia, neque, ut puto, ineptè, conciliavimus. Ceterùm ad verſum illum Ovidii:

Arte Syracoſiâ ſuſpenſus in aere clauſo:

non probo Nicolaum Heinſium, pro *arte* reponentem *arce*. Nam retinendum eſse *arte*, convincit vel unus ille verſus Claudiani:

Ecce Syracoſius tranſtulit arte ſenex.

CAPUT VII.

Theſialarum mulierum fabula, Lunam ad terram detrahentium, aptata ad Sphæram Archimedis. Capella de Sphæra Archimedis. Catena Jovis Homerici, allegoricè explicata. Mare cum terrâ globum unum efficere. Saturni, præcipitis ab Jove acti, allegoria. Homo, cæleſtis planta. Unde nox fabulosè. Deſcriptio tempeſtatis Homerica expreſsa a Virgilio. Qui cæleſtes orbes deſcribunt, Muſis comparati. Locus inſignis Macrobii de Sphæris octo, & unâ earum maximâ concinentiâ. Octo veteribus Sphæræ cæleſtes, quarum ſumma ἀπλανὴς. Octava Muſa, Urania. Muſa nona, una & maxima concinentia octo ſimul Sphærarum. Euſtathii lectio reſtituta. Aquilis Juppiter totam terram dimenſus. Delphi, umbilicus terrarum. Mercurius χρυσόῤῥαπις. Mercurii ἡ χρυσῆ ῥάβδος, allegoricè. Πόλυς ςρέφεσθαι, *impropriè dictum. Qua ratione Euſtathius excuſetur. Poli etiam, circuli. Mercurius Terreſtris, & Cæleſtis. Locus Homeri de Diſcordiâ; translatus a Virgilio ad Famam. Idemque ab Euſtathio accommodatus ad Pe-*

Periegeſin. Dionyſius Muſarum ductu περιηγούμενος. *Ipſe* κατ' ἐξοχὴν ὁ Περιηγητής. Περιηγεῖσθαι, περιήγησις. Περιηγήσασθαι *apud Lucianum, & Ælianum*, ἀντὶ τοῦ διηγήσασθαι. Περιήγησις *apud Hermogenem* ἀντὶ τῆς ἀφηγήσεως. Περιηγεῖσθαι τὸ καταγράφεσθαι καὶ μετρεῖσθαι.

VIDETUR quodammodo Archimedes feciſſe, quod eſt in fabulis de mulieribus Theſſalis, Lunam ad terram detrahentibus. Hoc ipſum de iis, qui cœleſtem nobis Sphæram parvo in globo artificiosè repræſentant, obſervat ingeniosè Euſtathius: καὶ ὅπερ ὁ μῦθος τοῖς Θετταλοῖς γυναῖκάς φησι μαγγανεύειν. Codex Monilianus, τὰς Θετταλὰς γυναῖκας. *Theſſalas matres* dixerit Plinius. Ab his *Theſſala*, fabula Menandri, *complexa ambages feminarum, detrahentium Lunam*. Fabrica ipſa Sphæræ videtur ob oculos poni illis verbis: αὐτοῖς ἄστροις, αὐταῖς ζώναις, καὶ πᾶσι τοῖς οὐρανίοις κύκλοις καὶ τμήμασι. Martianus Capella de Sphærâ Archimedis:

Nam globus & circi zonæque ac fulgida ſigna
Nexa recurrebant, arte locata pari.

Inducitur Juppiter ille Homericus, τοῖς περὶ Ὄλυμπον θώκοις ἐμπρέπων· ideſt, ταῖς τῶν θεῶν καθέδραις. Negat autem ille Juppiter, aureâ de cœlo catenâ ſuſpensâ, ex qua dii omnes apti ſint atque pendeant, ſeſe unquam ab illis de cœlo in terram tractum iri. Verùm, ſi illos trahere ad ſeſe voluerit, tunc utique tracturum ſeſe jactitat, αὐτῇ κεν γαίῃ, αὐτῇ τε θαλάσσῃ· ac tum demum catenâ illâ ad ſummitatem Olympi montis religatâ, omnia inde ſublimia ſuſpenſum iri. Quæ omnia Mythologi transferunt ad allegoriam. Et quidem nonnulli catenam ibi auream intelligunt τὴν δίκην ἀλύσεως ἐπιπλοκὴν τῶν τεσσάρων στοιχείων κατὰ τὰς ἐν αὐτοῖς ποιότητας, λεγομένην χρυσῆν, διὰ τὸ φύσει πολυτίμητον, καὶ διὰ τὴν ἐκ τοῦ ἡλίου ἐν αὐτοῖς χρυσαύγειαν. ἧς δὴ ἐπιπλοκῆς μεταποιηθείσης ποτὲ, ἄνω κάτω, φασὶ γενήσεται τὸ πᾶν μεταστοιχειωθὲν, ἢ μεγάλῳ χειμῶνι ἄνωθεν ἐκ Διὸς ἐν κατακλυσμῷ, καὶ ἐξυδατώσει, ἢ μεγάλῳ θέρει κατ' ἐκπύρωσιν. Hoc ſenſu, quod eſt Homero ἐρύσαι, dicit hîc Euſtathius μεταστοιχειῶσαι· αὐτῇ γαίῃ, αὐτῇ θαλάσσῃ, τὰ κάτω μεταστοιχειῶσαι βρενθύεται. Hîc

μετα-

μεταστοιχειῶσαι τὸ μεταπλάττειν. Quod autem Juppiter profitetur, tractâ ſurſum terrâ, ſeſe ſimul cum terrâ mare ſurſum eſſe tracturum, id planè oſtendit, quod egregiè animadvertit ad Homerum Euſtathius, τὴν θάλασσαν ὀχεῖσθαι πᾶσαν ἐπὶ γῆς, μᾶλλον δ' αὐτῇ συνεσφαιρῶσθαι· hoc eſt, mare cum terrâ globum unum efficere. Eſt etiam in fabulis, Saturnum ab Jove filio præcipitem de cœlo actum: ὡς ἐκεῖνος πατέρα Κρόνον κάτω βαλών. Phurnutus De Naturâ Deorum; ὁ μὲν γὰρ Ζεὺς ἐκβαλὼν αὐτὸν τῆς βασιλείας, κατεταρτάρωσεν. Id allegoricè de Saturno ſtellâ explicat Anonymus, is, qui ſcripſit περὶ ἀπίστων· quatenus nimirum τὸ βάθος τῶν πολλῶν ἀστέρων τάρταρος λέγεται. Pulchrum illud de homine: τὸν ἄνθρωπον, οὐράνιον μὲν φυτὸν ὄντα τε καὶ λεγόμενον. Ita ſanè homo Platoni φυτὸν οὐκ ἔγγειον, οὐδὲ ἀκίνητον, ἀλλ' οὐράνιον. Et quia homo φυτὸν, ideo Priamus, tot liberorum pater, Euripidi φυτουργός. Cœlum porrò fabulatur Heſiodus deſcenſu ſuo noctem inducere: ἐκεῖνον μὲν νύκτα ἐπάγειν Ἡσίοδος λέγει. Heſiodus in Theogoniâ:

Ἦλθε δὲ νύκτ' ἐπάγων μέγας Οὐρανός· ἀμφὶ δὲ γαίῃ
Ἱμείρων φιλότητος ἐπέσχετο.

Hemiſtichium Homericum: ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. Virgilius: *ponto nox incubat atra*. Deſcriptio tempeſtatis Homerica, e libro ε Odyſſeæ mirificè expreſſa a Virgilio lib. 1. Æneidis. Sed tamen Homericum illud, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ, meliùs expreſſiſſet Virgilius, ſi dixiſſet, *cæloque ruit nox*. Homericum & illud, ὡς ἄρα οὐρανόθεν ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ. Sic enim Homerus lib. θ' Iliad. οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ. Quædam veluti Muſæ, cœleſtibus orbibus aſſidentes, ii, qui cœleſtes orbes deſcribendo veluti ad numeros volvunt: qui nimirum τοὺς τοιούτους κυλίουσιν οὐρανοὺς, μοῦσαί τινες οἷον, καὶ τὰς ᾀδομένας, προσκαθήμενοι, καὶ πρὸς ἐναρμόδιον ῥυθμίζοντες κίνησιν. Quod hauſtum eſt e Gentium Theologiâ. Macrobius in Somnium Scipionis lib. 2. c. 3. *Theologi quoque novem Muſas octo Sphærarum muſicos cantus, & unam maximam concinentiam, quæ conſtat ex omnibus eſſe voluere. Unde Heſiodus in Theogoniâ ſuâ octavam Muſam Uraniam vocat: quia poſt ſeptem vagas, quæ ſubjectæ ſunt, octava ſtellifera Sphæra ſuperpoſita, proprio nomine cælum vocatur.*

tur. Et ut oſtenderet, nonam eſſe, & maximam, quam conficit ſonorum concors univerſitas, adjecit:

Καλλιόπη θ', ἣ δὴ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων·

ex nomine oſtendens, ipſam vocis dulcedinem nonam Muſam vocari. Theologi porrò gentium, qui ita de Muſis philoſophati ſunt, octo duntaxat Sphæras cœleſtes ſtatuerunt: quarum ſumma Stellifera, illa, de qua ſupra diximus, ἀπλανής· quæ etiam ἀπλῶς cœlum. Unde octava Muſa, quæ eſt Sphæræ octavæ, Urania· hoc eſt, Cœleſtis. Nona autem Muſa, non Sphæra iis erat nona; ſed una & maxima concinentia octo ſimul Sphærarum. Sed in Euſtathii verbis notandum τὸ πρὸς ἐναρμόδιον. Codices nanque meus, & Monilianus, πρὸς ἐναρμόνιον. ideſt, κίνησιν. Tzetzes ad Heſiodum, ubi explicat, quid per Muſam intelligendum ſit, ſi ea ſumitur στοιχειακῶς. Στοιχειακῶς δὲ ἡ τῶν ἀστέρων, καὶ τοῦ παντὸς κόσμου μουσικωτάτη καὶ ἐναρμόνιος κίνησις. Aquilæ, quibus Juppiter totam terram dimenſus fuit, omnium ſermonibus jactitantur. Οἱ θρυλλούμενοι ἀετοί, δι' ὧν ὁ τοῦ μύθου Ζεὺς τὴν ὑφ' ἥλιον καταμέτρησε. Qui nempe ἀετοὶ ἀφεθέντες ὑπὸ τοῦ Διός, ὁ μὲν ἀπὸ τῆς δύσεως, ὁ δ' ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, Delphis ſibi ſimul occurrerunt, itaque medium ibi eſſe, atque adeò umbilicum terrarum, patefecerunt. Fabulæ hujus meminerunt, Strabo lib.9. Lucianus de Saltatione, Plutarchus De oraculorum defectu, alii. Claudianus in Fl. Mallii Theodori Conſulatum:

Juppiter, ut perhibent, ſpatium quum diſcere vellet
Naturæ, regni neſcius ipſe ſui,
Armigeros utrinque duos æqualibus alis
Miſit ab Eois, Occiduiſque plagis.
Parnaſſus geminos fertur junxiſſe volatus:
Contulit alternas Pythius axis aves.

Mercurii ἡ χρυσῆ ῥάβδος, ex Hymno in Mercurium: quam virgam auream Mercurio dederat Apollo. Inde Mercurius Homero χρυσόρραπις. ideſt, χρυσῆν ῥάβδον ἔχων, ut explicant Scholiaſta Homericus, Heſychius, Suidas, Etymologus.

Τὴν μετὰ χέρσιν ἔχων πέτετο κρατὺς Ἀργειφόντης.

Inde etiam Euſtathio ἡ χρυσῆ ῥάβδος, ἣν καθ' Ὅμηρον ἔχων ἐκεῖνος πτεροῖς περικινεῖται τήν τε ξηρὰν, τήν τε ὑγράν. Ubi pro

 πτερ-

περιχινεῖται codices, meus & Monilianus, περιχινεῖται. Sic & πέδιλα Mercurio tribuit Homerus χρύσεια. Virga igitur terreſtris Mercurii aurea, fuerit ex Euſtathio allegoricè ἡ ἀνὰ χεῖρα τῷ τεχνίτῃ γραφὶς, ἡ διατυποῦσα τὸν περίγειον πίνακα. Τὸν περίγειον τὸν γεωγραφικόν. Dictum ſatis impropriè aliquanto poſt: καὶ πόλους στρέφει. Non enim στρέφονται οἱ πόλοι, ἀλλ' ἡ σφαῖρα στρέφεται περὶ αὐτούς. Quid iis notius, qui vel primoribus labris rudimenta Sphæræ attigerunt? Poli, extrema ſunt axis. Non axis volvitur; ſed Sphæra circa axem. Theon ad Aratum: ἄξων δέ ἐστι, διάμετρος τοῦ κόσμου εὐθεῖα διὰ τῶν πόλων ἐπιζευγνυμένη, μέσην μὲν ἔχουσα τὴν γῆν, τοὺς δὲ δύο πόλους πέρατα· καὶ ἡ σφαῖρα περὶ ταῦτα μένουσα, στρέφεται. Auctor Commentariorum in Aratea Prognoſtica Germanici: *Vertices extremos, circa quos cœli Sphæra volvitur, polos nuncupavere*. Nihilominùs quis inde fortaſſe Euſtathium excuſaverit, quòd polos, non axis extrema, ſeu extremos ipſos vertices, ſed ipſos circulos extremos, vocaverit. Sic enim explicat infra Euſtathius Dionyſianum illud: ἐς πόλον ἄρκτων. ἀντὶ τοῦ, περὶ τὸν ἀρκτῷον πόλον. ἤγουν κύκλον τοῦ οὐρανοῦ, περὶ ὃν αἱ δύο ἄρκτοι εἱλοῦνται. Et infra, ubi de Phœnicibus: οὐχ ὅτι αὐτοὶ τὸν οὐρανὸν πόλοις, ὅ ἐστι, κύκλοις, ἔταμον. τοῦτο γὰρ Αἰγυπτίων εὕρημα. Hac ratione excuſari poſſit Euſtathius. Mercurius non terreſtris modò, ſed etiam cœleſtis: & bene diſtinguit Euſtathius. Cui tum Græcorum tum etiam Latinorum non dictus locus ille Homeri de Diſcordiâ?

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Quem tamen locum omnium præclariſſimè expreſſiſſe mihi videtur Virgilius, cum eum tranſtulit ad Famam, quæ

Parva metu primò, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Alii aliò tranſtulerunt. Neque fortaſſe minùs commodè Euſtathius eundem Homeri locum ad Periegeſin, ſeu orbis terrarum minutam, & accuratam deſcriptionem refert, quæ, ſi poſteaquam terras ingreſſa eſt, inde ad cœlum atque ad Sphæram mundanam aſſurgit, ex Geographiâ fit jam Coſmographia: quando nimirum τὰ κατ' οὐρανὸν ἐπιβάλλει θεωρεῖν ὁ περιηγούμενος. Magna illa laus Dio-

Digitized by Google

Dionyſii, ὃν ὁ νοῦς τῶν μουσῶν ἄγων, πᾶσαν τὴν γῆν ποιεῖ περιπολεῖν ἀπλανῶς. Quam etiam ipſe ſibi laudem vindicat illis verſibus:

> Ἀλλά με Μουσάων φορέει νόος, αἵ τε δύνανται
> Νόσφιν ἀλημοσύνης πολλὴν ἅλα μετρήσασθαι.

Νόσφιν ἀλημοσύνης· ideſt, ἀπλανῶς. Veriſſimum illud de Dionyſio: Εἴληχε δὲ τοῦ Περιηγητοῦ κλῆσιν. Nam plures quidem οἱ Περιηγηταί. Sed κατ' ἐξοχὴν ὁ Περιηγητὴς, noſter hic Dionyſius. Strabo, ὁ Γεωγράφος· Dionyſius, ὁ Περιηγητής. Exempla etiam ex aliis Scriptoribus in medium prolata τοῦ περιηγεῖσθαι, καὶ τῆς περιηγήσεως: καθὸ καὶ τῶν ῥητόρων τινὲς, ὁ μὲν, περιήγησαί μοι τὰ ἐν ᾅδου, φησί. Locus eſt Luciani in Dialogo Menippi & Æaci: Πρὸς τοῦ Πλούτωνος, ὦ Αἰακὲ, περιήγησαί μοι τὰ ἐν ᾅδου πάντα. Dicit Lucianus περιήγησαι ἀντὶ τοῦ διήγησαι. Addo ego ex Suidâ illud Æliani: Αὐτὸς δὲ διυπνισθεὶς, τῷ παιδὶ περιηγεῖται, ἅ τε εἶδε, καὶ ὅσα ἤκουσε, καὶ ἅ τινα εἶπεν. Hîc περιηγεῖται ἀντὶ τοῦ διηγεῖται, ut bene Suidas. Alter, qui citatur, Hermogenes: ὁ δὲ Γεριήγησιν ὕβρεως τὴν ὁμοίαν λέγει ἀφήγησιν. Sic enim Hermogenes De Methodo Eloquentiæ cap.33. περὶ τοῦ Τραγικῶς λέγειν. ubi de Demoſthene: ἐν δὲ τῷ κατὰ Κόνωνος, αἰκίας καὶ τῆς ὕβρεως περιήγησιν ἐποίησεν, ἀκριβῶς ἕκαστα διηγούμενος, δηλονότι τὴν φαυλότητα τοῦ πράγματος αἴρων εἰς μέγεθος τῇ περιττοτέρᾳ ἑρμηνείᾳ, καὶ τὴν ὕβριν τραγῳδῶν. Περιηγεῖσθαι etiam idem, quod καταγράφεσθαι καὶ μετρεῖσθαι. Sic enim infra Dionyſius θάλασσάν τινα ἐρεῖ καταγράψεσθαι, καὶ ἀναμετρήσεσθαι. Scribit hîc Euſtathius ἀναμετρήσεσθαι, quod dicit infra Dionyſius μετρήσασθαι· nempe quia μετρήσασθαι dixit Dionyſius ex illo Homerico:

> Ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσαιμι Χάρυβδιν.

CAPUT VIII.

Geographiæ ἀρχηγέτης *Homerus. Geographiæ perſtudioſus Alexander. Euſtathius reprehenſus. Strabo illuſtratus. Deſcriptio Indiæ, qua uſus Alexander, data Patrocli a Xenocle. Patrocles præfectus claſſis regum, Seleuci & Antiochi. Harduinus confutatus. Alius Patrocles, alius Patroclus. Patroclus auxilio Athenienſibus miſſus a Ptolemæo Philadelpho. Stra-*

bo illuſtratus. Patrocli χάραξ, *parva inſula*, *quæ & inſula Patrocli. Pauſanias explicatus. Ptolemæus* ὁ τοῦ Λάγου *apud Pauſaniam, non Lagi filius, ſed nepos· ideſt, Philadelphus. Explicatum id loquendi genus,* ὁ τοῦ Λάγου. *Differentia inter* ὁ τοῦ Λάγου, *&* ὁ Λάγου. *Pauſanias correctus.* Ὁ τοῦ Ἐριχθονίου, *ex uſu Pauſaniæ, non Erichthonii filius, ſed nepos. Dionyſius, non Geographus, ſed Periegeta. Geographi munera. Periegeſis,* περίοδος γῆς.

COMPERTUM eſt, veteres multum ſtudii atque operæ in verâ Geographiâ poſuiſſe, cujus ſanè ἀρχηγέτης Homerus. Hujus etiam perſtudioſus fuiſſe fertur Alexander, de quo ita Euſtathius: ἣν μάλιστα τῶν ἄλλων Ἀλέξανδρος ἐκ τῶν τῶν ἐμπειροτάτων, ὡς λέγεται, γραφῆς ἠκριβώσατο, δοθείσης αὐτῷ ὑπὸ Ξενοκλέους τοῦ γαζοφύλακος. Hîc verò aut ego Strabonem non intelligo, aut, ſi ego intelligo, certè quidem ex oſcitantiâ non intellexit Euſtathius. Dicit Euſtathius, Alexandro, qui veram regionum deſcriptionem a peritiſſimis viris ſtudioſè inveſtigaret atque exquireret, datam hanc deſcriptionem fuiſſe a Xenocle, qui gazæ erat præfectus. Non id dicit Strabo; ſed ex Patrocle refert, deſcriptionem illam totius regionis (loquitur autem de Indiâ) τὴν ἀναγραφὴν, quam Alexandro viri peritiſſimi confecerant, datam poſtea a Xenocle fuiſſe Patrocli. Hoc ipſe de ſeſe narrabat Patrocles, ſeſe nimirum poſtmodum a Xenocle deſcriptionem illam totius Indiæ, qua uſus antea Alexander fuerat, accepiſſe. Strabo: Οὐδὲ τοῦτο δὲ ἀπίθανον τοῦ Πατροκλέους, ὅτι φησὶ τοὺς Ἀλεξάνδρῳ συστρατεύσαντας ἐπιδρομάδην ἱστορῆσαι ἕκαστα, αὐτὸν δὲ Ἀλέξανδρον ἀκριβῶσαι, ἀναγραψάντων τὴν ὅλην χώραν τῶν ἐμπειροτάτων αὐτῷ· τὴν δ' ἀναγραφὴν αὐτῷ δοθῆναί φησιν ὕστερον ὑπὸ Ξενοκλέους τοῦ γαζοφύλακος. Quo quidem loci τὸ αὐτῷ, rectè etiam cum adſpiratione ſcriberetur αὑτῷ, ad perſpicuitatem. Fuit hic Patrocles præfectus claſſis regum, Seleuci & Antiochi: cujus Patroclis meminit etiam Plinius lib. 6. c. 17. Neque rectè putat ad Plinium Harduinus, eundem hunc eſſe Patroclem, quem Ptolemæi Lagidæ triremium præfectum appellat Pauſanias in Atticis. Ille Pauſaniæ eſt Πάτροκλος· qui & Πατροκλῆς nominatus eſt Straboni. Hic Plinii, *Patrocles*, idem, qui Stra-

Digitized by Google

Straboni Πατροκλῆς. Ille, Ægyptiarum triremium præfectus, τριήρεσιν ναύαρχος Αἰγυπτίαις. Hic, Seleuci Nicatoris, filiique ejus Antiochi claſſis præfectus. Ille, auxilio Athenienſibus, contra Antigonum, Demetrii filium ac Macedones, miſſus a Ptolemæo Philadelpho, Ptolemæi Lagidæ filio. Hic, locis ad Caſpium mare Aſiaticis, quæ in Seleuci & Antiochi ditione fuerunt, totique illi ad Orientem regioni cum imperio præfuit. quod teſtatur Strabo. Quorum etiam regum gazæ fuit præfectus. Neque alios reges, niſi Seleucum & Antiochum, ſignificat Strabo, cum, ut fidem atque auctoritatem Patrocli conciliet, teſtimonio etiam regum utitur, qui tantum ei imperium commiſerunt, τῶν βασιλέων τῶν πεπιστευκότων αὐτῷ τηλικαύτην ἀρχήν. Duo tamen hîc dixi, quæ confirmare me oportet. Alterum, Patroclum, quem vocat Pauſanias; ſic etiam nominatum fuiſſe a Strabone. Quod patet ex Strabone in Atticâ: Πρόκειται δὲ καὶ τούτων τῶν τόπων Βέλβινα νῆσος, οὐ πολὺ ἄπωθεν· καὶ ὁ Πατρόκλου χάραξ. Sic legi in MSS. teſtantur Caſaubonus & Holſtenius. Malè in vulgatis Πρόκλου, quod facilè aſſentior Holſtenio ex compendiariâ ſcribendi ratione natum eſſe. Patrocli autem χάραξ, parva quædam juxta Atticam inſula vocata eſt: quæ & inſula Patrocli, quòd eam Patroclus χάρακι, *vallo*, communiviſſet. Pauſanias in Atticis: καὶ νῆσος ἔρημος οὐ μεγάλη, Πατρόκλου καλουμένη. τεῖχος γὰρ ᾠκοδομήσατο ἐν αὐτῇ, καὶ χάρακα ἐβάλετο Πάτροκλος, ὃς τριήρεσιν ὑπέπλει ναύαρχος Αἰγυπτίαις. Eadem & Πατρόκλου νῆσος Stephano: unde nomen gentile, Πατροκλονήσιος. Alterum etiam dixi, quod mihi nunc confirmandum, Patroclum illum miſſum auxilio Athenienſibus a Ptolemæo Philadelpho, Ptolemæi Lagidæ filio. Hæc enim habet Pauſanias: ὃς (Πάτροκλος) τριήρεσιν ὑπέπλει ναύαρχος Αἰγυπτίαις, ἃς Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Λάγου τιμωρεῖν ἔστειλεν Ἀθηναίοις, ὅτε σφίσιν Ἀντίγονος ὁ Δημητρίου, στρατιᾷ τε αὐτὸς ἐσβεβληκὼς, ἔφθειρε τὴν χώραν, καὶ ναυσὶν ἅμα ἐκ θαλάσσης κατεῖργεν. Hîc Ptolemæi Lagi filium vulgò intelligunt. At, quod benè etiam vidit Joachimus Kuhnius, intellectui huic & repugnant tempora, & repugnat ipſe Pauſanias. Repugnant, inquam, tempora, quòd bellum, de quo hîc ſermo Pauſaniæ, incidit in annum tertium Olympiadis CXXIX. At verò multò ante demortuus fuerat Ptolemæus Lagi filius,

Digitized by Google

lius, anno nimirum primo Olympiadis CXXIV. Repugnat etiam Pauſanias, qui diſertè infra ſcribit, Ptolemæi hujus Lagidæ, & Berenices filium Ptolemæum, eundemque Arſinoës & fratrem & maritum, hunc ipſum eſſe, quem ſupra dixerat auxiliariam claſſem Athenienſibus contra Antigonum miſiſſe. Οὗτος ὁ Πτολεμαῖος, ὡς καὶ πρότερον εἴρηταί μοι, ναυτικὸν ἔστειλεν ἐς τὴν Ἀθηναίων συμμαχίαν ἐπ' Ἀντίγονον καὶ Μακεδόνας. Ergo is, quem ſupra dixerat, Ptolemæus ὁ τοῦ Λάγου, non filius eſt Lagi, ut ibi vulgò interpretantur; ſed Ptolemæi ejus, qui filius fuit Lagi. hoc eſt, Ptolemæus, Lagi nepos. qui eſt Philadelphus. Neque verò hic Ptolemæus Pauſaniæ dicitur ὁ Λάγου, pariter atque Antigonus ὁ Δημητρίου, is, qui filius eſt Demetrii; & Midas ὁ Γορδίου, filius Gordii; & Gryllus ὁ Ξενοφῶντος, filius Xenophontis; & Aiax ὁ Τελαμῶνος, filius Telamonis; & innumera alia hujus generis; ſed cum articulo caſus patrii, Ptolemæus ὁ τοῦ Λάγου· ut ita, conciſo loquendi genere, Ptolemæi Philadelphi patrem ſignificet Ptolemæum τὸν Λάγου, filium Lagi. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Πτολεμαῖος ὁ Πτολεμαίου τοῦ Λάγου. Similiter atque infra diſertè loquitur de Ptolemæo, Philippi, ſeu Lagi, filio: Πτολεμαῖον Μακεδόνες Φιλίππου παῖδα εἶναι τοῦ Ἀμύντου, λόγῳ δὲ Λάγου νομίζουσιν. Et de Cecrope Minori, Athenienſium rege: Ἐρεχθέως υἱὸς τοῦ Πανδίονος τοῦ Ἐριχθονίου. Ferè enim in his articulus cum eo ipſo, qui filius dicitur, non cum eo, cujus dicitur, concordat ac cohæret. Ut in his verbis: Πτολεμαῖος ὁ Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου· articulus τοῦ, Φιλίππου eſt, non Ἀμύντου. Et in his aliis: Κέκροψ ὁ Ἐρεχθέως τοῦ Πανδίονος τοῦ Ἐριχθονίου· prior articulus τοῦ, Ἐρεχθέως eſt, non Πανδίονος, alter verò, Πανδίονος articulus eſt, non Ἐριχθονίου. itemque in illis Pauſaniæ: Ἀλεξάνδρου τοῦ Νεοπτολέμου. &, Αἰτωλοῦ τοῦ Ἐνδυμίωνος· articulus τοῦ ad Alexandrum refertur, itemque ad Ætolum, non ad Neoptolemum, & Endymionem. Unde videtur mihi corrigendum illud Pauſaniæ ibidem in Atticis de utroque Pandione, Majori & Minori, regi utroque Athenarum: Καὶ δὴ καὶ Πανδίων ἐβασίλευσεν ὁ τοῦ Ἐριχθονίου, καὶ ὁ Κέκροπος τοῦ δευτέρου. Corrigendum, inquam, mihi videtur illud ὁ τοῦ Ἐριχθονίου, & legendum, ὅτε Ἐριχθονίου, καὶ ὁ Κέκροπος τοῦ δευτέρου. Regnaſſe Athenis dicitur Pandion uterque, & filius Erichthonii, & filius Cecropis

ſecun-

Digitized by Google

ſecundi. Pandion ille Primus, ὁ Ἐριχθονίου· Pandion ſecundus, ὁ Κέκροπος τοῦ δευτέρου. Quòd ſi ſcribitur ὁ τοῦ Ἐριχθονίου, ex uſu quidem Pauſaniæ, intelligi poſſit, non Erichthonii filius; ſed ejus, qui filius ſit Erichthonii. Puerilia hæc fortaſſe alicui videri poſſint: ſed talia tamen ſunt, ut ex iis recta veterum ſcriptorum ſententia ſæpe dependeat. Munera quædam ſunt Geographi, quæ quia Dionyſius minimè exſequitur, ideo non Geographus, ſed Periegeta, nomine magis generali, appellatur: ὅτι ἔργα τινὰ καὶ ἄλλα Γεωγράφου εἰσὶν, ὧν οὐ πάνυ τι θιγγάνει αὐτός. Qualia Geographi munera ſunt, προεσκέφθαι τῆς ὅλης γῆς τό τε σχῆμα, καὶ τὸ μέγεθος· ἔτι τε, τὴν πρὸς τὸ περιέχον θέσιν, ἵνα καὶ τὸ κατειλημμένον αὐτῆς μέρος ἐνῇ εἰπεῖν, καὶ πόσον ἐστὶ, καὶ ποῖον· καὶ ἔτι τῶν ἐν τούτῳ τόπων ἑκάστους, ὑπὸ τίνας εἰσὶ τῆς οὐρανίου σφαίρας παραλλήλους. ἐξ ὧν τά τε μεγέθη τῶν νυχθημέρων, καὶ τοὺς κατὰ κορυφὴν γινομένους τῶν ἀπλανῶν, καὶ τοὺς ὑπὲρ γῆν, ἢ ὑπὸ γῆν, ἀεὶ φερομένους, καὶ ὅσα τοῦ περὶ οἰκήσεως λόγου συνάπτομεν, ἐξέσται προσδιαλαμβάνειν. Quæ ita breviter complexus Ptolemæus. Sed omnium præclariſſimè Geographi munera exponit ac perſequitur Geographus. Quid autem ſit Periegeſis, tum aliunde explicat Euſtathius, tum etiam ex eo, quia idem valet Periegeſis, atque terrarum circuitus: ὅτι περίοδος γῆς καὶ περιήγησις ταυτὸν νοοῦσι, καὶ εἰς μίαν ἔννοιαν ἔρχονται. In eandem ſententiam Heſychius v. Περίοδος· καὶ ἡ τῆς γῆς περιήγησις. Malè ſcriptum, ὁ Ἀμαζεὺς Γεωγράφος, pro Ἀμασεὺς, quod bene ſcribit codex Monilianus. Suidas: Στράβων, Ἀμασεύς.

CAPUT IX.

Voces Geographicæ, ἡ περιήγησις, καὶ ἡ γῆς περίοδος. Harum vocum uſus apud Geographum. Iis inſcripti libri Geographorum. Quatuor aut quinque Dionyſii, Periegeſis ſcriptores. An Dionyſius Periegeta, Byzantius? Suidas explicatus, & contra Voſſium & Kuſterum defenſus. Rhebæ fluminis laudes. Rhebæ fluminis deſcriptio ad Boſpori Thracii deſcriptionem appoſita. Kuſteri ad Suidam inconſtantia. Geographiæ & Chorographiæ differentia. Euſtathius collatus cum Ptolemæo, ubi de

de Geographiá & Chorographiá. Μιμεῖσθαι Ptolemæo de pictore, quod Euſtathio διαγράφειν. Euſtathius emendatus. Minutiora quæque conſectatur Chorographia. Geographiæ a Chorographia maximum deſcrimen. Συμπλήρωσις quid apud Euſtathium. Dionyſii γνωμολογικὴ σοφία. Periegeſis βιωφελής. Plures utilitates Periegeſis: quæ maximè etiam utilis militaribus ducibus & regibus. Periegeſis ſtudioſi, Hercules, & Bacchus; itemque Alexander.

FREQUENTES in re Geographicâ voces ἡ περιήγησις, καὶ ἡ γῆς περίοδος. Harum vocum uſum comprobat Euſtathius auctoritate Geographi Amaſenſis. Διὸ, inquit, καὶ ὁ Ἀμασεὺς Γεωγράφος συχνὰ περὶ τὰς τοιαύτας λέξεις εἰλεῖται, οὐ μόνον Γεωγραφίαν τὴν ἑαυτοῦ ἐπιστήμην ἀξιῶν καλεῖσθαι, ἀλλ' οὐδὲ Περιήγησιν καὶ περίοδον λέγεσθαι ἀπαξιῶν. Ubi τὴν ἑαυτοῦ ἐπιστήμην dicit de Geographo τὴν γεωγραφικὴν ἐμπειρίαν. Non alienum igitur a Geographicæ tractationis dignitate judicat Geographus, ſi eam, Periegeſin, & Periodum, ſeu Periodiam, hoc eſt Circuitionem, appellet; & περιοδεύειν dicat id, quod eſt deſcriptione Geographicâ perſequi, atque perluſtrare. Utriuſque illius vocis, hæc mihi nunc in Srabone exempla ſuppeditant. Lib.2. καὶ δὴ καὶ ἔνθεν ἀρκτέον τῆς περιηγήσεως. Quo quidem loci orbem terrarum deſcribere exorditur. Lib. 14. οὕτω γὰρ ἂν ἔχοι τέλος ἡ πᾶσα τῆς χερρονήσου περιήγησις. Lib.2. ὅσα ἔν τε τῇ Εὐρώπῃ διημάρτηται, καὶ ἐν τῇ τῆς Λιβύης περιοδείᾳ. Lib.13. τὴν αὐτὴν τῆς περιοδείας τάξιν ἀποδώσομεν. Lib.8. τά τε βάρβαρα ἔθνη περιωδεύσαμεν πάντα. Et paullò poſt: ἅπερ Ὅμηρος μὲν πρῶτος, ἔπειτα καὶ ἄλλοι πλείους ἐπραγματεύσαντο· οἱ μὲν ἰδίᾳ λιμένας, ἢ περίπλους, ἢ περιόδους γῆς, ἤ τι τοιοῦτον ἄλλο ἐπιγράψαντες. Moris Græcorum fuit, ut libros ſuos de Geographiâ, Γῆς περιόδους, ſeu περιηγήσεις, inſcriberent. Hinc Anaximandri, Γῆς περίοδος, itemque Eudoxi, Pytheæ, & aliorum. Menecratis etiam citatur a Strabone Ἑλλησποντιακὴ Περίοδος, & Hecatæi Mileſii Γῆς Περίοδος. cujus etiam Hecatæi Εὐρώπης Περίοδον laudat Athenæus, & Περιήγησιν idem ipſe Athenæus, & Stephanus. Quàm frequens verò, quàmque uſitata illa Periegeſis inſcriptio? quando, teſte atque auctore Suidâ, quatuor, ſeu

Digitized by Google

ſeu etiam fortaſſe quinque, Dionyſii, Περιήγησιν ſcripſerunt, Dionyſius Byzantius Περιήγησιν τοῦ ἐν τῷ Βοσπόρῳ ἀνάπλου, Dionyſius Corinthius Οἰκουμένης Περιήγησιν δι' ἐπῶν, Dionyſius Mileſius Περιήγησιν Οἰκουμένης, Dionyſius, Muſonii filius, ſeu Rhodius ille fuerit, ſeu Samius, Οἰκουμένης Περιήγησιν. Addit Suidas, ſeſe exiſtimare, Dionyſium illum Periegetam Bizantium fuiſſe, propter Rhebam fluvium: quem nimirum fluvium magnis Dionyſius laudibus celebraverit: Ὑπολαμβάνω, ὅτι Διονύσιος ὁ Περιηγητὴς Βυζάντιος ἦν, διὰ τὸν ποταμὸν Ῥήβαν. Sed, quum Rhebas flumen ſit Bithyniæ; ut benè concludat argumentum Suidæ, putat Voſſius, pro Βυζάντιος legendum eſſe Βιθυνός. Voſſio adhæret Kuſterus. Sed, quod utriuſque ego pace dixerim, mentem Suidæ neuter illorum percepit. Quòd Dionyſius Periegeta tot tantaſque ſibi delicias in Rhebâ flumine laudando facit, ideo ſuſpicatur Suidas, hunc Periegetam eundem eſſe, ac Dionyſium Byzantium, eum nempe, quem ſupra dixerat, deſcriptionem navigationis per Boſporum elucubraſſe: ita ut unus idemque Dionyſius, ἐποποιός, & Boſporum Thracium deſcripſerit, & orbis terrarum Periegeſin verſibus expoſuerit. Hæc mens Suidæ. Cur autem ex Rhebæ amnis laudibus colligat Suidas, eundem eſſe Dionyſium Periegetam, atque illum Byzantium, Boſpori Thracii Scriptorem? Quia nimirum Rhebæ illius amnis laudibus Boſpori Thracii deſcriptio mirè illuſtrabatur. Non diſputo hîc, quàm firma hæc ſit, atque certa conjectura Suidæ. Sed dico, videri mihi Suidam eaſdem fere Rhebæ fluminis laudes, quas habet Periegeſis, in Boſpori quoque Thracii deſcriptione perlegiſſe, atque inde conjecturam duxiſſe, ut, propter Rhebam illum amnem, cujus utrobique laudes illæ celebrabantur, Dionyſium eundem Byzantium utriuſque illius deſcriptionis auctorem exiſtimaret. Ac profectò limpidiſſimi illius ac veluti argentei fluminis pulchra & amœna deſcriptio videtur mihi in Boſpori Thracii deſcriptionem commodiſſimè cecidiſſe. Siquidem Rhebas amnis in ore propemodum eſt illius Boſpori, nec longè a Byzantio. Plinius lib. 6. c. 1. *A faucibus Boſpori eſt amnis Rhebas*. Vetus deſcriptio Ponti Euxini: Τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς Οὐρίου ἀπέχει ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου στάδια ρκ'· καὶ ἔστι στενώτατον τοῦτο τὸ στόμα τοῦ Πόντου καλούμενον, καθότι εἰσβάλλει εἰς τὴν Προποντίδα.

Ἀπὸ δὲ τοῦ ἱεροῦ Διὸς Οὐρίου πλέοντι ἐν τῇ δεξιᾷ εἰς Ῥῆβαν ποταμόν, στάδια ϟ'. Periegeſis Dionyſii:

Ῥήβας, ὃς Πόντοιο παρὰ στομάτεσσιν ὁδεύει.

Ubi παρὰ Πόντοιο στομάτεσσιν idem eſt, atque ἐγγὺς τοῦ Ποντικοῦ στόματος, ut exponit ibi Euſtathius. Unde apparet, Rhebam amnem ad exactam atque accuratam Boſpori Thracii deſcriptionem in primis pertinuiſſe; ac proinde non improbandum videri, ſiquis mecum crediderit, diligentem quoque ac curioſum in eo flumine commemorando Dionyſium Byzantium fuiſſe, qui Boſporum illum ſibi propriè deſcribendum propoſuerat. Ex quo etiam, ut dixi, Suidas conjecerit, Dionyſium Periegetam, qui in Rhebâ laudando ſibi adeo placet, non alium a Byzantio extitiſſe. Sed, quod mirere, ipſe ſibi Kuſterus non cohæret: qui, quum locum illum Suidæ corruptum ſentiat cum Voſſio, & pro Βυζάντιος reſcribendum eſſe Βιθυνός· tamen Suidæ verba, quæ ſeorſum & ſeparatim a Dionyſio Byzantio leguntur, alieno loco poſita eſſe affirmat, & referri debere ad v. Διονύσιος Βυζάντιος. Si enim Dionyſius hic Periegeta, ex Suidæ quidem, ut volunt, ſententiâ, Bithynus; cur verba illa de Dionyſio Bithyno, eò ſpeciatim loci referenda, ubi agitur de Dionyſio Byzantio? Atque hæc obiter de Periegeſi & Dionyſio. Nunc ad Euſtathium redeamus. Complectitur ex Euſtathio ambitu ſuo Periegeſis Geographiam & Chorographiam. De utrâque, & utriuſque differentiâ breviter hic Euſtathius: ὧν, inquit, ἡ μὲν Γεωγραφία τὸ καθόλου θεωρίας ἔχεται, καθά φασιν οἱ παλαιοί, ὡς ἐάν τις ὅλον τι ἀναγράψηται σῶμα. Sic autem de Geographiâ Ptolemæus: Τὸ δὲ Γεωγραφικὸν (τέλος ἔχεται) τὸ καθόλου θεωρίας, κατὰ τὸ ἀνάλογον τοῖς ὅλην τὴν κεφαλὴν ἀπογραφομένοις. Totum caput dicit Ptolemæus ad differentiam auris, aut oculi, quæ ſunt partes capitis. Verùm Euſtathius totum corpus, ὅλον τι σῶμα. Ex Ptolemæo etiam habet Euſtathius id, quod addit de Geographiâ: Καί ἐστι Γεωγραφία, κατ' ἐκείνους, μίμησις διαγραφῆς τοῦ κατειλημμένου ὅλου μέρους τῆς γῆς, μετὰ τῶν ὡς ἐπίπαν συνημμένων αὐτῇ. Sed Ptolemæus non αὐτῇ ſcribit, ſed αὐτῷ· ut id referatur ad τὸ μέρος, non ad τὴν γῆν. Ἡ Γεωγραφία, inquit, μίμησίς ἐστι διαγραφῆς τοῦ κατειλημμένου τῆς γῆς μέρους ὅλου, μετὰ τῶν ὡς ἐπίπαν αὐτῷ συνημμένων. Quæ verò iſta ſunt τὰ ὡς ἐπίπαν τῷ

κα-

κατειλημμένῳ τῷ τῆς γῆς μέρει ὅλῳ συνημμένα; Sunt, quæ in Geographiæ Ptolemaicæ margine ex ipſo Ptolemæo a docto viro adnotata olim fuerunt, *κόλποι καὶ λιμένες, καὶ πόλεις ἐπισημότεραι, καὶ ἁπλῶς τὰ καθ' ἕκαςον εἶδος ἀξιολογώτερά τε καὶ ἐπιφανέςερα*. Sic etiam ex Ptolemæo in explicando Geographiæ officio eſt illud: *μέχρι μόνων τῶν ἐν ὅλαις περιγραφαῖς αὐτῇ (τῇ γῇ) συνημμένων*: Ptolemæus: *καὶ μέχρι μόνων τῶν ἐν ὅλαις περιεκτικωτέραις περιγραφαῖς αὐτῇ συνημμένων*: Hæc quæ ſint, ſtatim exponit Ptolemæus: *οἷον, κόλπων, καὶ πόλεων μεγάλων, ἐθνῶν τε, καὶ ποταμῶν τῶν ἀξιολογωτέρων, καὶ τῶν καθ' ἕκαςον εἶδος ἐπισημοτέρων*. Contra ſeſe habet Chorographia, de qua ita Euſtathius: *ἡ δὲ Χωρογραφία μέρει τινὶ τῆς γῆς ἐπιχειρεῖ, ὡς εἴ τις ἐξ ὅλου σώματός τι ἀποτεμόμενος*. Lege *ἀποτεμνόμενος*, ut diſertè ſcriptum in codicibus, meo & Moniliano. Obverſabatur Euſtathio illud Ptolemæi de Chorographiâ: *ἐπειδήπερ αὐτὴ μὲν ἀποτεμνομένη τοὺς κατὰ μέρος τόπους, χωρὶς ἕκαςον καὶ καθ' αὑτὸν ἐκτίθεται*. Inde hoc Euſtathii de pictore, qui *ἐξ ὅλου σώματός τι ἀποτεμνόμενος, διαγράφει αὐτό*. Puta, *τὸ ὠτίον μόνον, ἢ ὀφθαλμόν*. Ptolemæus: *ὡς ἂν εἴ τις οὖς μόνον, ἢ ὀφθαλμὸν μιμοῖτο*. *Μιμεῖσθαι* Ptolemæo id ipſum, quod hic Euſtathius *διαγράφειν*. Redit Euſtathius ad differentiam Geographiæ & Chorographiæ. *Οὕτω γὰρ*, inquit, *ἡ μὲν Γεωγραφία ὅλον τὸ τῆς γῆς ἐκτίθεται σῶμα, ἡ καταγινομένη περὶ τὰ σμικρότατα*. Ubi codex meus itemque Monilianus, *οὐ καταγινομένη* quomodo certè legendum. At verò Chorographia, *ἡ τῶν λεπτῶν σωμάτων γινομένη*. Eadem *συναπογράφει καὶ τὰ βραχύτατα*. Chorographia enim Ptolemæo *συναπογραφομένη πάντα σχεδὸν καὶ τὰ μικρότατα τῶν ἐμπεριλαμβανομένων*. Minutiora igitur ac minima quæque conſectatur Chorographia, ut quæ varia hic enumerat Euſtathius, atque in iis *ποταμὸν ἅπαντα, ὁδῶν ἐκτροπάς*. Ptolemæus: *οἷον, λιμένας, καὶ κώμας, καὶ δήμους, καὶ τὰς ἀπὸ τῶν πρώτων ποταμῶν ἐκτροπὰς, καὶ τὰ παραπλήσια*. Non quòd, inquit Euſtathius, non in iis etiam verſetur Geographia; *ἀλλ' ὅτι σπανίως, καὶ οὐκ ἐξ ἀνάγκης*. Adjiciendum, quod maximum erat diſcrimen, *ὅτι μετὰ τῶν καθόλου παρακειμένων*. Optimè de hoc diſcrimine Ptolemæus: *παρηκολούθησεν εὐλόγως ἅμα καὶ χρησίμως, τῇ μὲν Χωρογραφίᾳ συναποδιδόναι*,

Digitized by Google

ναι, καὶ τὰ μικρομερέςερα τῶν ἰδιομάτων, τῇ δὲ Γεωγραφίᾳ τὰς χώρας αὐτὰς μετὰ τῶν καθόλε παρακειμένων. Perbellè in Dionyſium cadit illud: Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον ἐνὶ ξυνώσας ἀγοςῷ. Verſus integer.

Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον ἐνὶ ξύνωσεν ἀγοςῷ.

Συμπλήρωσιν, in qua multus Dionyſius, vocat Euſtathius orationis clauſulam, quæ claudit ac complet unam aliquam narrationem. Laudatur inde etiam Dionyſius, quòd, tametſi raro, tamen & aliquando uſus eſt γνωμολογικῇ φιλοσοφίᾳ. Codex Monilianus σοφίᾳ. Libri ſui propoſitum jam inde ab initio paucis verſibus exponit Dionyſius: μετ' ἐ πολὺ δὲ καὶ τὸ χρήσιμον τῆς περιηγήσεως. Ubi codex Monilianus, μετ' οὐ πολλά. Plurima ſanè in vitam humanam commoda ex Periegeſi, quæ meritò dicta βιωφελὴς, διότι τῆς Γεωγραφίας τὸ πλεῖον ἐςὶ πρὸς τὰς χρείας τὰς πολιτικάς. Illud & commodum eſt Periegetis, ὅτι νῦν συνάγει τῷ ταύτης ἐμπείρῳ. Unde Periegeta meritò vocetur πολύνες. Ad hæc utilis maximè Periegeſis & militaribus ducibus & regibus: ὅτι ςρατηγοῖς μάλιςα καὶ βασιλεῦσι σύμφορός ἐςι. Ducibus, inquam, exercituum, quibus maximè omnium neceſſaria Itineraria. Vegetius lib. 3. cap. 6. *Primùm itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur, pleniſſime debet* (dux) *habere perſcripta: ita ut locorum intervalla, non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat: compendia, diverticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta conſideret: uſque eò, ut ſolertiores duces itineraria provinciarum, in quibus neceſſitas geritur, non tantùm adnotata; ſed etiam picta habuiſſe firmentur.* Sed & regibus σύμφορος Periegeſis, διότι ἡ Γεωγραφικὴ πᾶσα ἐπὶ τὰς πράξεις ἀνάγεται τὰς ἡγεμονικὰς, διατιθεῖσα ἠπείρους, καὶ πελάγη, τὰ μὲν ἐντὸς, τὰ δὲ ἐκτὸς συμπάσης τῆς οἰκεμένης. Feruntur, propter Periegeſis utilitatem, Ἡρακλῆς καὶ Διονύσιος in longa ſeſe itinera dediſſe, τὴν τῶν κλιμάτων γνῶσιν σπουδάζοντες. Διονύσιος ſcriptum in libris editis. Sed codices, meus & Monilianus, Διόνυσος. Rectè. Euſtathius ad Odyſſeam: Ἡρακλῆς οὖν, καὶ Διόνυσος, κατὰ τὴν ἱςορίαν, μακρὰς ἀποδημίας ποιησάμενοι, μεγάλοι ἔδοξαν. Strabo lib. 1. ὡς οἱ παλαιοὶ μακροτέρας ὁδὲς φαίνονται καὶ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν τελέσαντες τῶν ὕςερον, εἰ χρὴ προσέχειν

ἔχειν τοῖς λεγομένοις· οἷον, Διόνυσος, καὶ Ἡρακλῆς. Διόνυσος, Liber pater. Eodem Periegeſis ſtudio fertur etiam Alexander Orientalem Oceanum ambitioſius viſere atque inſpicere voluiſſe: ὅτι καὶ Ἀλέξανδρος διὰ τοῦτο ἐφιλοτιμήσατο τὸν ἑῷον ἱστορῆσαι ὠκεανόν. *Pervicax cupido viſendi Oceanum, adeundique terminos mundi*, hæc Alexandri dicta eſt a Curtio lib.9. c.9.

CAPUT X.

De Seſoſtre, rege Ægyptio, ejuſque tabulis Geographicis. Idem aliis Seſonchoſis, & Seſooſis. Locus de eo Apollonii. Scytharum nomen commune etiam Cholchis. Colchi oriundi ab Ægyptiis. Scriptorum de rebus Seſoſtris diſcrepantia. Herodoti ſententia, & dubitatio. Sententia mea de rebus Seſoſtris ex veteribus explicata: Seſoſtrim militum ſuorum præſidium ad Meoſin collocaſſe, &, Tanaide tranſmiſſo, totam Scythiam ad Thraciam uſque percurriſſe: ſubactiſque Scythis Europæis, quod facere poſtea non potuit Darius, eadem viâ, qua venerat, retroceſſiſſe. Redire autem coactum clade, quam in Thraciâ acceperat: aſſumptiſque militibus, quos ad Mæotin reliquerat, coloniam de iis ad Phaſin collocaſſe. Valerius Flaccus illuſtratus. Getarum appellatione Scythæ Europæi & Thraces a Valerio comprehenſi. Vir eruditus confutatus. Seſoſtris multò antiquior Suſaco, Roboami æquali. Joſephus illuſtratus. Seſoſtris multò Argonautis vetuſtior.

ANIMADVERSIONE in primis dignum, quod de Seſoſtre, rege Ægyptio, ſtudioque ejus in Geographiam, tradit hoc loci Euſtathius: Καὶ Σέσωστρις δὲ, φασὶν, ὁ Αἰγύπτιος πολλὴν περιεληλυθὼς γῆν, πίναξί τε δέδωκε τὴν περίοδον, καὶ τῆς τῶν πινάκων ἀναγραφῆς, οὐκ Αἰγυπτίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ Σκύθαις εἰς θαῦμα μεταδοῦναι ἠξίωσε. Nam ſi hoc de Seſoſtre verum, non igitur Anaximander tabularum Geographicarum inventor, primuſque auctor, niſi forte apud Græcos. Seſoſtris ille, aliis Seſonchoſis, & Seſooſis. Seſoſtris ejuſdem non obſcurè meminit Apollonius: a quo etiam Seſoſtre videntur fuiſſe illæ apud Colchos itinerum regionum-

numque atque marium ſcriptæ tabulæ, quæ apud eos jam inde ab antiquiſſimis temporibus diligentiſſimè ſervabantur. Sic enim Apollonius in Argonauticis:

Μήτηρ Αἴγυπτος προτερηγενέων αἰζηῶν·
Καὶ ποταμὸς Τρίτων καλλίρροος, ᾧ ὑπὸ πᾶσα
Ἄρδεται ἠερίη· διόθεν δέ μιν οὔ ποτε δεύει
Ὄμβρος ἅλις, προχοαῖσι δ' ἀναςαχύουσιν ἄρουραι.
Ἔνθεν δή τινά φασι πέριξ διὰ πᾶσαν ὁδεῦσαι
Εὐρώπην, Ἀσίην τε, βίῃ καὶ κάρτεϊ λαῶν
Σφωϊτέρων, θάρσει τε πεποιθότα· μυρία δ' ἄςυ
Νάσσατ' ἐποιχόμενος, τὰ μὲν ἤ ποθι ναιετάουσιν
Ἠὲ καὶ οὔ. Πολὺς γὰρ ἄδην ἐπενήνοθεν αἰών.
Αἶα γε μὴν ἔτι νῦν μένει ἔμπεδον, υἱωνοί τε
Τῶνδ' ἀνδρῶν, οὓς ὅγε καθίσατο ναιέμεν Αἶαν.
Οἳ δή τοι γράπτυς πατέρων ἕθεν εἰρύονται
Κύρβιας, οἷς ἔνι πᾶσαι ὁδοὶ καὶ πείρατ' ἔασιν
Ὑγρῆς τε τραφερῆς τε πέριξ ἐπινισσομένοισιν.

Ex hoc loco Apollonii mihi videtur Euſtathius accepiſſe id, quod nunc prodit de tabulis Geographicis Seſoſtris, atque adeò Scytharum nomine, quibus Scythis Seſoſtris tabulas ſuas tradidit, Colchos, quod alii etiam docuerunt, intellexiſſe. Sic enim & Phaſis Colchicus, fluvius eſt Scythiæ Plutarcho De Fluminibus, itemque Suidæ; & Phaſis, urbs Colchidis, Phaſidis fluminis cognominis, πόλις τῆς Σκυθίας eidem Suidæ, & Scholiaſtæ Ariſtophanis; Colchi denique ipſi, Scythæ Scholiaſtæ Pindarico ad Pyth. Od. 4. ubi rationem hanc ex quibuſdam reddit, cur Colchos Pindarus κελαινώπας vocaverit: ὅτι, inquit, Αἰγυπτίων ἄποικοί εἰσιν οἱ Σκύθαι. Convenit autem inter veteres, Colchos ab Ægyptiis oriundos fuiſſe. Sed non æque inter omnes conſtat id, quod ſcribit Diodorus, Seſoſtrin ἐπελθεῖν τὰ τῶν Σκυθῶν ἔθνη μέχρι Ταναΐδος ποταμοῦ, τοῦ διορίζοντος τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας, ὅτε δή φασιν, inquit, τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος. Nam Plinius Seſoſtrim Ægypti regem victum ait a rege Colchorum; &, ſi Vexoris, qui

ab

Digitized by Google

ab Juſtino vocatur, rex Ægyptius, qui primus Scythis bellum indixit, idem eſt atque Seſoſtris, quod putant eruditi viri, fatendum jam eſt ex Juſtino, Seſoſtrim, verſum a Scythis in fugam, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum ſe recepiſſe; paludeſque Scythas ab Ægypto prohibuiſſe. Et quidem res Seſoſtris ex Scriptorum Græcorum diſcrepantiâ valde ſunt confuſæ atque intricatæ · quod monuit etiam Diodorus. Herodotus Colchos ab Ægyptiis ortum duxiſſe ante eſt ſuſpicatus, quàm quidquam de iis ex aliis ſciſcitaretur; & hanc conjecturam ſuam variis argumentis conſtabilivit, quæ ceteri Scriptores libenter amplexi. Ea ſic breviter in unum collegit Euſtathius ad Periegetam: *πίστις δὲ τοῦ λόγου τούτου, ὅτι τε μελάγχροοι, τουτέστιν, οὐλότριχες, εἰσὶ, κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους, καὶ μέλανες. ἔτι δὲ καὶ τὰ παρ' αὐτοῖς Αἰγύπτια ἔθη· ὧν ἓν καὶ τὸ περιτέμνεσθαι, καὶ τὸ λινᾶς ἐσθῆτας ἀμπέχεσθαι. καὶ ἡ ζωὴ δὲ, φασι, καὶ ἡ γλῶσσα ἐμφερὴς ἦν τοῖς Κόλχοις, καὶ τοῖς Αἰγυπτίοις.* Ægyptii autem, Herodoto teſte, opinabantur, Colchos de Seſoſtris exercitu fuiſſe. Opinioni huic adhærere videtur Herodotus. Sed dubitat, utrum Seſoſtris ipſe, cum ad Phaſin fluvium ſubſedit, coloniam ibi ſuorum militum impoſuerit; an verò aliqui ejus milites, detrectatâ militiâ, ibidem ſubſtiterint, Colchorumque coloniam condiderint. Priorem partem ſecutus eſt Apollonius. Ego, perpenſis variis veterum locis, ſic ſentio, Seſoſtrim, peragratâ primùm Aſiâ, in Scythas Europæos per Tanain profecturum, aliquam militum manum, præſidii cauſsá, ad Mæotin paludem collocaſſe; idque ſibi velle Diodorum illis verbis: *καὶ τὰ τῶν Σκυθῶν ἔθνη (ἐπῆλθε] μέχρι Ταναΐδος ποταμοῦ, τοῦ διορίζοντος τὴν Εὐρώπην ἀπὸ τῆς Ἀσίας, ὅτε δή φασι τῶν Αἰγυπτίων τινὰς καταλειφθέντας περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην, συστήσασθαι τὸ τῶν Κόλχων ἔθνος.* Inde, Tanaide tranſmiſſo, Seſoſtrim in Scythas Europæos moviſse, totamque illorum regionem non tam armis, quàm victoriis, ad Thraciam uſque percurriſse, ibique in Thraciâ expeditionis ſuæ terminos ſtatuiſse; idque ſatis indicaſse Herodotum illis verbis: *Ταῦτα δὲ ποιέων, διεξήιε τὴν ἤπειρον· ἐς ὃ ἐκ τῆς Ἀσίης ἐς τὴν Εὐρώπην διαβὰς, τούς τε Σκύθας κατεστρέψατο, καὶ τοὺς Θρήϊκας. ἐς τούτους δέ μοι δοκέει, καὶ οὐ προσωτάτω ἀπικέσθαι ὁ Αἰγύπτιος στρατός.* Ac profecto Seſoſtrim Scythas eoſdem ag-

aggreſsum fuiſse, quos longo poſt temporum, ſeu ſeculorum, intervallo Darius, Hyſtaſpis filius, rex Perſarum, ex eo etiam conſtat, quod paullò poſt refert Herodotus, Sacerdotem Vulcani minimè omnium tuliſse, ut Darii ſtatua Seſoſtris ſtatuæ anteponeretur, eo quia Seſoſtris Scythas ſubegiſset, quos Darius vincere non potuiſset. In confeſso autem eſt, Darium Scythas Europæos invaſiſse: niſi quòd Darius per Thraciam atque Iſtrum flumen in Scythiam ingreſsus eſt; Seſoſtris verò ab oppoſitâ parte Ponti Euxini per Tanain: unde etiam in Thraciam excurrit. Hac verò parte per Tanain viam ſibi Seſoſtrim in Scythiam atque Thraciam patececiſse, id argumento eſt, quod ſcribit idem Herodotus, inde a Thraciâ atque Scythiâ Seſoſtrim retroceſſiſse, *ἐπιστρέψαντα ὀπίσω*, *converſo retro itinere*, regreſsum fuiſse, atque ad Phaſin fluvium ſubſediſſe. Herodotus: *Ἐνθεῦτεν δὲ ἐπιστρέψας ὀπίσω ἤιε· καὶ ἐπεί τε ἐγένετο ἐπὶ Φάσι ποταμῷ, οὐκ ἔχω τὸ ἐνθεῦτεν ἀτρεκέως εἰπεῖν.* Quid enim eſt, unum aliquem *ἐπιστρέψαντα ὀπίσω ἰέναι*, niſi eadem viâ, qua venerat, redire? Ergo, ſi a Thraciâ atque Scythiâ Seſoſtris ad Phaſin reverſus fuit; per Phaſin antea, atque adeò per Tanain, in Sythiam, ac deinde in Thraciam, penetraverat. Phaſin porrò hunc fluvium quidam, quorum meminit Herodotus, & ex Herodoto Procopius Cæſarienſis, Europæ atque Aſiæ terminum poſuerunt. Sed aliquam cladem exiſtimo Seſoſtrim in Thraciâ accepiſse, quæ retrocedere eum, unde venerat, coëgerit. Diodorus: *διαβὰς δ' εἰς τὴν Εὐρώπην, καὶ διεξιὼν ἅπασαν τὴν Θρᾴκην, ἐκινδύνευσεν ἀποβαλεῖν τὴν δύναμιν, διὰ σπάνιν τροφῆς, καὶ τόπων δυσχωρίας. διόπερ ὅρια τῆς στρατιᾶς ποιησάμενος ἐν τῇ Θρᾴκῃ, στήλας κατεσκεύασεν ἐν πολλοῖς τόποις τῶν αὐτῷ κατακτηθέντων* Supra autem Diodorus finem inter Europam & Aſiam, Tanain conſtituerat. Redeuntem igitur ab expeditione Thraciâ Seſoſtrim, trajecto rurſum Tanaide, aſsumpſiſse ſecum opinor milites, quos ad Mæotin paludem ab initio reliquerat; &, quia ſibi fortaſse ab hoſtilibus incurſionibus timebat, coloniam de iiſdem militibus, ut in loco maximè idoneo, ad Phaſin, propugnaculi inſtar, collocaſse; ipſum verò reliquam partem exercitus domum reduxiſse; indeque dixiſse Valerium Flaccum:

Digitized by Google

ut prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Getis; ut clade ſuorum
Territus, hos Thebas, patriumque reducat ad amnem,
Phaſidis hos imponat agris, Colchoſque vocari
Imperet.

Getarum appellatione videtur Valerius Scythas Europæos atque Thraces comprehendere. Hæc mihi veriſimillima videtur de Seſoſtre Colchorumque initiis narratio. Nam quod vir eruditiſſimus cenſet, Seſoſtrim Argonautarum in Colchos expeditione multò eſſe recentiorem, eundemque eſſe hunc Seſoſtrim, atque Suſacum, regem Ægypti, Roboami Judæorum regis æqualem, id ego planè falſiſſimum judico. Neque verò dicit Joſephus, quod ſibi vir doctiſſimus perſuadet, eundem eſſe Seſoſtrim, atque Suſacum; ſed in eo per errorem labi Herodotum, quòd res geſtas Suſaci Seſoſtri attribuerit: περὶ οὗ, inquit, de quo nimirum Suſaco, πλανηθεὶς Ἡρόδοτος τὰς πράξεις αὐτοῦ Σεσώστρει προσάπτει. Qua de re ipſe viderit Joſephus. At enim multò antiquior Seſoſtris, qui multis etiam ſeculis Suſacum anteceſſit. Scholiaſta Apollonii: Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ, μετὰ τὸν Ἴσιδος, καὶ Ὀσίριδος Ὧρον, βασιλέα γεγονέναι Σεσογχωσιν λέγει· ὥστε γίγνεσθαι ἀπὸ τῆς Σεσογχώσιδος βασιλείας μέχρι τῆς Νείλου ἔτη δισχίλια φ΄, ἀπὸ δὲ τῆς Νείλου βασιλείας μέχρι τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος, ἔτη υλς΄· ὡς εἶναι τὰ πάντα ὁμοῦ ἔτη δισχίλια ἐννακόσια, λς΄. Fabulabatur quidem Dicæarchus ſuo illo tanto numero annorum, quos inter Seſonchoſim, quem vocat, hoc eſt, Seſoſtrim, & Olympiadem primam ſupra omnem fidem interfluxiſſe affirmabat: ſed tamen inde ſaltem de veterum ſententiâ colligi & poſſe & debere ajo, multò Argonautis vetuſtiorem Seſoſtrim extitiſſe, neque præter fidem atque probabilitatem, coloniam Colchorum Ægyptiacam ad Seſoſtrim, vetuſtiſſimum Ægypti regem, relatam fuiſſe.

CAPUT XI.

Platonis peregrinationes, non tam periegeſis, quam ſapientiæ ſtudio. Hieronymi locus reconcinnatus. Ulyſſis Homerici peregrinatio. Periegeſis, φιλόσοφον χρῆμα καὶ βασιλικόν. De genere Dionyſii. Alii ejus libri. Λιθιακὰ, *cujus Dionyſii? an Corinthii? An Dionyſius hic Periegeta, Corinthius? An* Βασσαρικῶν *auctor Dionyſius Samius? Dionyſius Samius apud Suidam Hiſtoricus. Alius hic a noſtro Periegetâ. Dionyſii Samii* τὰ περὶ τοῦ Κύκλου. *Aſſertus ejus libri titulus contra Salmaſium. Dionyſii Mileſii* Κύκλος ἱστορικός. *Dionyſius* ὁ Κυκλογράφος. *An Dionyſius Periegeta ſcripſerit* τὰ Ὀρνιθιακά? *Dionyſius Philadelphenſis, qui & cognominatus* Διάκονος, *ſeu* Ὑπέκονος. *Dionyſii Periegetæ ætas. Exordiorum virtutes. Dionyſiani Poematis laudes. Euſtathii locus reſtitutus.*

PLATONIS in Periegeſin ſtudium peregrinationes quoque ejus commendarunt. Euſtathius: Καὶ Πλάτωνα δὲ, φασὶ, τοῦ πράγματος ἐρῶν, οὐ μόνον ἐπὶ Σικελίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' Αἴγυπτον ἀποδήμησαι. Tritum illud Hieronymi ad Paullinum: *Sic Plato Ægyptum, Architam Tarentinum* (adiit); *eamque oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit, ut, qui Athenis magiſter erat, & potens, cujuſque doctrinam Academiæ Gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus, malens aliena verecundè diſcere, quàm ſua imprudenter ingerere.* Quibus ex verbis Hieronymi patet, Platonem non tam Periegeſis ſtudio, quàm ſapientiæ comparandæ cauſsâ, tam longè peregrinatum. Sed Hieronymi verba, niſi aliunde corrigas, commodo ſenſu accipias, oportet, aſſumpto ex ſuperioribus verbo, *adiit*, vel aliquo ſimili. Neque enim ut Ægyptum & Magnam Græciam, ita Architam Tarentinum, dixerit, opinor, Hieronymus, Platonem peragraviſſe. Præceſſerant illa verba: *Legimus in veteribus hiſtoriis, quoſdam luſtraſſe provincias, novos adiiſſe populos, maria tranſiſſe, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras*

ras Memphiticos vates. Pythagoram & Platonem vult Hieronymus eſſe eorum exemplo, qui ut coram agnoſcerent, quos famâ propter doctrinam atque eruditionem noverant, multum terrarum peragrare minimè dubitarunt. Scribendum igitur Hieronymo fuerat, in hunc ferè modum: *Sic Pythagoras, ut Memphiticos vates, Ægyptum; ſic Plato Ægyptum, atque, ut Architam Tarentinum videret, eam oram Italiæ, quæ quondam Magna Græcia dicebatur, laborioſiſſimè peragravit*. Valerius Maximus de Pythagorâ: *Ægyptum petiit, ubi litteris ejus gentis aſſuefactus, præteriti Ævi Sacerdotum commentarios ſcrutatus, innumerabilium ſeculorum obſervationes cognovit*: Et de Platone: *Ægyptum peragravit, dum a Sacerdotibus ejus gentis Geometriæ multiplices numeros atque cœleſtium obſervationum rationem percipit; quoque tempore a ſtudioſis juvenibus certatim Athenæ Platonem doctorem quærentibus petebantur, ipſe Nili fluminis inextricabiles ripas, vaſtiſſimoſque campos, effuſam barbariem, & flexuoſos foſſarum ambitus, Ægyptiorum ſenum diſcipulus luſtrabat. Quò minùs miror eum in Italiam transgreſſum, ut ab Architâ Tarenti, a Timæo & Arione & Cæto Locris, Pythagoræ præcepta, & inſtituta acciperet*. Exemplo quoque maximè inſigni eorum, qui longas & diutinas terrâ marique peregrinationes ſuſceperunt, fuerit Ulyſſes Homericus: Σεμνύνει δὲ καὶ τὸν Ὁμηρικὸν Ὀδυσσέα οὐχ ἧττον τῶν ἄλλων, τὸ πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄστεα, καὶ νόον γνῶναι. Præclarè in hanc rem Strabo: Οἱ γοῦν Ποιηταὶ φρονιμωτάτους τῶν ἡρώων ἀποφαίνουσι τοὺς ἀποδημήσαντας πολλαχοῦ, καὶ πλανηθέντας· ἐν μεγάλῳ γὰρ τίθενται τὸ πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄστεα, καὶ νόον γνῶναι. Hinc meritò veteres collegerunt, τὴν περιήγησιν, φιλόσοφον εἶναί τι χρῆμα καὶ βασιλικόν. Strabo: Τῆς τοῦ φιλοσόφου πραγματείας εἶναι νομίζομεν, εἴπερ ἄλλην τινὰ, καὶ τὴν Γεωγραφικήν. De Dionyſio noſtro Periegetâ translatitium eſt illud: Διονύσιος δὲ, Λίβυς μὲν ἱστορεῖται τὸ γένος. Nam & vulgò hic ipſe traditur υἱὸς Διονυσίου Ἀλεξανδρέως. Fertur & alios libros Dionyſius conſcripſiſſe: Συγγράψαι δὲ καὶ ἄλλα βιβλία λέγεται. Codices meus, & Monilianus, Συγγράψασθαι. Creditus & idem conſcripſiſſe Lithiaca: τὰ μὲν Λιθιακὰ ἐκρίθησαν ἴδια Διονυσίου καὶ αὐτὰ, διὰ τὴν τοῦ χαρακτῆρος ὁμοιότητα. Et quidem Diony-

nyſius, is, qui ſcripſit τὰ Λιθιακὰ, alius Suidæ viſus fuit a Dionyſio Corinthio. Sed, quum, quæ Dionyſius ille Corinthius, ἐποποιὸς, elucubraſſe ferebatur, Ὑποθήκας, Αἴτια, Μετεωρολογούμενα, καὶ καταλογάδην Ὑπόμνημα εἰς Ἡσίοδον, Οἰκουμένης Περιήγησιν δι' ἐπῶν, eadem tributa etiam inveniret Dionyſio τῷ τὰ Λιθιακὰ γράψαντι, ambigebat Suidas, utrum horum ipſe auctorem ſtatueret. Ταῦτα δὲ, inquit, εὗρον καὶ ἐν Διονυσίῳ τῷ τὰ Λιθιακὰ γράψαντι. Πότερος οὖν αὐτῶν, οὐκ οἶδα. Inde verò alter quiſquam confecerit, eundem prorſus eſſe Dionyſium τὸν τὰ Λιθιακὰ γράψαντα, atque Dionyſium Corinthium. Quòd ſi Euſtathius Dionyſio huic noſtro Periegetæ τὰ Λιθιακὰ, διὰ τὴν τοῦ χαρακτῆρος ὁμοιότητα, certò adjudicat; hac ratione Dionyſius Periegeta idem fuerit, atque Dionyſius Corinthius. Λιθικῶν Dionyſii Poëtæ meminit Maximus in Scholiis ad Myſticam Theologiam Dionyſii Areopagitæ. Sed ibi ſanè reponendum Λιθιακῶν. Indigna autem viſa ſunt, quæ Dionyſio noſtro adſcriberentur, τὰ Βαγαρικά· ideſt, Διονυσιακά. Τὰ δὲ Βαγαρικὰ, διὰ τὴν βραχύτητα, οὐκ ἄξια τούτῳ κριθέντα, εἰς τὸν Σάμιον ἀνηνέχθησαν Διονύσιον. Dionyſii quidem τὰ Βαγαρικὰ citat aliquoties Stephanus in Ethnicis. Sed neſciremus, cuinam Dionyſio vindicanda ea viderentur, niſi nos hîc Euſtathius, διὰ τὴν βραχύτητα, Dionyſii Samii viſa ea olim fuiſſe, docuiſſet. Nam Suidas quidem in iis, quæ ſcripſit Dionyſius Samius, minimè omnium adnumerat τὰ Βαγαρικά. Ego tamen ſuſpicor, Dionyſium illum, cui auctori tributa ſunt τὰ Βασσαρικὰ, alium fuiſſe a Dionyſio hoc Samio Suidæ. Samius ille Dionyſius fuit Poëta, qui carmine conſcripſit τὰ Βασσαρικά. Verſus inde quoſdam adducit Stephanus. Dionyſius hic, de quo meminit Suidas, fuit Hiſtoricus, Dionyſius, inquam, Muſonii filius, quem alii Rhodium dixerunt: qui etiam ſcripſit Οἰκουμένης Περιήγησιν· nimirum, ut puto, καταλογάδην. Neque enim adhæreo Voſſio, qui ex Dionyſio hoc Samio, atque ex ejus Periegeſi, cenſet eſſe verſus illos apud Tzetzem:

> Τῆς γάρ τοι φιλότητος Ἀμαζονίδων ἐγένοντο,
> Τὴν ποτε δὴ μίχθησαν ἐπ' ἀνδράσι Σαυρομάτῃσι.

Qua de re nos poſtea ad Dionyſium noſtrum Periegetam. Potuit ſanè idem ipſe, ut complures alii, & Hiſtoricus eſſe, & Poëta. Sed

ta-

tamen Dionyſius hic Samius, Muſonii filius, non eſt quidem apud Suidam ἐποποιὸς, qualis Dionyſius Mitylenæus, itemque Dionyſius tum Byzantius, tum Corinthius; ſed ἱστορικὸς, qualis Dionyſius Mileſius, cujus item commemorat Suidas Περιήγησιν Οἰκουμένης. Et mirum planè eſt, ſi a Dionyſio hoc, Muſonii filio, ſcripta ſunt τὰ Βασσαρικὰ octo & decem ad minus libris, quot eos libros fuiſſe apparet ex Stephano, non eorum etiam Suidam inter alia Dionyſii hujus ſcripta mentionem feciſſe. Dionyſium Samium ἐν τοῖς περὶ τοῦ Κύκλου ſemel atque iterum citat Athenæus, ejuſque verba hæc refert: καὶ αὐτὸν (Κύκλωπα) Ὀδυσσεὺς ὁρῶν ταῦτα ποιοῦντα, πληρώσας τοῦ οἴνου κυμβίον, δίδωσι πιεῖν. Falſum hunc titulum librorum Dionyſii Samii περὶ Κύκλου autumat vir magnus in Exercitationibus Plinianis, & pro eo legendum, περὶ Κύκλωπος. Sed cur falſum illum titulum, quem in Athenæo conſtanter exhibent veteres membranæ? An quia Dionyſium Mileſium legebat in Suidâ Κύκλον ἱστορικὸν compoſuiſſe, ideo noluit, Athenæum ejus tituli atque argumenti libros Dionyſio Samio attribuiſſe? At enim de libri alicujus Scriptore doctos & eruditos viros ſæpe inter ſeſe diſſentire videas· ut potuerit Suidas, ſeu is, ex quo ſua illa Suidas tranſcripſit, ad Dionyſium Mileſium id ipſum referre, quod Athenæus ad Dionyſium Samium, & multò quidem probabiliùs, retulerat. Alii, qui Κύκλου hunc Scriptorem citant, Dionyſium tantùm nominant, nullâ aliâ diſtinctionis notâ, ut Clemens Alexandrinus in Protreptico, & Scholiaſtæ, tum ille Pindari ad Iſthmia, tum ille Euripidis ad Phœniſſas: quem etiam Dionyſium Tzetzes τὸν Κυκλογράφον appellat. Dixi, Athenæum τὰ περὶ τοῦ Κύκλου multò probabiliùs ad Dionyſium Samium retuliſſe. Siquidem paucula illa verba, quæ inde refert Athenæus, nullo modo antiquum illum, ac veluti Poëticum ſtylum redolent, quem, pro temporum ſuorum conſuetudine, ſectatus videtur Dionyſius ille Mileſius, Hecatæi Mileſii æqualis. In ſcriptis Dionyſii Periegetæ adnumerata etiam τὰ Ὀρνιθιακά· quæ tamen ab aliis relata εἰς ἄλλον τινὰ Φιλαδελφέα Διονύσιον. Φιλαδελφέα τὸν ἐκ τῆς Φιλαδελφείας. Ineptiunt, qui Φιλαδελφέα exponunt miſſum a Ptolemæo Philadelpho· quem nempe Plinius teſtatur miſſum a Philadelpho in Indiam ad eam regionem perluſtrandam. Nomen gen-

tile

tile eſt Φιλαδελφεύς· pariter atque Σάμιος & Μιλήσιος. Ferunt, Philadelphenſem hunc Dionyſium, διὰ λέξεως ἀκυρολογίαν, cognominatum Διάκενον. Codex Monilianus, Ὑπάκενον· quæ lectio magis arridet Henrico Stephano. Dionyſii Periegetæ ætatem quadantenus ſignificat id, quod præ ſe fert ipſe Dionyſius, ſeſe vixiſse οὐκ ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν ἀνάκτων· nimirum ἐπὶ τῶν αὐτοκρατόρων. Exordiorum virtutes illæ, περιοχὴ, προσοχὴ, καὶ συμπάθεια· quibus nimirum auditorem docilem, attentum, ac benevolum facimus. Multæ Dionyſiani hujus Poëmatis laudes, ac præſertim διὰ τὸ ἀκριβές· ὅπου γε καὶ τρόπους διδασκαλίας ὁ Διονύσιος ἐν πολλοῖς ἐπιτίθεται δι' ἀκρίβειαν. Robertus Stephanus, τρόπους καὶ διδασκαλίας· quomodo etiam legiſse videtur Abel ille, ſi Deo placet, Matthæus, quantùm certè apparet ex qualicunque illâ interpretatione ejus Latina. Henricus Stephanus expunxit τὸ καί· ita ut legeret, τρόπους διδασκαλίας. Quam lectionem ceteri ſecuti ſunt. Rectè codex Monilianus, τρόπους τῆς διδασκαλίας.

Digitized by Google

ALEXANDRI POLITI

DE CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

ANIMADVERSIONUM IN EUSTATHIUM

AD DIONYSIUM PERIEGETAM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Παρεκβολαὶ, Excerpta. *Vox Grammaticis, ſeu interpretibus, in primis uſitata: quibus etiam in uſu* Ἐπιβολαί. *Periegetæ Exordium ſumptum ex Apollonio. Locus Pindari illuſtratus.* Ἄκριτα φῦλα, τὰ δυσδιάκριτα, *ſive etiam* τὰ πολύκριτα. *Priſcianus defenſus.* Τὸ ἀ *non modò* κατὰ στέρησιν, *ſed etiam* κατ' ἐπίτασιν. Ἡ οἰκουμένη κύκλῳ περιῤῥουμένη τῷ ὠκεανῷ. *Oceanus* ἀψόῤῥοος. Αἱ πλημμυρίαι τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ αἱ ἀμπώτεις *minimè ignoratæ Homero. Varia Etymologia* τοῦ ἀψόῤῥοος. *Orphei verſus reſtitutus. Eratoſthenis imitator Dionyſius Periegeta. Terram Oceano undique cinctam, notum etiam Homero. Terram Oceano eſſe coronatam, eleganter dictum Dionyſio. Oceanus, veteribus mare Atlanticum. Ptolemæus reprehenſus. Neque tamen terra ab Oceano contenta* κατὰ περιφέρειαν ἰσοδιάστατον. *Herodoti error de Oceano. Ridiculi, quibus terra* κυκλοτερὴς, *tanquam ex torno. Terrarum orbis pilæ luſoriæ comparatus.* Ἡ οἰκουμένη σφαιροειδής. *Fundę eadem aſſimilata.* Ἡ οἰκουμένη *Straboni & Ptolomæo* χλαμυδοειδής. *Tota terra* σφαιροειδής. *Terra habitabilis in conos duos a Dionyſio diviſa, ideoque* σφενδονοειδής.

HACTENUS in limine verſati ſumus. Nunc interiora Euſtathii ad Dionyſium ingredimur. Ecce tibi Ἀρχὴ τῶν ἐκ τοῦ κειμένου παρεκβολῶν, καὶ λοιπῶν ἐπιβολῶν. Παρεκβολαὶ Græcis, quæ

quæ Latinis *Excerpta*. Sic Georgii Codini Παρεκβολαὶ ἐκ τῆς βίβλου τοῦ χρονικοῦ περὶ τῶν πατρίων τῆς Κωνσταντινουπόλεως. Et Παρεκβολὴ τῆς ψήφου, Exemplum Latæ Sententiæ, excerptum ex Novellâ Alexii Comneni περὶ τοῦ ἐντὸς τῶν ιέ ἡμερῶν τοῦ ξιμήνου παράγεσθαι τὴν μαρτυρίαν. Vox in primis iis uſitata, qui ex Poëtis aliiſque ſcriptoribus verba aut loca excerperent, quæ Scholiis atque animadverſionibus ſuis illuſtrarent. His autem Excerptis quæ explicationes atque obſervationes addebantur, vocatæ eæ propriè Ἐπιβολαί., Latinè dixeris *Auctaria*, aut etiam *Corollaria*. Genus autem loquendi Grammaticum κατ᾽ ἔλλειψιν eſt illud, unde τῶν Παρεκβολῶν initium: Ὅτι τὸ τοῦ Περιηγητοῦ ἐνταῦθα προοίμιον. Plena atque integra locutio: Ἰστέον, ὅτι· aut, Σημείωσαι, ὅτι, ut diximus etiam ad Homerum. Periegetæ Exordium ſumptum ait Euſtathius, ἐκ Πινδαρικῆς ᾠδῆς. Cur non potiùs, quod alii adnotarunt, ex illo Apollonii?

> Ἀρχόμενος σέο, Φοῖβε, παλαιγενέων κλέα φωτῶν
> Μνήσομαι.

Nimis longè eſt illud Pindaricum, Olymp. Od. 13.

> Τρισολυμπιονίκαν ἐπαινέων
> Οἶκον, ἅμερον ἀστοῖς,
> Ξένοισι δὲ θεράποντα, γνώσομαι
> Τὰν ὀλβίαν Κόρινθον.

Ubi γνώσομαι exponit Scholiaſta εἰς γνῶσιν ἄξω, καὶ ὑμνήσω. Celebrat eâ Ode Pindarus ἀθλοφόρον τινὰ Κορίνθιον. Xenophontem nimirum Corinthium σταδιοδρόμον, καὶ πένταθλον. Attamen in utriuſque loci collatione, tum Pindarici, tum Dionyſiani, valde ingenioſus Euſtathius. Dionyſius εὐρέα πόντον, epitheto Homerico. Citat Euſtathius ex Dionyſio, καὶ ἀνδρῶν φῦλα. Dionyſius ἄκριτα φῦλα. Alii ſcribebant, ἄσπετα. Sed Euſtathium ἄκριτα legiſſe, oſtendit illud ejuſdem Euſtathii ad librum β′ Iliadis: ὡς καὶ ἄκριτα φῦλα τὰ δυσδιάκριτα διὰ πληθυσμόν. Ἄκριτα etiam φῦλα vetus in Dionyſium Paraphraſis explicat τὰ διὰ πλῆθος κρίνεσθαι, εἴπουν χωρίζεσθαι, μὴ δυνάμενα ἔθνη. Sed & ἄκριτα legiſſe interpretem Dionyſii Priſcianum, argumento eſt illa ejus, quamvis a contrario ſenſu, interpretatio: *populoſque per orbem Diſcretos*. Qua ex interpretatione colligere mihi videor, Priſcianum in

τῷ ἀκρι-

τῶ ἄκειτα accepiſse τὸ ά, non κατὰ στέρησιν, ſed κατ' ἐπίτασιν· ita ut idem eſse intellexerit τὸ ἄκειτα, atque πολύκειτα. Ut ἀαγὴς Etymologo non modò τὸ ἄθραυστον, κατὰ στέρησιν, ſed etiam τὸ πολύθραυστον, κατ' ἐπίτασιν τοῦ ά. Et ἄατος non modò μετὰ τοῦ ά στερητικοῦ, ὁ ἀβλαβὴς, ſed etiam, ἐπιτάσει τοῦ ά, ὁ πολυβλαβής. Itemque ἄβρομοι, non modò κατὰ στέρησιν, οἱ ἄνευ βρόμου, ſed etiam κατ' ἐπίτασιν, οἱ ἄγαν βρομοῦντες, ſeu πολύβρομοι. Et plura alia ſunt μετὰ τοῦ ά ἐπιτατικοῦ. Etymologici Magni Auctor: Σημαίνει τὸ ά ἐπτὰ, στέρησιν, ἐπίτασιν, ὁμοῦ, κακὸν, ὀλίγον, ἄθροισιν, πλεονασμόν. Στέρησιν, ὡς τὸ ἄφιλος, ὁ ἐστερημένος τῆς φιλίας. ἐπίτασιν, ὡς τὸ ἄξυλος ὕλη, ἡ πολύξυλος. καὶ ἄτλας, ὁ πάνυ καρτερικός. Sicuti etiam τὸ ἄασπετα quibuſdam habere viſum eſt τὸ ά ἐπιτατικόν. Clarè Etymologus: Ἐπιτατικὰ μόρια, ἐπτά· ά, ἄασπετος, ὁ πολύς· quo fortaſse ſenſu Heſychius: ἄασπετος, λίαν πολύς, μέγας. Quidni igitur Priſcianus τὰ ἄκειτα in Dionyſio ſumere potuerit κατ' ἐπίτασιν τοῦ ά, ἀντὶ τοῦ πολύκειτα, itaque ἄκειτα φῦλα, *populos per orbem diſcretos*, hoc eſt, valde inter ſeſe disjunctos atque remotos, reddiderit? Hæc ſi docti viri cogitaſsent, non tot tantaſque turbas Priſciano propter illam ſuam interpretationem moviſsent. Benè de Oceano: καὶ ἐν ᾧ πᾶσά ἐστιν ἡ γῆ. διότι ἡ οἰκουμένη κύκλῳ περιῤῥεῖται τῷ ὠκεανῷ. Perbellè dictum a Dionyſio θένος ὠκεανοῖο. Legunt vulgò in Dionyſio, ῥόος ὠκεανοῖο. Sed elegantiùs magiſque Poëticum, θένος. Homericum eſt illud, ἀψοῤῥόου ὠκεανοῦ. Ex hoc Oceani epitheto probat Strabo, Homerum nequaquam ignoraſse τὰ περὶ τὰς πλημμυρίας τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ τὰς ἀμπώτεις. Quod autem explicationis cauſsâ additur, ὠκεανὸς ἀψόῤῥοος, ὁ εἰς ἑαυτὸν ὁρμῶν, appoſitum eſt ad illam etymologiam τοῦ ἄψοῤῥος, cujus Etymologus meminit, ἐκ τοῦ ἂψ, καὶ τοῦ ὄρω τὸ ὁρμῶ. Unde ἄψοῤῥος Grammaticis ὁ ἐπιθόρμητος, & παλινόρμητος ἐξ ὑποστροφῆς. Qua etiam ex etymologiâ Homericum illud ἀψοῤῥόου Ὠκεανοῖο Scholiaſta Odyſseæ explicat, τοῦ κύκλῳ περινοστοῦντος τὴν γῆν, καὶ ἂψ πάλιν ἐπὶ τὰ αὐτὰ ἀφικνουμένου. Sed & aliæ duæ ſunt etymologiæ τοῦ ἀψόῤῥοος, altera παρὰ τὸ ἂψ, καὶ τὸν ῥόον, πλεονασμῷ τοῦ ό, ſecundùm quam Scholiaſta Homericus Iliadis: ἀψοῤῥόου, εἰς τοὐπίσω ῥέοντος. & Heſychius: ἀψοῤῥόου, ἀνάπαλιν ῥέοντος. Altera παρὰ τὸ αἶψα,

ex qua idem ille Scholiaſta Iliadis : ἀψορρόου, τοῦ ταχέως ῥέοντος. & Heſychius : ἀψορρόου, ταχυρρόου. cujus quoque alterius etymologiæ meminit Euſtathius ad Odyſſeam : τινὲς δὲ, ἀψόρροον φασι τὸν ταχὺ ῥέοντα, ὡς οἷον αἰψόρροον. Verſus eſt Homeri lib. υ' Odyſseæ :

Ἐν προχοῇς δὲ βάλοι ἀψορρόου Ὠκεανοῖο.

Porro autem ὁ εἰς ἑαυτὸν ὁρμῶν idem eſt, atque εἰς κύκλου σχῆμα περιαγόμενος. Veteres Grammatici apud Euſtathium ad Odyſſeam : ἀψόρροος, ὁ εἰς ἑαυτὸν ἀναλύων ἐν τῷ εἰλεῖσθαι κύκλῳ περὶ τὴν γῆν. Sic igitur Oceanus ἀψόρροος. Appoſitum illud Orphei de Oceano :

Κύκλον ἀκαμάτου καλλιρρόου Ὠκεανοῖο.

Meus codex, Κύκλον δ' ἀκαμάτου. Verùm Bochartus, ut conſuleret metro, addito articulo, fecerat Τὸν κύκλον. Teſtis citatur Eratoſthenes, cujus in multis imitator noſter Dionyſius : καθὰ καὶ Ἐρατοσθένης δοξάζει. De Eratoſthene, ejuſque Geographicis plura Geographus libro I. & II. Homerum quoque, ceterorum Geographorum principem, noviſse terram Oceano undique cinctam atque comprehenſam, oſtendit idem Geographus lib. I. Elegantiſſimè mihi ſemper viſus eſt Dionyſius dixiſse, terram, veluti inſulam, Oceano eſse coronatam : Διὸ καὶ ἐςεφανῶσθαι τὴν γῆν φησιν, ἤτοι κύκλῳ περιειλῆφθαι, τῷ ὠκεανῷ, ἅτε νῆσον. Auctor Libri De Mundo, quem Ariſtotelem eſse, ſibi vulgò, ſed falſo, perſuadent, cap. 3. Τὴν μὲν οὖν οἰκουμένην ὁ πολὺς λόγος εἰς τε νήσους, καὶ ἠπείρους διεῖλεν, ἀγνοῶν, ὅτι καὶ ἡ σύμπασα, μία νῆσός ἐστιν, ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιρρεομένη. Atlanticum vocat ipſum Oceanum. quomodo & Cicero, veteres Græcos ſecutus, in Somnio Scipionis : *omnis enim terra* &c. *parva quadam inſula eſt, circumfuſa illo mari, quod Atlanticum, quod Magnum, quod Oceanum appellatis*. Strabo : Ὅτι δὲ ἡ οἰκουμένη νῆσός ἐστι, πρῶτον μὲν ἐκ τῆς αἰσθήσεως, καὶ τῆς πείρας ληπτέον. Πανταχῇ γὰρ ὅπῃ ποτ' οὖν ἐφικτὸν γέγονεν ἀνθρώποις ἐπὶ τὰ ἔσχατα τῆς γῆς προελθεῖν, εὑρίσκεται θάλαττα, ἣν δὴ καλοῦμεν Ὠκεανόν. Καὶ ὅπου δὴ αἰσθήσει λαβεῖν οὐχ ὑπῆρξεν, ὁ λόγος δείκνυσιν. Hæc de terrarum orbe tunc temporis cognito Strabo. Nec diſſimilia Plinius aliique veterum. Ut valdè mirum ſit, quod

Digitized by Google

quod ſcribit Ptolemæus Geographiæ lib. 7. τὴν περὶ τὸ Ἰνδικὸν πέλαγος θάλασσαν πᾶσαν, μετὰ τῶν συνημμένων αὐτῇ κόλπων, παρά τε τὸν Ἀράβιον κόλπον, καὶ τὸν Περσικὸν, καὶ τὸν Γαγγητικὸν, καὶ τὸν ἰδίως καλούμενον μέγαν κόλπον, περιέχεσθαι πανταχόθεν ὑπὸ τῆς γῆς. Similiter nimirum atque Caſpium mare, quod terrâ undique eſt incluſum. Jam verò, patefactâ totius Oceani, & aliquoties repetitâ, in orbem navigatione, quis non uſurpaverit illud Plinii: *Eſt igitur in toto ſuo globo tellus, medio ambitu præcincta circumfluo mari; nec argumentis hoc inveſtigandum, ſed jam experimentis cognitum?* Neque tamen vult Dionyſius terram ab Oceano contineri κατὰ κύκλου περιαγωγὴν ἀκριβῆ, καὶ περιφέρειαν ἰσοδιάστατον. Eſt περιφέρεια ἰσοδιάστατος, πρὸς ἣν, ἀφ' ἑνὸς σημείου τῶν ἐντὸς τοῦ σχήματος κειμένων, πᾶσαι αἱ προσπίπτουσαι εὐθεῖαι, ἴσαι ἀλλήλαις εἰσί. Neque verò probat Herodotus τοὺς λέγοντας κυκλοτερῆ τὴν γῆν ὡς ἀπὸ τόρνου. Herodotus in Melpomene: Γελῶ δὲ, ὁρῶν γῆς περιόδους γράψαντας πολλοὺς ἤδη, καὶ οὐδένα νόον ἔχοντας ἐξηγησάμενον· οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ, τήν τε γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα, ὡς ἀπὸ τόρνου, καὶ τὴν Ἀσίην τῇ Εὐρώπῃ ποιεύντων ἴσην. Tria hìc ridet Herodotus, tanquam ineptè & ridiculè conficta, Oceanum circumundique fluentem, terram, tanquam ex torno, rotundam, Aſiam parem Europæ. De primo, ſatis Oceani rudem atque imperitum ſeſe Herodotus prodibit. De ſecundo, & tertio, habet ſibi aſſentientes Geographos. Et quidem certè ex Herodoto ſcripſit Eratoſthenes de terrâ, ὅτι σφαιροειδὴς ἡ σύμπασα, οὐκ ὡς ἐκ τόρνου δὲ, ἀλλ' ἔχει τινὰς ἀνωμαλίας. Pilæ luſoriæ orbem terrarum comparabat Seneca Natural. Quæſt. lib.4. c.11. *Pilæ proprietas eſt, cum æqualitate quadam rotunditas. Æqualitatem autem hanc accipe, quam vides in luſoriâ pilâ. Non multum illi commiſſuræ, & rimæ earum nocent, quominus par ſibi ab omni parte dicatur. Quomodo in hâc pilâ, nihil illa intervalla officiunt ad ſpeciem rotundi, ſic nec in univerſo quidem orbe terrarum editi montes, quorum altitudo totius mundi collatione conſumitur.* Egregiè Strabo in eandem ſententiam lib.2. Συγκρύπτοιτο γὰρ ἂν τὸ ἐξέχον τῆς γῆς ἐν τῷ τοσούτῳ μεγέθει μικρὸν ὂν, καὶ λανθάνειν δυνάμενον· ὥστε τὸ σφαιροειδὲς ἐπὶ τούτων, οὐχ ὡς ἂν ἐκ τόρ-

νυ φαμὲν, οὐδ᾽, ὡς ὁ Γεωμέτρης, πρὸς λόγον· ἀλλὰ πρὸς αἴσθησιν, καὶ πάντων παχυτέρως. Non igitur tota terra διαπρὸ περίδρομος· quod ait Dionyſius. Διαπρὸ, ἤτοι διόλυ. Heſychius: διαπρὸ, δι᾽ ὅλυ, διαμπὰξ, διηνεκῶς. Περίδρομος· ideſt, περιφερής. Sic & Heſychio περίδρομοι, τόποι περιφερεῖς. Quod ſi ἡ οἰκυμένη προμήκης, ut Dionyſio atque aliis viſum fuit, non illa ſanè πᾶσα διαπρὸ περιφερὴς, ex definitione 15. lib. 1. Element. Euclidis. Neque igitur illa πᾶσα διαπρὸ περίδρομος. Hinc ἡ οἰκυμένη σφενδόνῃ aſſimilata. quæ opinio fuit Poſidonii: Τοιαύτη γὰρ τὸ σχῆμα ἡ οἰκυμένη γῆ, καθὰ καὶ Ποσειδωνίῳ δοκεῖ. Agathemerus: Ποσειδώνιος δὲ ὁ Στωϊκὸς σφενδονοειδῆ (γλῶ συνεῖδε) καὶ μεσοπλατὸν ἀπὸ Νότυ εἰς Βορρᾶν, στενλὼ πρὸς ἕω, καὶ δύσιν. Alii aliter τλὼ οἰκυμένλω figurarunt. Straboni & Ptolemæo ἡ οἰκυμένη χλαμυδοειδής· quæ τῆς οἰκυμένης figura videtur fuiſſe inter veteres percelebrata. Diſertè Macrobius: *Veteres omnem habitabilem noſtram extentæ chlamydi ſimilem eſſe dixerunt*. Neque verò τῷ γῇ fruſtra additum ab Euſtathio τῷ οἰκυμένῃ. Siquidem, ſi de totâ terrâ loquimur, & non de eâ tantùm parte, quæ ſola οἰκυμένη olim credebatur, tota certè terra σφαιροειδής. Et rectè Plinius: *Neque enim deeſſe arbitror terris, aut non eſſe globi formam: ſed inhabitabilia utrinque incomperta eſſe*. At verò terra habitabilis in conos duos a Dionyſio diviſa: Διὸ καὶ εἰς δύο κώνυς τέμνεται ἡ οἰκυμένη. Quæ eſt ratio, quare ἡ οἰκυμένη fundæ aſſimiletur: quia nempe εἰς δύο κώνυς τέμνεται. Dionyſius infra:

> Σχῆμα δέ τοι Ἀσίης, ῥυσμὸς πέλει ἀμφοτεράων
> Ἠπείρων, ἑτέρωθεν ἀλίγκιον εἴδεϊ κώνυ,
> Ἑλκόμενον κατὰ βαιὸν ἐπ᾽ ἀντολίης μυχὰ πάσης.

Ubi Euſtathius: Ὁ τῆς Λιβύης καὶ Εὐρώπης ὁμῦ τῶν δύο ῥυσμὸς, ὅ ἐστιν, ἑλκυσμὸς, καὶ ἔκτασις, ὁ καὶ εἰς κῶνον, ὡς προείρηται, συντελύμενος, σχῆμά ἐστι τῆς Ἀσίης, κώνυ δηλαδὴ καταμόνας οὔσης καὶ αὐτῆς ἑτέρωθεν, οὗ τὸ πλατὺ προσήνωται τῷ τῆς Εὐρώπης, καὶ τῆς Λιβύης ἴχνει. ὡς τλὼ μὲν βάσιν ἐκείνυ τε, καὶ τύτυ τῦ κώνυ κοινλὼ εἶναι, τὸ δὲ ὀξὺ τύτυ τελευτᾶν ἐπὶ ἀνατολῆς μυχὸν πάσης, ὅ ἐστι πρὸς τὸν ἑῷον ὠκεανὸν, καὶ τὰς ἐκεῖ τῦ Διονύσυ στήλας. ὥσπερ τὸ τῦ ἑτέρου κώνυ ὁμοίως ἀποξυνόμενον τερματῦται πρὸς τὰ κατὰ

δύσιν

Digitized by Google

δύσιν Γάδειρα, καὶ τὰς τοῦ Ἡρακλέος στήλας. Διὸ καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐῤῥέθη, σφενδόνῃ ἐοικέναι τὴν γῆν.

CAPUT II.

Ἡ οἰκουμένη σφενδονοειδὴς graphicè deſcripta. Ὀξυτέρη, & non Εὐρυτέρη, lectum in Dionyſio ab Euſtathio. Ὀξυτέρη, vera Dionyſii lectio fusè contra doctiſſimos viros aſſerta. Τῆς οἰκουμένης longitudo ab ortu ad occaſum; latitudo a meridie ad ſeptentriones. Rejectæ argutiæ recentiorum. Multò major terræ pars olim cognita ab Oriente ad Occidentem, quàm a Septentrionibus ad meridiem. Tota hæc ratio longitudinis & latitudinis. Longitudo & latitudo τῆς οἰκουμένης a Ptolemæo definitæ; itemque ab aliis. Pomponius Mela caſtigatus, & explicatus. Varia τῆς οἰκουμένης figura pro variâ & longitudinis & latitudinis menſurâ. Diviſa ἡ οἰκουμένη in conos duos. Conorum horum explicatio. Hinc ἡ οἰκουμένη σφενδονοειδής. Africa τραπεζείῳ σχήματι ſimilis. Quod tamen non impedit, ne Africa ſimul cum Europâ conum unum terræ efficiat. Alter τῆς οἰκουμένης conus Aſiaticus. Ex utriuſque hujus coni figurâ explicatur vera Dionyſii lectio. Ὀξυτέρη legit in Dionyſio Priſcianus.

FIGURAM τῆς οἰκουμένης, aſſimilem prorſus fundæ, ad mentem quidem Dionyſii, graphicè deſcribit, ac veluti ante oculos ponit Euſtathius, illis verbis: Τῆς δὲ τοιαύτης οἰκουμενικῆς σφενδόνης τὰ ὀξύτερα μὲν πρός τε τῇ ἀνατολῇ εἰσι, καὶ πρὸς τῇ δύσει, ἃ δὴ κελεύθους ἠελίου καλεῖ· τὰ δ' εὐρύτερα δὲ πρός τε τῷ ἀρκτώῳ κεῖται μέρει, καὶ τῷ νοτίῳ. Sic & infra: σφενδόνῃ ἐοικέναι τὴν γῆν, ἧς τὸ ὀξὺ ἀμφοτέρωσε πρὸς τὰς τοῦ ἡλίου κελεύθους. Hinc planiſſimè conſtat, Euſtathium, Ὀξυτέρη, & non Εὐρυτέρη, legiſſe in his verſibus Dionyſii:

ἀλλὰ διαμφὶς
Ὀξυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους.

Neque tantùm ita legit Euſtathius; ſed neque etiam aliter, ex mente certè Dionyſii, legere potuit. Atque adeo ego ajo, & quovis

vis pignore oppoſito, contendere auſim, ita Dionyſium ſcripſiſſe, neque verò aliter ſcribere potuiſſe. Varia quidem fuit veterum in dimetiendâ terrâ, quæ tunc temporis cognita, & culta erat, ſententia. Sed tamen de eo omnes conſenſerunt, portionem terræ, quæ ab hominibus coleretur atque cognoſceretur, multò protractiorem eſſe ab Occidente ad Orientem, quàm quæ ab Auſtro ad Septentriones porrigeretur. Inde ſumpta eſt a Geographis τῆς οἰκουμένης, longitudo quidem ab ortu ad occaſum; latitudo verò a meridie ad Septentriones. Fruſtra argutantur, ac propemodum ineptè, recentiores, qui ex globoſâ orbis terrarum figurâ neſcio quam longitudinis hujus atque latitudinis rationem comminiſcuntur. Cauſſa veteribus, cur τῆς οἰκουμένης longitudinem eam dicerent, quæ eſt ab occaſu ad ortum; latitudinem, quæ ab auſtro ad Septentriones, fuit hæc potiſſimùm, quia multò major terræ pars, ut diximus, cognita iis atque explorata erat ab Oriente ad Occidentem, quàm a Septentrionibus ad meridiem: ὅτι καθόλου μὲν, ut ait Ptolemæus, τῷ μείζονι τῶν διαστάσεων προσάπτομεν τὸ μῆκος· ὡμολόγηται γὰρ παρὰ πάντων ἁπλῶς καὶ τῆς οἰκουμένης ἡ πρὸς δυσμὰς ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν διάστασις, πολλῷ μείζων τῆς ἀπ᾽ ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν. Et bene dicit Ptolemæus, τῆς οἰκουμένης· hoc eſt, ut idem ipſe explicat, τῆς ἐγνωσμένης γῆς. Hanc enim veteres Geographi intelligunt, cum de longitudine atque latitudine τῆς οἰκουμένης loquuntur. Ptolemæus autem longitudinem τῆς οἰκουμένης definit gradibus centum, atque octoginta; latitudinem verò, boream quidem versùs, gradibus tribus & ſexaginta; at verò, meridiem verſus, ſex & decem gradibus. Alii aliter dimetiuntur. Ariſtoteles Meteorolog. lib. 2. c. 5. Πολὺ γὰρ τὸ μῆκος διαφέρει τοῦ πλάτους. Τὸ γὰρ ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν μέχρι τῆς Ἰνδικῆς τοῦ ἐξ Αἰθιοπίας πρὸς τὴν Μαιῶτιν, καὶ τοὺς ἐσχατεύοντας τῆς Σκυθίας τόπους, πλέον ἢ πέντε πρὸς τρία τὸ μέγεθός ἐστι. Strabo lib. 2. pag. 176. ὥστε τὸ σύμπαν πλάτος τῆς οἰκουμένης, εἴη ἂν ἔλαττον τῶν τρισμυρίων (σταδίων) ἀπὸ νότου πρὸς ἄρκτον· τὸ δέ γε μῆκος περὶ ἑπτὰ μυριάδας λέγεται. Liber de Mundo: ἧς (οἰκουμένης) πλάτος μέν ἐστι κατὰ τὸ βαθύτατον τῆς ἠπείρου, βραχὺ ἀποδέον τετρακισμυρίων σταδίων, ὥς φασιν οἱ εὖ γεωγραφήσαντες· μῆκος δὲ, περὶ ἑπτακισμυρίων μάλιστα. Agathemerus lib. I. c. I. Πρῶτος δὲ Δημόκρι-

τος

τος πολύπειρος ἀνὴρ συνεῖδεν, ὅτι προμήκης ἐςὶν ἡ γῆ, ἡμιόλιον τὸ μῆκος τῦ πλάτυς ἔχυσα. Συνήνεσε τύτῳ καὶ Δικαίαρχος ὁ Περιπατητικός. Εὔδοξος δὲ τὸ μῆκος διπλῦν τῦ πλάτυς. ὁ δὲ Ἐρατοσθένης πλεῖον τῦ διπλῦ. Vide & Plinium lib.2. cap. 108. Unde etiam facilè colligas, Pomponium Melam, ubi ſic ait: *Hæc ergo ab ortu porrecta ad occaſum, &, quia ſic jacet, aliquanto, quàm ubi latiſſima eſt, longior, ambitur omnis Oceano*; Pomponium, inquam, Melam multò meliùs dicturum fuiſſe, ſi dixiſſet, *multo, quàm ubi latiſſima eſt, longior*. Et multò quidem illa longior, *quia ſic jacet*· porrecta nimirum ab ortu ad occaſum. Οὐ γὰρ ὑπερβάλλει τὰ καύματα, καὶ τὸ ψύχος κατὰ μῆκος, ἀλλ᾽ ἐπὶ πλάτος, ut bene Ariſtoteles in Meteorologicis. Et Martianus Capella: *Nam utrinque* (ideſt, a meridie ad Septentriones) *intemperati aeris nimietate contrahitur*. Hæc autem eſt ratio, cur ἡ οἰκυμένη multò ſit longior ab ortu ad occaſum, quàm ubi latiſſima a Septentrionibus ad meridiem. Quam quidem rationem minimè perceperunt, qui in Pomponio legendum cenſuerunt, *qua ſic jacet*. Hinc pro variâ & longitudinis & latitudinis menſurâ, varia afficta eſt a veteribus figura τῇ οἰκυμένῃ. Crates fecit eam ἡμικύκλιον, Hipparchus τραπεζοειδῆ, alii οὐροειδῆ, Strabo, ut diximus, χλαμυδοειδῆ, Poſidonius denique σφενδονοειδῆ. Poſidonii ſententiam quum ſequatur Dionyſius, non potuit non facere τὴν οἰκυμένην πρός τε τῇ ἀνατολῇ, καὶ πρὸς τῇ δύσει ὀξυτέραν. Dividit nanque τὴν οἰκυμένην in conos duos, alterum Aſiæ, alterum Europæ ſimul & Africæ: qui ambo coni baſes quidem ſimul habeant a meridie ad Septentriones; vertices verò, alterum, Aſiaticum nimirum, ad ortum; alterum, qui nempe eſt Europæ ſimul & Africæ, ad occaſum. Unde clarè apparet, τῆς οἰκυμένης media quidem utrinque eſſe latiora, a Septentrionibus, & meridie; extrema verò, πρὸς ἠελίοιο κελεύθους, ad occidentem nimirum & orientem, ὀξύτερα, *acutiora*. Qualis profecto eſt figura fundæ, medio latiori, extremis ſtrictioribus, atque arctioribus. Sic & Poſidonio σφενδονοειδὴς ἡ οἰκυμένη, quæ μεσοπλατὴς μὲν ἀπὸ νότυ εἰς βοῤῥᾶν, ςενὴ δὲ πρὸς ἕω καὶ δύσιν. Non eſt illa quidem Poſidonio πλατεῖα πρὸς ἕω, καὶ δύσιν. Sed μεσοπλατὴς ἀπὸ νότυ εἰς βοῤῥᾶν, ςενὴ πρὸς ἕω καὶ δύσιν. Neque igitur Dio-

Dionyſio ἡ οἰκουμένη potuit eſſe διαμφὶς πρὸς ἠελίοιο κελεύθους, hoc eſt, πρὸς ἕω καὶ δύσιν, εὐρυτέρη, ſed debuit omnino eſſe ὀξυτέρη. Dionyſius de Africâ:

Ἤτοι μὲν Λιβύη τετανυσμένη ἐς νότον ἕρπει,
Ἐς νότον ἀντολίην τε, τραπεζίῳ εἶδος ὁμοίη.
Ἀρξαμένη πρώτιςα Γαδειρόθεν, ἧχί περ ἄκρη
Εἰς μυχὸν ὀξυνθεῖσα τιταίνεται Ὠκεανοῖο.
Οὖρον δ' Ἀῤῥαβίης τεκμαίρεται ἄγχι θαλάσσης
Εὐρύτερον.

Vides hîc Africam Γαδειρόθεν, a Gadibus, hoc eſt ab Occidente, εἰς μυχὸν Ὠκεανοῖο, ὀξυνθεῖσαν τιταίνεσθαι, eandemque prope a ſinu Arabico terminum habere εὐρύτερον· qua parte nimirum baſis eſt utriuſque coni. Euſtathius: ὁ δὲ Διονύσιός φησιν αὐτὸ (τὸ τῆς Λιβύης εἶδος) τραπεζείῳ ἐοικέναι σχήματι γεωμετρικῷ τετραπλεύρῳ, ἔχοντι τὴν ἄνω πλευρὰν ἐλάττονα τῆς ὑποτεινούσης, ὡς ὑπόκειται.



Καὶ γὰρ ἡ Λιβύης ςενοῦται μὲν ὀξυνόμενα τὰ πρὸς τοῖς Γαδείροις, τουτέστι, τὰ ἑσπέρια· εὐρύνεται δὲ τὰ πρὸς ἕω καὶ Αἴγυπτον. Καὶ οὕτω μὲν οἱ τῶν παλαιῶν ἀκριβέστεροι, οἳ καὶ συνεξέχουσι τῷ τοῦ Διονυσίου σκοπῷ, λέγοντες, ὅτι ἡ Λιβύη ἐς μυχὸν μὲν ὀξύνεται ὠκεανοῦ τὸν πρὸς τοῖς Γαδείροις· τὸν οὖρον δὲ αὐτῆς τὸν εὐρύτερον Ἀραβίης τεκμαίρεται ἄγχι θαλάσσης. Ad eandem mentem Feſtus Avienus:

Ergo ſolum, terræque Libyſtidis ora per auſtrum
Tenditur, eoæ procul in confinia lucis.
Gades, principium eſt: caput hujus cæſpitis autem
Arctius anguſto conducit littora tractu,
Oceanique Salum cuneo ſubit iſtius oræ.
Terminus immenſis Arabum concluditur undis.
At latus hoc terræ diffuſius explicat agros,
Arvaque tenta patent.

Et

Et Priſcianus:

> *Incipiens Libyæ, tenuiſque a Tethyos undis,*
> *Oceanus Tyrias qua pulſat gurgite Gades,*
> *Tenditur ad notias partes, & Solis ad ortus,*
> *Et menſæ formam reddit menſoribus artis,*
> *Quam tradunt terræ non æquam margine cuncta.*
> *Terminat hæc fines Rubri prope littora ponti*
> *Latos.*

Neque verò quòd Africa trapezii ſpeciem quandam referat, id ſanè officit, quominus ipſa ſimul cum Europâ conum unum efficiat: quando utraque ſimul ad Occidentem figuram facit multò acutiorem atque arctiorem; latiorem verò ad baſim, qua utraque cohæret cum Aſiâ. Rurſus Dionyſius de Europâ ſimul atque Africâ:

> Ἄμφω δ' ἶσον ἔχουσιν ἐπ' Ἀσίδα νείατον ἴχνος·
> Ἡ μὲν πρὸς βορέην, ἡ δ' ἐς νότον· εἰ δέ κε θείης
> Ταύτας ἀμφοτέρας γαῖαν μίαν, ἥ κεν ἐπιπρὸ
> Σχῆμα πέλοι κώνου, πλευρῆς ἶσον ἀμφοτέρῃσιν·
> Ὀξὺ μὲν ἑσπέριον, πλατὺ δ' ἀντολίην ὑπὸ μέσσην.

Itemque Euſtathius: Εὐρώπη, καὶ Λιβύη τὸ νείατον ἴχνος, ἤγουν τὴν βάσιν, καὶ τὸ ἑῷον πλατὺ πέρμα ἑαυτῶν, ἴσως ἐπὶ τὴν Ἀσίαν ἔχουσιν. ὑπόκειται γὰρ ἡ Ἀσία, ὥσπερ βάσις, αὐταῖς. κἂν θείης, φησὶν, ἀμφοτέρας ταύτας, γαῖαν μίαν, μὴ μεσολαβουμένην ὑπὸ τῆς ἑσπερίας θαλάσσης, κώνου ἂν γένοιτο σχῆμα, πλευραῖς ἴσον ἀμφοτέραις. οὗ ὀξὺ μὲν τὸ ἑσπέριον, πλατὺ δὲ τὸ ἀνατολικὸν τὸ πρὸς τῇ Ἀσίᾳ. Et Feſtus Avienus:

> *Sed tamen Heſperii qua ſpectant æquoris undam,*
> *Ambæ producto coeunt ſibi cæſpite terræ.*
> *Qua matutinus Sol iſtas ignibus afflat,*
> *Latior ambabus ſpecies diſtenditur.*

Et Priſcianus:

> *Linea nanque Aſiæ ſimilis disjungit utranque.*
> *Hæc notias ſpectat partes, aquilonis at illa.*
> *Aſt ambas unam ſi terras eſſe putemus,*
> *Aſſimulant conum, laterum compagibus æquis:*
> *Cujus ad occaſus eſt ſummum, lata ſub ortu.*

Digitized by Google

Similia infra de altero cono τῆς οἰκυμένης, Aſiatico nimirum, Dionyſius. quo de cono hæc ex Dionyſio Feſtus Avienus:

Vaſtius eſt Aſiæ diti caput, indeque ſenſim
In matutinas oras conducitur axis.

Et Priſcianus:

Aſt Aſiæ fines ambarum linea monſtrat,
Et formam, contra poſitarum in imagine coni.
Paullatim trahitur tamen hæc orientis ad oras.

Hæc aliquantò nos fuſiùs ex Dionyſio, ejuſque interpretibus, inde ut planè conſtaret, quod ſupra diximus, Dionyſium de totâ terrâ habitabili ſcripſiſſe, quod ſcribere eum debuiſſe contendimus,

ἀλλὰ διαμφὶς
Ὀξυτέρη βεβαῦα πρὸς ἠελίοιο κελεύθυς.

Nam ſi Africa ſimul atque Europa, veluti unus quidam conus, in unum veluti verticem, acutiorem illum atque anguſtiorem, ad Occidentem concurrunt; ſi Aſia, coni inſtar, ad Orientem contrahitur; ſi utriuſque hujus coni, quæ media eſt baſis, latior illa eſt a Septentrionibus ad meridiem, quæ omnia docet atque inculcat Dionyſius, quì idem ipſe potuit totam habitabilem terram non facere διαμφὶς ὀξυτέρην, utrinque nimirum ad Solis vias, hoc eſt, tum ad ortum, tum ad occaſum? Quòd ſi ἀμφοτέρη ſcripſiſſet, turpiter ipſe ſibi contradixiſſet. Et ὀξυτέρη legit ſine dubio in Dionyſio Priſcianus, ut oſtendit hæc ejus interpretatio:

Non tamen aſſiduo teres undique margine circum
Clauditur hæc, bifido ſed brachia littore pandens,
Arctatur rapidos curſus ad Solis utrinque.

CAPUT III.

Inquiſitum in Avienum. Avieni lectio defenſa. Aliorum explicatio improbata. De figurâ τῆς οἰκυμένης γεωγραφικῶς locutus Dionyſius. Latitudo ab eo longitudini oppoſita. Africæ & Europæ σχῆμα, itemque Aſiæ, apud Dionyſium. Trium harum partium terrarum orbis longitudo & latitudo, comparatè ad longitudinem & latitudinem totius οἰκυμένης. Trium continentium longitudo & latitudo, παράλληλοι longitudini & latitu-

Digitized by Google

titudini totius οἰκουμένης. *Hiſpania verſa* ἐπὶ μῆκος ἠπείροιο. *Conorum duûm terreſtrium, baſis in medio communis a Septentrionibus, & meridie; vertices, alter ad Occidentem, alter ad Orientem.* Ἡ οἰκουμένη, χλαμυδοειδής. *Extrema longitudinis* μυουρίζοντα. *Anguſtiora, quæ ad ortum & occaſum; latiora, quæ a meridie ad Septentriones.*

SED quid faciamus Avieno, qui legiſſe videtur in Dionyſio ἀμφοτέρη; Quippe ſic Avienus:

Oceani nam terra ſalo præcingitur omnis,
Parva ut cæruleo caput effert inſula ponto.
Nec tamen extremus teres eſt ſinus undique in orbem,
Qua colitur populis, qua tellus paret aratro:
Sed matutino qua cælum Sole rubeſcit,
Latior, acciſi curvantur ceſpitis arva:
Cetera protentus.

Sunt, qui pro *Latior* legant *Arctior*. Sed ſine antiqui codicis teſtimonio, quam mihi fidem emendationis hujus ſuæ faciant? Sunt, qui τὸ *latior* in Avieno eodem ſenſu accipiant, atque τὸ ἀμφοτέρη, quod ipſi quidem dixiſſe volunt Dionyſium. Qui enim in Dionyſio legunt ἀμφοτέρη, ii etiam cenſent, non propriè hac voce Dionyſium latitudinem ſignificare, quæ longitudini opponitur; ſed generaliùs cujuſcunque ſpatii magnitudinem, quale etiam ſpatium eſt ab ortu ad occaſum. Itaque τὴν οἰκουμένην utrinque ad Solis vias ἀμφοτέραν, ſeu latiorem, intelligunt ipſi longiorem. Verùm hac iſta explicatione nihil ego vidi magis præpoſterum, magiſque contrarium Dionyſio, qui in Periegeſi hac ſuâ γεωγραφικῶς, quàm qui maximè, de figurâ τῆς οἰκουμένης loquitur; quumque eam aſſimilet fundæ, τὸ εὐρὺ opponit τῷ ὀξεῖ· hoc eſt, latitudinem longitudini. Sic enim Africa a Gadibus

Εἰς μυχὸν ἐξωσθεῖσα τιταίνεται Ὠκεανοῖο·
Οὖρον δ' Ἀρραβίης τεκμαίρεται ἄγχι θαλάσσης
Εὐρύτερον.

Et Africæ ſimul atque Europæ σχῆμα

Ὀξὺ μὲν ἑσπέριον, πλατὺ δ' ἀντολίην ὑπὸ μέσσην.

longius nimirum atque anguſtius ad occidentem; latius verò, orien-

 tem

tem verſus, qua parte Aſiam contingit· hoc eſt, a Septentrionibus & meridie. Itemque σχῆμα Aſiæ

Ἑλκόμενον κατὰ βαιὸν ἐπ' ἀντολίης μυχὰ πάσης,

tractum paullatim ad orientis receſſum. Quæ verba denotare videntur tractum ipſum longitudinis· quo etiam ſenſu σχῆμα ipſum Aſiæ dicitur Dionyſio ῥυσμὸς ambarum aliarum continentium, hoc eſt, ἑλκυσμὸς, καὶ ἔκτασις. Neque verò dixeris, longitudinem hanc atque latitudinem Africæ, Europæ, Aſiæ, partium eſſe, non totius οἰκυμένης. Nam quæ harum partium longitudo & latitudo dicitur, hæc profecto utraque dicitur, non ſimpliciter, ſed comparatè, & cum reſpectu ad longitudinem atque latitudinem totius οἰκυμένης. Et rectè Strabo: Καθόλυ δὲ νοητέον, ὅτι οὐχ ὡσαύτως λέγεται μῆκος καὶ πλάτος ἐπὶ ὅλυ, καὶ μέρους· ἀλλ' ἐφ' ὅλου μὲν τὸ μεῖζον διάςημα καλεῖται μῆκος: τὸ δ' ἔλαττον, πλάτος. ἐπὶ μέρους δὲ μῆκος μὲν τὸ παράλληλον τῷ τῦ ὅλου μήκει τμῆμα ἐκείνου, ὁπότερον ἂν ᾖ μεῖζον, κἂν τὸ ληφθὲν διάςημα ἐν τῷ πλάτει μεῖζον ᾖ τῦ ληφθέντος ἐν τῷ μήκει διαςήματος. Διὸ καὶ τῆς οἰκυμένης ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν μηκυνομένης, ἀπὸ δὲ ἄρκτον ἐπὶ νότον πλατυνομένης, καὶ τῦ μὲν μήκους ἐπὶ παραλλήλυ τινὸς τῷ ἰσημερινῷ γραφομένυ, τῦ δὲ πλάτους ἐπὶ μεσημβρίαν, δεῖ καὶ τῶν μερῶν λαμβάνεσθαι, μήκη μὲν τὰ παράλληλα τῷ μήκει τμήματα αὐτοῦ, πλάτη δὲ τῷ πλάτει. Sic igitur & Dionyſius, quam Europæ, Africæque, & Aſiæ dat longitudinem & latitudinem, utramque hanc dat παράλληλον longitudini atque latitudini totius οἰκυμένης. Ergo, ſi Africæ ſimul atque Europæ τὰ ὀξύτερα, hoc eſt, longiora, ſunt ad Occidentem; Aſiæ verò ad Ortum; neceſſe quoque eſt, ἡ οἰκυμένη ſit utrinque ὀξυτέρη, & ad Occidentem & ad Ortum; atque adeo de totâ οἰκυμένῃ ſcripſerit Dionyſius:

ἀλλὰ διαμφὶς
Ὀξυτέρη βεβαυῖα πρὸς ἠελίοιο κελεύθους.

quod nempe ſeorſum ſcripſerat de partibus τῆς οἰκυμένης. Quumque agens de illis partibus, τὸ ἀμβλύτερον oppoſuerit τῷ ὀξυτέρῳ, non potuit ſanè de totâ οἰκυμένῃ dicere id ἀμβλύτερον, quod eſt multò longius, atque ὀξύτερον, itaque unius atque alterius vocis ſignificationem commiſcere inter ſeſe, atque confundere. De longitu-

gitudine quoque τ̃ οἰκουμένης, quatenus hæc longitudo oppoſita eſt latitudini, Dionyſium cogitaſſe, cum terram faceret οὐ μὴν πᾶσαν διαπρὸ περίδρομον, ἀλλὰ διαμφὶς ad Solis vias extenſiorem, argumento eſt, quòd Hiſpaniam in angulo extremo Europæ verſam dicit ἐπὶ μῆκος ἠπείροιο, *in longitudinem continentis*, illis verſibus de Europâ:

Τῆς ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται,
Ἀγχοῦ στηλάων, μεγαθύμων ἔθνος Ἰβήρων,
Μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμμένον.

Veruntamen fatendum eſt, Dionyſium longitudinem atque latitudinem τ̃ οἰκουμένης ejuſque partium, non per ſeſe atque præcisè, aliorum quorundam Geographorum more, conſiderare; ſed quatenus ex terræ cognitæ longitudine ab ortu ad occaſum, ejuſque latitudine a meridie ad Septentriones, duplicis hinc inde coni figura conſurgit, cujus in medio baſis ſit communis a Septentrionibus, atque a meridie; verticum verò alter ſpectet ad occidentem, alter ad orientem. Hanc figuram duplicis coni, unius ad ortum, alterius ad occaſum, mediâ ac communi utriuſque baſi, præcipuè reſpicit ἐν τῇ οἰκουμένῃ Dionyſius. Nihil autem magis repugnat cono, quam verticem latiorem eſſe ſuâ baſi. Ergo, ſi in cono baſis ipſius eſt latitudo; acumen verò eſt verticis, quî potuit unquam Dionyſius τὴν οἰκουμένην utrinque ad Solis vias εὐρυτέρην dicere, qua vertex ipſe eſt utriuſque terreſtris coni, unius ad occidentem, alterius ad orientem? Sic verò & Geographus, quum, pro longitudinis ac latitudinis ratione τὴν οἰκουμένην figuret χλαμυδοειδῆ, appoſitè ad chlamydis figuram, extrema etiam longitudinis utrinque dicit μυουρίζειν, hoc eſt in acutum cogi atque coarctari. Sunt autem extrema ea longitudinis ad orientem & occidentem. Verba Geographi: Ὅτι μὲν οὖν ἐν τούτῳ (τῷ παραλληλογράμμῳ) ἐστὶν ἡ οἰκουμένη, φανερὸν ἐκ τοῦ μήτε τὸ πλάτος αὐτῆς τὸ μέγιστον ἔξω πίπτειν αὐτοῦ, μήτε τὸ μῆκος. Ὅτι δ' αὐτῆς χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμά ἐστιν, ἐκ τοῦ τὰ ἄκρα μυουρίζειν τὰ τοῦ μήκους ἑκατέρωθεν· κλυζόμενα δ' ἀπὸ τ̃ θαλάττης, καὶ ἀφαιρεῖν τοῦ πλάτους. Τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τ̃ περιπλευσάντων τά τε ἑῷα μέρη, καὶ τὰ δυσμικὰ ἑκατέρωθεν. Eſt autem μυουρίζειν, τὸ κατὰ μυὸς οὐρὰν στενοῦσθαι, καὶ λεπτύνεσθαι. Id ipſum paullò poſt Geographus

συνά-

Digitized by Google

συνάγεσθαι εἰς στενὸν, in his verbis : *Ὥστε δῆλον, ἐφ' ὅσον συνάγεται τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης κατὰ μῆκος ὑπὸ τοῦ περικεχυμένου πελάγους εἰς στενόν*. Atque ita etiam alii, qui terram habitabilem ſimiliter figurarunt, locuti ſunt, ut anguſtiora ea dicerent, quæ ſunt ad ortum & occaſum; latiora verò, quæ a meridie ad Septentriones.

CAPUT IV.

Ciceronis ſententia de figurá τῆς οἰκουμένης contra doctos viros explicata. Vertices etiam, poli, ſi ſermo de univerſo terrarum orbe. Univerſus terrarum orbis cingulis quinque redimitus. Hoc reſpectu, longitudo terræ, ſicuti & cœli, a polo ad polum; latera ab ortu & occaſu. Ariſtoteles correctus. Aliter philoſophandum de οἰκουμένῃ. Alia Ciceroni conſideratio univerſæ terræ, alia terræ τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης. Utriuſque differentiæ. Τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης vertices ad orientem atque occidentem. Hujus etiam unus cingulus habitabilis, borealis Ciceroni. Eidem terræ univerſæ cinguli duo habitabiles, alter borealis, alter auſtralis. Vertices, extrema longitudinis; latera, latitudinis. Τῆς οἰκουμένης longitudo ab ortu ad occaſum. Inſignis hallucinatio Macrobii. Confuſa a Macrobio ἡ οἰκουμένη cum globo terreſtri. Κυκλοτερὴ ut eſſet ἡ οἰκουμένη, id veteribus creditum ἀδύνατον. Macrobii ratio improbata. Circulus Borealis multò latior, quàm latera ipſa ab eo circulo ad Tropicum. Circulus Borealis apud Græcos varius. Semicirculus borealis partibus fere duabus & ſeptuaginta, qualibus latera utrinque a Tropico ad Borealem ſint tribus atque quadraginta. Macrobii opinio abſurda. Longitudo Tropici partibus centum & quinque ferè atque ſexaginta. Zonæ temperatæ latera, a meridie Tropicus, a Septentrionibus circulus Borealis. Zonæ ejuſdem vertices, ab ortu, & occaſu. Ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη chlamydi ſimilis. Latitudo τῆς οἰκουμένης minimè confundenda cum longitudine.

HINC illud Tullii in ſomnio Scipionis : *Omnis enim terra, quæ colitur a vobis, anguſta verticibus, lateribus latior, par-*

parva quædam inſula eſt. Vertices dicit Cicero τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης, quibus utrinque, & ad orientem & ad occidentem, fit terra anguſtior, quæ a nobis colitur. Hîc tamen fallunt, qui & ipſi falluntur, docti viri, qui *vertices*, quibus terra fit anguſta, polos intelligunt; *latera* verò, quibus fit ipſa latior, ea, quæ ab ortu & occaſu. Quæ explicatio, de ſitu quidem terræ tunc temporis cultæ atque notæ, apertè eſt falſa. Scio equidem, vertices vocatos etiam polos. Quid notius? Ipſe paullò ante Cicero mundanos polos, *cœli vertices* vocat: *Cernis autem eandem terram, quaſi quibuſdam redimitam, & circumdatam cingulis: e quibus duos maximè inter ſe diverſos, & cœli verticibus ipſis ex utraque parte ſubnixos, obriguiſſe pruinâ vides*. Sed ibi Cicero univerſum terrarum orbem, ſolidum illum & globoſum, non τὴν οἰκουμένην, conſiderat: orbem, inquam, terrarum, cingulis illis quinque redimitum, quorum medius & maximus, Solis ardore torreatur, duo ſint habitabiles: *quorum*, inquit, *auſtralis ille, in quo qui inſiſtunt, adverſa vobis urgent veſtigia, nihil ad veſtrum genus*. Hac ratione ſi orbis terrarum ſpectetur, quinam ejus vertices, niſi poli? *quoniam terra*, inquit Plinius, *a verticibus duobus, quos appellaverunt polos, centrum cœli eſt*. Apulejus de Mundo: *Hi vertices, quos immobiles diximus, ita ſunt, ut ſupra caput alter appareat ex parte Boreæ, qui ſeptentrionalis vocatur; alter autem Antarcticus humo tegatur*. Hoc etiam modo longitudo terræ, ſicuti etiam cœli, fuerit a polo ad polum; latera verò, quæ utique ſunt latitudinis, utrinque fuerint, ab ortu nimirum & occaſu · quomodo de cœlo philoſophatur Ariſtoteles: Λέγω δὲ μῆκος αὐτοῦ τὸ κατὰ τοὺς πόλους διάστημα· καὶ τῶν πόλων, τὸν μὲν ἄνω, τὸν δὲ κάτω. Διαφορὰν γὰρ ἐν μόνοις τούτοις ὁρῶμεν τῶν ἡμισφαιρίων, τῷ μὴ κινεῖσθαι τοὺς πόλους. ἅμα δὲ καὶ εἰώθαμεν λέγειν τὰ πλάγια ἐν τῷ κόσμῳ, οὐ τὸ ἄνω, καὶ τὸ κάτω, ἀλλὰ τὰ παρὰ τοὺς πόλους, ὡς τούτου μήκους ὄντος. Τὸ γὰρ εἰς τὸ πλάγιόν ἐστι τὸ παρὰ τὸ ἄνω, καὶ τὸ κάτω. Τούτων δὲ πόλων, ὁ μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς φαινόμενος, τὸ κάτω μέρος ἐστίν· ὁ δ' ἡμῖν ἄδηλος, τὸ ἄνω. Δεξιὸν γὰρ ἑκάστου λέγομεν, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κατὰ τόπον κινήσεως· τοῦ δ' οὐρανοῦ ἀρχὴν τῆς περιφορᾶς, ὅθεν αἱ ἀνατολαὶ τῶν ἄστρων. ὥστε τοῦτ' ἂν εἴη δεξιόν· οὗ δὲ αἱ δύσεις, ἀρι-

ςε-

στερόν. Correximus obiter Ariſtotelem in illis verbis: τὰ παρὰ τοὺς πόλους. &, τὸ παρὰ τὸ ἄνω. ubi pro παρὰ vulgò legunt περί. Sed παρὰ legebat Argyropylus, quantum apparet ex ejus interpretatione. Vertit enim, *præter*. Quale igitur cœlum Ariſtoteli, talis & terra fuerit, ſi per ſeſe univerſa ſpectetur. Verùm de οἰκουμένη, quod ad longitudinem, atque ad latitudinem attinet, idem ipſe Ariſtoteles longè aliter philoſophatur in Meteorologicis: ubi ridiculè facere eos ſcribit, qui τὴν οἰκουμένην γράφουσι κυκλοτερῆ, & ejus quidem longitudinem porrigit ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν μέχρι τῆς Ἰνδικῆς· latitudinem verò ἐξ Αἰθιοπίας πρὸς τὴν Μαιῶτιν, καὶ τοὺς ἐσχατεύοντας τῆς Σκυθίας τόπους. Itaque & Ciceroni alia eſt conſideratio univerſæ terræ, alia terræ τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης. Univerſa terra, cingulis eſt quinque redimita. Τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης cingulus eſt unus habitabilis, iſque borealis. Illius longitudo a polo ad polum. Hujus ab ortu ad occaſum. Illius vertices, poli. Hujus, τὰ ἄκρα terræ ipſius habitabilis, atque cognitæ, ad orientem atque occidentem, ut paullò ante dicebamus. Cicero de hoc noſtro cingulo boreali: *Hic autem alter ſubjectus aquiloni, quem incolitis, cerne, quàm tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quæ colitur a vobis, anguſta verticibus, lateribus latior*. Jam verò ſi hîc Cicero vertices, polos, ut volunt, intelligit; malè igitur cingulum hunc alterum, quem nos incolimus, ſubjectum dicit aquiloni. Neque enim uni ſolique aquiloni erit ſubjectus; ſed etiam auſtro. Siquidem poli ſunt ii, quibus omnis terra, quæ colitur a nobis, tanquam verticibus, coanguſtatur. Ergo hic alter cingulus, ſubjectus aquiloni, confunditur cum auſtrali: quem tamen auſtralem cingulum ait Cicero nihil ad noſtrum genus pertinere. Miror, doctos viros id minimè omnium attendiſſe. Si Cicero dixiſſet, omnem hanc terram nobis notam atque cultam, anguſtam eſſe *vertice*, aliquid fortaſſe commodi ſenſûs eruere inde potuiſſent. Nunc, cum dicit, *verticibus*, ſi vertices ſunt poli, reſtat, ut Cicero utrumque polum dixerit, & borealem & auſtralem, quibus cingulus hic noſtræ terræ habitabilis ex utraque parte coarctetur. Atqui non jam hæc fuerit terra culta, & veteribus nota, cujus eſt cingulus hic borealis; ſed terra univerſa, cujus cingulos duos, maximè inter ſeſe diverſos, dixerat paullò

Digitized by Google

paullò ante Cicero *cœli verticibus ipſis ex utrâque parte ſubnixos*. Ergo hujus cinguli habitabilis, qui & borealis eſt, vertices, quibus quidem verticibus idem hic cingulus in anguſtum contrahatur, alii ſunt Ciceroni a verticibus iis cœli, quibus cinguli duo extremi, & borealis, & auſtralis, ſunt utrinque ſubnixi. Quinam autem terræ hujus veteribus cognitæ alii unquam vertices eſſe poſſint, quàm ejus utrinque extrema, qua ipſa eſt longior? Vertices enim, extrema ſunt longitudinis, ut latera latitudinis. Ideoque terræ univerſæ vertices Ariſtoteli atque Ciceroni poli duo, alter borealis, alter auſtralis; quia totius globi terreſtris longitudinem a polo, ut diximus, ad polum dimetiebantur. Quum autem τῆς οἰκουμένης longitudo ſecus ſeſe habeat, & ab ortu porrecta ſit ad occaſum, ejus quoque vertices ab ortu ſint, oportet, & occaſu: quippe quum τῆς οἰκουμένης intervallum multò majus ſit ab ortu ad occaſum, quàm a meridie ad Septentriones. Intervallum autem majus, longitudo; minus, latitudo. Nihil exploratiùs atque certius. Itaque hallucinatus videtur Macrobius, qui Ciceronis locum ita explicat, ut terram hanc noſtram habitabilem verticibus anguſtiorem faciat ad boream, lateribus ab utrâque parte latiorem, hoc eſt, ab oriente & occidente. Sic enim Macrobius: *Quòd autem dixit noſtram habitabilem anguſtatam verticibus, lateribus latiorem, id eadem deſcriptione poterimus advertere. Nam quantò longior eſt Tropicus circus Septentrionali circo; tantò zona verticibus, quàm lateribus, anguſtior eſt: quia ſummitas ejus in arctum extremi circuli brevitate contrahitur; deductio autem laterum cum longitudine Tropici ab utrâque parte diſtenditur*. Profecto ſi id Cicero voluiſſet, terram, quæ colitur a nobis, non verticibus, ſed vertice, anguſtam dixiſſet. Unus nanque a Septentrionibus vertex, alter a meridie. Deinde conſideratio illa Macrobiana eſt globi terreſtris, qui a Tropico, boream versùs, arctiùs ſemper ad perficiendam rotunditatem contrahitur: qua quidem ratione latera bene utrinque fuerint a Tropico extremo, ab oriente nimirum & occidente, non modò uſque ad circulum; ſed etiam ad polum uſque ipſum, borealem. Verùm non hoc modo terram ſibi notam ac cultam veteres reſpiciebant, cum ei figuram tribuerent; ſed quàm longè ea & quàm latè pateret. Κυκλοτερῆ nanque ut eſ-

 ſet

ſet *ἡ οἰκουμένη*, id ſanè veteribus creditum fuit *ἀδύνατον κατά τε τὰ φαινόμενα, καὶ κατὰ τὸν λόγον*. Eam igitur reſpiciebant, ut diximus, longam ab ortu ad occaſum, latam a Septentrionibus ad meridiem. Ptolemæus: *εἰκότως γὰρ ἂν καλοῖμεν τῆς ἐγκειμένης ἐπιφανείας τὴν ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς διάστασιν, μῆκος· τὴν δ' ἀπ' ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν, πλάτος ὅτι τε καὶ τῶν κατ' οὐρανὸν κινήσεων τὰς παραλλήλους ταύταις ὁμωνύμως προσαγορεύομεν, καὶ ὅτι καθόλου μὲν τῇ μείζονι τῶν διαστάσεων προσάπτομεν τὸ μῆκος· ὁμολόγηται δὲ παρὰ πάντων ἁπλῶς καὶ τῆς οἰκουμένης ἡ πρὸς δυσμὰς ἀπὸ τῶν ἀνατολῶν διάστασις, πολλῷ μείζων τῆς ἀπ' ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν*. Ergo ſi *ἡ οἰκουμένη, καὶ ἐγνωσμένη* lateribus latior eſt Ciceroni, illa utique latera non ab oriente & occidente fuerint, ubi extrema ſunt longitudinis; ſed a Septentrionibus & meridie. Sed illud eſt mirabile in Macrobio, quòd zonam hanc quidem temperatam, verticibus, quàm lateribus, anguſtiorem ideo eſſe dicit, *quia ſummitas ejus in arctum extremi circuli brevitate contrahitur*. Quaſi ſcilicet circulus ille extremus multò ſit breviori ſpatio, quàm illa, quæ vocat latera, utrinque deducta, &, pro Tropici longitudine, diſtenta. Atqui circulus ille borealis, hinc inde, inter ortum nimirum & occaſum, multò quidem certè majori latitudine eſt, quàm ipſa ſint latitudinis latera, quæ ab utrâque parte Macrobius diſtendit a circulo Tropico ad Septentrionalem; idque maximè ſecundùm ſententiam Græcorum, quibus circulus ille Septentrionalis *μέγιστός ἐστι τῶν ἀεὶ θεωρουμένων κύκλων, καὶ ἐφάπτεται τοῦ ὁρίζοντος καθ' ἓν σημεῖον, καὶ ὅλος ὑπὲρ γῆν ἀπολαμβάνεται*· adeo ut pro obliquitate noſtræ habitationis circulus ille mirum in modum variet, &, quò nos magis ad boream accedimus, eò circulus ille Septentrionalis major fiat; ubi verò nos, qui cingulum temperatum incolumus, a boreâ, *ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν οἴκησιν*, quàm maximè abſumus, in ipſis nempe zonæ temperatæ finibus ſub Tropico, ſemicirculus ille Septentrionalis, quo cingulus noſter habitabilis, boream verſus, definitur, minor eſſe nequeat partibus fere duabus & ſeptuaginta, qualibus certè partibus illa utrinque latera, a Tropico circulo ad Septentrionalem, ſint tribus atque quadraginta. Quî verò unquam fiat, ut vertex latior ſit lateribus ſuis? Siquidem Macrobio zonæ hujus temperatæ vertex,

Digitized by Google

tex, circulus eſt, ſeu potiùs ſemicirculus Septentrionalis; latera verò, illa, quæ ab utrâque inde parte ad Tropicum deducuntur. Quòd ſi Macrobius Tropici longitudinem ponit ab ortu ad occaſum, cur non etiam zonæ temperatæ longitudinem ab ortu ad occaſum? qua etiam ratione zonæ ejuſdem latitudo fuerit a Tropico circulo ad Septentrionalem. Etenim, ut ſupra etiam dictum eſt, *τὸ μεῖζον διάστημα, μῆκος· τὸ ἔλαττον, πλάτος.* At verò intervallum inter utrumque illum circulum partium eſt trium & quadraginta, quales utique partes longitudo illa Tropici habet centum, & quinque ferè atque ſexaginta; ſemicirculus verò Septentrionalis duas & ſeptuaginta. Hoc ſi fit, quemadmodum faciendum eſſe ratio ipſa ſuadet, quis non videat, zonæ hujus latera, quæ latitudinem ejus utrinque determinant, hinc a meridie eſſe Tropicum, inde a Septentrionibus circulum borealem? Illa enim latera, quæ angulum minimè omnium faciunt. Strabo: *Πλευρὰν γὰρ λέγομεν τὴν ἀγώνιον γραμμήν. ἀγώνιος δ' ἐστὶν, ὅταν ἢ μὴ συννεύῃ πρὸς ἄλληλα τὰ μέρη, ἢ μὴ ἐπὶ πολύ.* Ex quo etiam ſequitur, vertices hinc inde zonæ noſtræ habitabilis, quibus longitudo ejus utrinque abſolvitur, alterum eſſe ab ortu, alterum ab occaſu. Hic eſt ſenſus Ciceronis, cum omnem terram, quæ colitur a nobis, anguſtam verticibus dicit, lateribus latiorem· verticibus nempe ad orientem, & occidentem, quibus cingulus hic noſter habitabilis eſt anguſtior; lateribus vero ad Septentriones & meridiem, quibus cingulus hic idem eſt latior. Macrobius, qui ſenſum Ciceronis minimè omnium percepit, neque etiam vertices terræ hujus noſtræ habitabilis explicat. Addit Macrobius: *Denique veteres omnem habitabilem noſtram extentæ chlamydi ſimilem eſſe dixerunt.* Inde autem magis confirmatur, quod dixi, *τῆς οἰκουμένης* anguſtiora, atque adeo vertices, eſſe ab oriente & occidente; latera verò latitudinis, a Septentrionibus & mēridie. Id ipſum enim chlamydis figurâ veteres expreſſum voluerunt. Strabo: *Τὸ μὲν δὴ χλαμυδοειδὲς σχῆμα, οἰκουμένη ἐστί· τὸ δὲ πλάτος ὁρίζεσθαι ἔφαμεν αὐτῆς ταῖς ἐσχάταις παραλλήλοις πλευραῖς, ταῖς διοριζούσαις τὸ οἰκήσιμον αὐτῆς, καὶ τὸ ἀοίκητον ἐφ' ἑκάτερα. αὗται δ' ἦσαν, πρὸς ἄρκτους μὲν, ἡ διὰ τῆς Ἰέρνης· πρὸς δὲ τῇ διακεκαυμένῃ, ἡ διὰ τῆς Κινναμωμοφόρου. αὗται δὲ προσεκβαλλόμεναι ἐπί τε τὰς ἀνατολὰς, καὶ ἐπὶ τὰς δύσεις, μέχρι*

τῶν ἀνταιρόντων μερῶν τῆς οἰκουμένης, ποιοῦσί τι παραλληλόγραμμον πρός τας ἐπιζευγνυούσας διὰ τῶν ἄρκτων αὐτάς. Ὅτι μὲν οὖν ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ οἰκουμένη, φανερὸν, ἐκ τοῦ μή τε τὸ πλάτος αὐτῆς τὸ μέγιστον ἔξω πίπτειν αὐτοῦ, μή τε τὸ μῆκος. Ὅτι δ' αὐτῆς χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμά ἐστιν, ἐκ τοῦ τὰ ἄκρα μυουρίζειν τὰ τοῦ μήκους ἑκατέρωθεν. Ex his omnibus patet, in explicandâ τῆς οἰκουμένης figurâ minimè confundendam eſſe latitudinem cum longitudine, neque eam adeo, ſive a Dionyſio, ſive a Dionyſii interprete Avieno confundi potuiſſe.

CAPUT V.

Salmaſius confutatus. Error Salmaſii in explicando Avieno. Sinus, non maris modò; ſed etiam terræ. Livii lectio reſtituta. Sigonii error. Avienus ex Virgilio illuſtratus. Κολπος *Græcis dictus etiam de terrâ. Polybius emendatus. Livius illuſtratus. Caſaubonus reprehenſus. Polybius explicatus. Sinveſſæ urbi nomen a Sinu. Strabonis locus reſtitutus. Veſcia, urbs Auſonum, unde Sinus* Veſcianus. Veſcianum, *nomen villæ.* Veſcianus *qui Græcis, Latinis* Veſcinus. *Livii locus tentatus. Sinveſſa, olim Sinope. Salmaſianæ ſententiæ abſurditas. Oceanus latior ad Occidentem, quàm ad Orientem. Avieni ſententia de figurâ* τῆς οἰκουμένης *a nemine adhuc uno intellecta. Avienus legit in Dionyſio* Ὀξυτέρη. *Cæſpes quo ſenſu dictus ab Avieno.* Acciſus cæſpes *Avieno is, qui eſt ad Occidentem. Terræ ſinus ad Orientem* latior; *ad Occidentem* acciſus; *ad Septentriones & meridiem* protentus. *Eadem ſententia Poſidonii. Poſidonium in figura* τῆς οἰκουμένης *ſecutus Dionyſius. Acciſa terra, ubi eadem* ὀξυτέρη, *utque anguſtior. Noſtra Dionyſii atque Avieni contra doctos viros explicatio. Unde Avienus terram latiorem ad Orientem poſuerit. Cauſſa mutatæ Dionyſianæ ſcripturæ. Scriptura ea depravata in Dionyſii codicibus multò frequentior.*

SED, ut unde digreſſi aliquantulum ſumus, ad Avienum redeamus, Salmaſius ὁ πάνυ audacter affirmat, Avienum ſcriptum re-

reperiſſe in Dionyſio εὐρυτέρη. quæ & vetuſtiſſima, inquit, eſt lectio. Sed, quum concoquere non poſſet, terram latiorem dici ad orientis fines, ubi illa eſt arctior, de mari, vel oceano ipſo hoc dictum, non de terrâ, accepiſſe, itaque verba illa, οὐ μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος, de oceano Avienum ſumpſiſſe, quaſi ſubintelligeretur θάλασσα, κατὰ σχῆμα σημαινομένου. Habemus igitur confitentem Salmaſium, concoquere Avienum minimè potuiſſe dictum τὸ εὐρυτέρη de terrâ, qua anguſtior illa eſt, atque arctior, ad fines orientis. Ergo, fatente Salmaſio, Avieni ſententiâ, de terrâ quidem ſcribere debuit Dionyſius ὀξυτέρη, & non εὐρυτέρη. Quòd enim Avienus legebat in Dionyſio εὐρυτέρη, ideo loqui eum de Oceano, de Salmaſii quidem ſententia, exiſtimavit. Certiſſimum autem eſt, Dionyſium de terrâ, quam & fundæ ſimilem facit, verba illa protuliſſe: Οὐ μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος. Ergo etiam certum eſt, Dionyſium ὀξυτέρη ſcripſiſſe, certè quidem, vel ipſo judice Avieno, ſcribere debuiſſe. Accipere porrò verba illa de Oceano, non eſt Dionyſii ſententiam explicare; ſed ſententiæ Dionyſii vim apertam inferre. Neque verò de Oceano accepit Avienus. Hic eſt error Salmaſii. Putat Salmaſius, de Oceano accipiendum teretem illum ſinum, quem dicit Avienus in illo verſu:

Non tamen extremus teres eſt ſinus undique in orbem.

Atqui Avieno extremus ille ac teres ſinus, non Oceani eſt; ſed terræ extremæ, quæ in flexuoſos littorum ſuorum anfractus infundentem ſeſe undique atque inſinuantem Oceanum recipit; planèque eſt illa Dionyſii πᾶσα χθὼν, οὐ μὴν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος. quæ etiam Priſciano

Non tamen aſſiduo teres undique margine circum.

Nam & de terrâ dicitur ſinus, quæ ſinuoſis curviſque littoribus mare veluti complectatur. Exempla paſſim tranſlatitia. Quale illud Livii lib. 28. *ſegetibus tamen, quæ prope maturitatem erant, maximè in ſinu Æniaco vaſtatis*. Sic enim ibi legebam pro vulgato *Æniano*. Æniacus ſinus, ut Maliacus. Stephanus: καὶ τὸ κτητικὸν, Αἰνιακὸς κόλπος. Livius lib. 36. *Proernam inde recepit* (Manius Acilius Conſul) *& quæ circa eam caſtella erant. Ducere tum porrò in ſinum Maliacum cœpit.* Et lib. 37. *Cum tre-*

decim

decim millibus peditum, & quingentis equitibus conſul veniebat. Jam in ſinum Maliacum venerat. Ubi Sigonius ad eundem lapidem offenderat, ad quem hic in Avieno Salmaſius, ut ſinum non de terrâ, ſed de mari duntaxat, dici exiſtimaret. Quare etiam reſcripſerat, *in finem Maliacum.* Florus lib. 2. de Annibale: *in ultimum ſe Italiæ recepit ſinum.* Sic & India, illa quidem propior Oceano, *extremi ſinus orbis* Virgilio lib. 2. Georgicor. Ad hunc Virgilii locum reſpiciebat ſine dubio Avienus, cum de terrâ, quam undique univerſam Oceanus ambit, ad Dionyſii mentem, ſcriberet:

Nec tamen extremus teres eſt ſinus undique in orbem.

Alii *extremo.* Sed mihi placet *extremus*· ut ſit *ſinus extremus*; quemadmodum Virgilio *orbis extremus.* Extremi orbis ſinum vocat Indiam Virgilius. Sinum extremum, univerſum terrarum orbem Avienus. Nec tamen, inquit, ſinus extremus, hoc eſt, ipſa terra extrema, quippe ad Oceanum ſinuoſa, undique in orbem eſt teres. Hoc eſt planè, quod ait Dionyſius, *οὐ μὲν πᾶσα διαπρὸ περίδρομος*· teres nimirum, ſeu *κυκλοτερής.* Paraphraſis in Dionyſium: *οὐ πᾶσα μὲν διόλου ὑπάρχει κυκλοτερής.* Sic *κόλπος* Græcis, non maris modò eſt; ſed etiam terræ. Polybius Hiſtor. lib. 10. *Τὸν δὲ σῖτον φθείρας, καὶ παρελόμενος τῶν περὶ τὸν Αἰνείαν κόλπον κατοικούντων, ἐπανῆλθεν.* Hìc ego corrigebam, *περὶ τὸν Αἰνιακὸν κόλπον.* Eſt idem ille ſinus Æniacus, ubi maximè narrat Livius, & certè quidem ex Polybio, Philippum Macedoniæ regem, ſegetes, quæ prope maturitatem erant, vaſtaſſe. Nec illa Polybii verba, *τῶν περὶ τὸν Αἰνείαν κόλπον κατοικούντων*, rectè interpretatus eſt Caſaubonus, *accolarum ſinus Ænienſium*· ex illo nempe errore, quo & Caſaubonus credidiſſe videtur, ſinum, maris tantummodo eſſe, non terræ. Quod tamen non credit Livius, qui ſegetes dicit, non juxta ſinum Æniacum; ſed *in ſinu Æniaco*, ſeu *Æniano*, vaſtatas. Neque enim *οἱ περὶ τὸν Αἰνιακὸν κόλπον κατοικοῦντες*, ſunt accolæ ſinus Æniaci; ſed ipſi potiùs incolæ, qui ſinum nempe Æniacum incolunt, atque ibi habitant. Accolas ſi dicere Polybius voluiſſet, dixiſſet utique *παροικοῦντας*, ſeu *κατοικοῦντας.* Strabo lib. 5. *Ἡ δὲ Σινύεσσα ἐν Σιταίῳ κόλπῳ ἵδρυται, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα. Σῖνος γὰρ ὁ κόλπος.* Vult Strabo, Sinveſ-

veſſæ urbi nomen eſſe a ſinu, eo quia nimirum ſita eadem in ſinu. Sed quis eſt ille ſinus? Corrupta nanque eſt in Strabone vox illa, Σεπάνῳ · quomodo legiſſe videtur vetuſtior interpres. Viri docti probabant ἐν Σετίνῳ κόλπῳ · pro quo ego ſcripſiſſem Σητίνῳ. Sed nihil, neque Setia, neque Setini longiùs inde remoti, ad Sinveſſam. Malim ego, ἐν Βεσκιάνῳ, ſeu Βεσκιανῷ, κόλπῳ. Veſcia, urbs Auſonum, in illis finibus: unde *Veſcianus*. Stephanus: Βεσκία, πόλις Αὐσόνων. τὸ ἐθνικὸν Βεσκιάτης, ὡς Ἀντιάτης. καὶ Βεσκιανὸς, ὡς Ἀδελιανός. Inde ſinus dictus mihi videtur Veſcianus. Villæ etiam ibi nomen, Veſcianum apud Ciceronem lib. 15. epiſt. 2. ad Atticum. Alii ἐν Οὐεσκίνῳ κόλπῳ. Sed illud magis eſt ad guſtum Græcorum; hoc, Latinorum. Veſcianus enim qui Græcis, hic Latinis Veſcinus. Livius lib. 10. *Placuit, ut duæ coloniæ circa Veſcinum, & Falernum agrum deducerentur: una ad oſtium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata; altera in ſaltu Veſcino, Falernum contingente agrum: ubi Sinope dicitur Græca urbs fuiſſe; Sinveſſa deinde a colonis Romanis appellata*. Quòd ſi illud etymon placet, ut Sinveſſa appellata ſit a ſinu, in proclivi etiam mihi fuerit ſuſpicari, Livium non *in ſaltu Veſcino* ſcripſiſſe; Sed *in ſinu Veſcino*. ut, quia Sinope in ſinu Veſcino ſita erat, ideo eam coloni Romani *Sinveſſam* appellaverint. Plinius lib. 3. cap. 5. *Oppidum Sinveſſa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam. Hinc felix illa Campania eſt. Ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles. Beatos Campaniæ ſinus* dicit Tacitus: quorum certè unus, Veſcianus hic ſeu Veſcinus, ſinus ad Sinveſſam. Atque hæc ſatis de terrarum, qui dicitur, ſinu. Nunc iterum ad Avienum. Illud etiam eſt abſurdi in Salmaſii ſententiâ, quòd quum ſinum illum, apud Avienum, de Oceano accipiat, dicere facit Avienum, latiorem eſſe Oceanum, ubi Sol oritur; ideoque terras ibi in anguſtiam conſtringere. Atqui terra habitabilis anguſtior illa quidem eſt ad occidentem, quàm ad orientem. Nam quæ ejus ad Eurum vergunt, hoc eſt, ad orientem hibernum, ea ſanè ſunt latiora. Agathemerus ex Poſidonio: στενὴν (τὴν οἰκουμένην) πρὸς ἕω, καὶ δύσιν · τὰ πρὸς Εὖρον δ' ὁμοίως πλατύτερα πρὸς τὴν Ἰνδικήν. Quare etiam Oceanus latior eſt ad occidentem, ubi terra habitabilis an-

anguſtior, quàm ad orientem, ubi eadem latior. Et tamen vult Salmaſius, Avienum ἠελίοιο κελεύθους, *Solis vias*, quas vocat Dionyſius, de oriente tantùm exponere. Ita Salmaſius Avienum totum pervertit, dum perverti ab eo facit Dionyſium. Quid igitur nobis cenſendum de Avieni ſententiâ, quam nemo adhuc unus doctiſſimorum virorum intellexit? Ego planè cenſeo, legiſse Avienum in Dionyſio de terrâ habitabili, ἀλλὰ διαμφὶς Ὀξυτέρη, & hanc iſtam Dionyſii ſententiam verſibus ſuis, quanvis aliquantò obſcuriùs, reddidiſse. Neque enim verum, quod Salmaſius ait, Avienum ἠελίοιο κελεύθους de oriente tantùm expoſuiſse. Ad utranque illam & orientis & occidentis Solis viam pertinent illa verba:

Sed matutino qua cælum Sole rubeſcit,
Latior, acciſi curvantur cæſpitis arva.

Anguſtiam nanque atque coarctationem τῆς οἰκουμένης ad occaſum denotant illa: *acciſi curvantur cæſpitis arva*. Cæſpitem dicit etiam alibi Avienus de terrâ, ſeu potiùs tractu ejus habitabili, ut,

Gades principium eſt: caput hujus cæſpitis autem
Arctius anguſto conducit littora tractu.

Et rurſus:

Sed tamen Heſperii qua ſpectant æquoris undam,
Ambæ producto coeunt ſibi cæſpite terræ.

Et:

tellus Europa columnis
Proxima, magnanimos alit æquo cæſpite Iberos.

Sed hîc cæſpitem vocat acciſum, ad differentiam alterius cæſpitis, qui non eſt ita acciſus, ſed latior, ad orientem. Utrinque quidem, tum ab Oriente, tum ab Occidente, terræ ſinus contractior eſt atque anguſtior. Sed tamen aliquantò eſt latior terræ ſinus, *matutino qua cælum Sole rubeſcit*. ad Indiam nimirum extremam. Qua verò terræ ſinus ad occaſum pertinet, eſt ille quidem aliquantò arctior: perinde quaſi de ejus latitudine mare quidquam acciderit. Ideoque Avienus *acciſum cæſpitem* eleganter vocat eum, qui eſt ad occidentem. Ergo Avieno terræ ſinus, ad orientem quidem, dicitur latior; ad occidentem verò, curvatus atque acciſus: *cetera*, inquit, *protentus*· nimirum qua eſt ad Septentriones, atque ad meridiem· qua parte latitudo eſt terræ habitabilis. Appoſitè

Digitized by Google

poſitè omnino ad mentem Poſidonii, quem auctorem ſecutus eſt in figurâ τῆς οἰκουμένης Dionyſius. Fecit enim Poſidonius ille Stoicus τὴν οἰκουμένην, ut diximus, σφενδονοειδῆ, καὶ μεσοπλατὸν ἀπὸ νότου εἰς βορρᾶν, στενὴν πρὸς ἕω, καὶ δύσιν· τὰ πρὸς εὖρον δ᾽ ὁμοίως πλατύτερα πρὸς τὴν Ἰνδικήν. Quòd igitur Avienus terræ habitabilis ſinum, orientem verſus, latiorem ſcripſerit, non id ſanè argumento eſt, legiſſe eum terram habitabilem in Dionyſio utrinque ad Solis vias εὐρυτέρην. Sed, quum terræ habitabilis ſinum ab oriente latiorem ita dixerit, ut ſtatim cæſpitem etiam acciſum, atque curvatum ſubjunxerit; *cetera* verò *protentum*, terræ ejuſdem ſinum affirmaverit, inde potiùs colligendum, legiſſe eum in Dionyſio Ὀξυτέρη· ideoque, tametſi τὴν οἰκουμένην aliquantò ab oriente latiorem, quàm ab occidente, cum Poſidonio fecerit; tamen utrinque, & ad ortum & ad occaſum, anguſtiorem illam cum Poſidonio eodem agnoviſſe. quod quidem acciſo illo cæſpite ſatis ſignificat. Eſt enim ἡ οἰκουμένη ὀξυτέρη, ubi eadem acciſa. Acciſa autem eſt terra habitabilis utrinque & ad orientem & ad occidentem. Siquidem, ut recte Strabo, τὰ ἄκρα μυουρίζει τοῦ μήκους ἑκατέρωθεν· κλυζόμενα δ᾽ ἀπὸ τῆς θαλάττης, καὶ ἀφαιρεῖ τοῦ πλάτους. Et rurſus: συνάγεται τὰ ἄκρα τῆς οἰκουμένης κατὰ μῆκος ὑπὸ τοῦ περικεχυμένου πελάγους εἰς στενόν. Unde etiam patet, Avienum τὴν οἰκουμένην in latitudinem a meridie ad Septentriones protendiſſe. Verbis autem illis de terræ ſinu: *Cetera protentus*, adumbrare Avienus voluit Dionyſianum illud de terrâ habitabili, Σφενδόνῃ ἐοικυῖα· quippe quòd ἡ οἰκουμένη, a boreâ ad meridiem latè protenta, ſimilitudinem fundæ, in medio utique latioris, præ ſe ferat. Hæc mea eſt Dionyſii atque Avieni contra doctiſſimos viros explicatio. Verùm quòd Poſidonius τῆς οἰκουμένης τὰ πρὸς εὖρον πλατύτερα πρὸς τὴν Ἰνδικὴν ſtatuerit, ſicuti ſanè id fuit in cauſsâ, cur Avienus ſcripſerit:

> *Sed matutino qua cælum Sole rubeſcit,*
> *Latior;*

ita etiam ab eadem cauſsâ factum opinor, ut viri malè eruditi τὸ Ὀξυτέρη, quod ſine dubio ſcripſerat Dionyſius, ipſi in Εὐρυτέρη commutarent. Profecto contra mentem ipſius Poſidonii, qui στενὴν πρὸς ἕω καὶ δύσιν docuit eſſe τὴν οἰκουμένην. Et tamen depra-

Digitized by Google

vata illa ac vitioſa ſcriptura frequens adeò eſſe cœpit, ut Robertus Stephanus liquidò teſtatus ſit, ſeſe in exemplari quodam ſuo adnotatum reperiſſe, ὅτι ἡ ἐπιπολάζουσα γραφὴ ἐν πᾶσιν, ὡς εἰπεῖν, διεσκομένη τοῖς ἀντιγράφοις ἐστὶν διρυπέρη. Quam etiam vitiatam ſcripturam ſecutus eſt is, qui Græcam Paraphraſin ſcripſit in Dionyſium. Nobis certum eſt, quod hactenus oſtendimus, Dionyſium ſcripſiſſe ὀξυπέρη. quomodo etiam diſertè ſcribit bonus ille codex Monilianus. Nunc ad alia tranſeamus.

CAPUT VI.

De duplici cono τῆς οἰκουμένης. Conorum duûm ſimilitudine, ad explicandam τῆς οἰκουμένης figuram, parùm concinne uſus Ariſtoteles. Εὐτελὲς *viſum, vocare inſulam* τὴν γῆν. Ἡ οἰκουμένη, *parva inſula comparatè ad univerſum orbem terrarum. Inſulæ* διδείελοι, αἱ διπειρόεισαι. *Kuſterus notatus. Heſychius correctus. Sicilia,* λημπειρία *Lycophroni. Inſulæ cur* διδείελοι. *Hujus vocis varia etymologia. Ithaca quo ſenſu Homero* διδείελος. *Europa in antiquis tabulis ad Septentriones dilatata; Africa e contrario coarctata. Notatæ a Ptolemæo Tabularum Geographicarum vitioſæ deſcriptiones.* Σφενδόνη *variè accepta.* Σφενδόνη Γύγου *in Proverbiis Græcorum.* Ὀπισθοσφενδόνη *apud Comicos.* Ἡ οἰκουμένη *in tres continentes diviſa.* Ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη. *Reliqua veteribus* ἄγνωστος γῆ. *Africam cur primam Dionyſius recenſuerit. Dionyſius vulgò creditus genere Alexandrinus. Hinc ab Euſtathio petita ratio, cur ab Africâ deſcriptionem terræ ſit Dionyſius auſpicatus. Mens Euſtathii a recentioribus minimè percepta. Ea explicata. Cur Geographiam ſuam Strabo ab Europâ exorſus fuerit. Quæ eadem cauſſa fuit Ptolemæo, Plinio, atque aliis, ut ab Europâ inciperent. Similiter ad Bœotiam Homericam a veteribus quæſitum, cur a Bœotis Homerus inceperit.*

DE duplici τῆς οἰκουμένης cono, quo tota nititur οἰκουμένης ejuſdem cum fundâ ſimilitudo, manifeſtè ad Dionyſii men-

mentem patet ex his verbis Euſtathii: *ὥστε τῶν δύο κώνων ὁμοῦ κατὰ τὰς βάσεις ὄντων, τὸ μὲν τὰς κορυφὰς ὀξὺ, πρὸς ἕω κεῖσθαι καὶ δυσμάς· τὸ δὲ κατὰ τὰς βάσεις ἀμβλὺ, πρὸς νότον καὶ βορρᾶν.* Sciendum autem eſt, conorum etiam duûm ſimilitudine ad explicandam *τῆς οἰκουμένης*, veluti tympani cujusdam, figuram, uſum eſſe in Meteorologicis Ariſtotelem; ſed longè aliter, &, ſiquid ego quidem judico, parùm concinnè. Nam utriuſque hujus coni verticem Ariſtoteles ponit in meditullio terræ, & alterius quidem baſim, tropicum facit; alteriùs verò, circulum nobis ſemper conſpicuum, ſeu borealem. Uno atque altero hoc circulo intercluſa eſt *ἡ οἰκουμένη*. Aberrant ab Ariſtotelis mente viri docti, qui aliter explicant. Quòd Dionyſius inſulam vocet *τὴν ἀπείρονα γῆν*, videtur id Euſtathio *εὐτελὲς καὶ σμικροπρεπέστερον*. Ciceroni quidem *ἡ οἰκουμένη*, quæ a nobis nimirum colitur, *parva quædam inſula*: ſed comparatè ad univerſum orbem terrarum. Illa notabilis differentia inter terram, & alias inſulas, quòd terra, inſula eſt *ἀπείριτος*, aliæ inſulæ, *εὐδείελοι· αἵτινες, διὰ τὸ μὴ ἄπειρον, εὐδείελοι λέγονται.* ideſt, *διὰ τὸ εὐπέραντον*, ut Euſtathius ipſe ad Odyſſeam. Unde inſulæ *εὐδείελοι, αἱ εὐπεριόριστοι·* cujus vim vocis non intellexit ad Suidam Kuſterus. Scholiaſta Homericus ad Homericum illud, *Ἰθάκην εὐδείελον· εὐπεριόριστον, ἢ εὔδηλον, καὶ φανεράν, καθὸ νῆσός ἐστι. Πᾶσαι δὲ αἱ νῆσοι, συγκρινόμεναι ἠπείροις, εὐδηλότατα ἔχουσι τὰ ὅρια.* Corrigendus Heſychius v. *εὐδείελον·* ubi ſcriptum, *εὐπόριστον*. Malè etiam in Heſychio *τὸ εὔδηλον*, quæ eſt explicatio *τοῦ εὐδείελον*, viri docti mutare conabantur in *εὔδειλον*. Euſtathius ad libr. I. Odyſſ. *Εὐδείελος δὲ, κατὰ κοινὸν ἐπίθετον, ἡ εὔδηλος, ἤγουν εὐπεριόριστος, καὶ εὐόρατος, ἀπὸ τοῦ δῆλον, ἐξ οὗ, κατὰ διάλυσιν, δέελον. ὡς τὸ, δέελον δ' ἐπὶ σῆμα ἔθηκε. καὶ κατὰ σύνθεσιν, εὐδέελον, καὶ ἐπενθέσει τοῦ ι, εὐδείελον τὸ εὐπεριόριστον, καὶ εὐκατάληπτον.* Quare etiam Sicilia, utpote inſula, Lycophroni *ληκτηρία*, nempe quia inſulæ *ὑπὸ θαλάσσης περιέχονται, καὶ λήγειν δοκοῦσιν, ὑπ' αὐτῆς περιεχόμεναι.* Sive, ut ait Euſtathius, *ἐπεὶ ὁ μὲν ἄπειρος τόπος, οὐδὲ εὐδείελος· ὁ δὲ ληκτήριος, πάντως καὶ εὐδείελος διὰ τὸ εὐπέραντον.* Hinc apparet, cur dictæ inſulæ *εὐδείελοι*. quippe definitæ, ſuiſque terminis circumſcriptæ. Sed & alia duplex eſt vocis hujus etymologia, non ita connexa atque conjuncta

cum ratione illâ inſularum, altera ἀπὸ τῆς δείλης, altera ἀπὸ τῆς εἵλης. Secundùm alteram τὸ εὐδείελον idem fuerit, atque εὖ πρὸς δείλην κείμενον, ὅ ἐστι, πρὸς δύσιν. Secundùm alteram verò τὸ εὐδείελον idem atque εὖ τῆς εἵλης ἔχον, ὅ ἐστιν, εὔκρατον· ita ut ſit ex εὔειλον, pleonaſmo τοῦ δ. Poſteriori hoc ſenſu dicta fuerit fortaſſe Homero Ithaca εὐδείελος, ὡς εὖ τῆς εἵλης ἔχουσα, ὅ ἐστιν, εὔκρατος, καὶ οἱονεὶ εὐήλιος. Qui antiqui terrarum orbis tabulas deſcripſerunt, ii quidem Europam latiùs ad Septentriones protenderunt; Africam verò e contrario coarctarunt. Et Europam quidem protenderunt, ὡς ἂν ἔχοιεν ἐγγράφειν οἰκείως τὰ ἐν αὐτῇ πολλὰ ἔθνη. Notati verò pariter Ptolemæo, ὅσοι τὸ μὲν πλεῖστον μέρος τοῦ πίνακος ἀπένειμαν τῇ Εὐρώπῃ κατὰ τὸ μῆκος, καὶ κατὰ τὸ πλάτος, διὰ τὸ πολύχουν καὶ πυκνὸν τῶν ἐνταττομένων· τὸ δὲ ἐλάχιστον, τῇ μὲν Ἀσίᾳ, κατὰ τὸ μῆκος. τῇ δὲ Λιβύῃ, κατὰ τὸ πλάτος διὰ τὸ ἐναντίον. Contrariâ igitur ratioue Africam coarctarunt, διὰ τὸ πολὺ τῆς ἐκεῖ ἀοίκητον· ἵνα μὴ ἔγκειται, φασὶ, τῷ πίνακι χωρίον διάκενον. Fecerunt ii nimirum, contraquam poſtulat ratio ipſa Geographiæ. Neceſſe nanque eſt, ut rectè præcipit Ptolemæus, in deſcriptione universâ, διὰ τὸ δεῖν συντηρεῖν τοὺς πρὸς ἄλληλα τῶν μερῶν τῆς οἰκουμένης λόγους, τὰ μὲν στενοχωρεῖσθαι διὰ τὸ συνεχὲς τῶν ἐνταττομένων· τὰ δὲ παρέλκειν ἀπορίᾳ τῶν ἐγγραφησομένων. Ceterùm pro ἔγκειται, codex Monilianus ἐγκέηται· quemadmodum etiam exemplar unum Stephanorum. Σφενδόνη porrò, cui aſſimilatur ἡ οἰκουμένη, dupliciter accipi poteſt, aut pro τῷ λιθοβόλῳ ὀργάνῳ τῷ εἰς λίθων βολὰς, καὶ πέμψεις ἐπιτηδείῳ, aut pro αὐτῇ τῇ σφενδόνῃ τοῦ δακτυλίου. Ex hac ipsâ autem σφενδόνῃ τοῦ δακτυλίου Σφενδόνη Γύγου in Proverbiis Græcorum. Eſt autem & σφενδόνη in mundo muliebri. Unde ὀπισθοσφενδόνη παρὰ τοῖς Κωμικοῖς. Ὀπισθοσφενδόνην παρ' Ἀριστοφάνει Pollux inter muliebris mundi nomina. Nihil apud mortales vulgatius diviſione τῆς οἰκουμένης in tres continentes: τὴν ὅλην γῆν, καίπερ μίαν οὖσαν φύσει καὶ συνεχῆ, οἱ ἄνθρωποι τρισταῖς ἐπ' ἠπείροις ἐδάσαντο. Agathemerus: Διαιρεῖται δὲ ἡ ὅλη οἰκουμένη εἰς ἠπείρους τρεῖς, Ἀσίαν τε, καὶ Λιβύην, καὶ Εὐρώπην. Quæ aliis ſimpliciter οἰκουμένη, Gemino atque Ptolemæo expreſſiùs atque diſtinctiùs ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη· cujus tres, ut diximus, continentes.

Nam

Digitized by Google

Nam reliqua quidem veteribus *ἄγνωστος γῆ*. Geminus in Iſagoge: *Διαιρεῖται δὲ ἡ καθ' ἡμᾶς οἰκουμένη εἰς μέρη τρία, Ἀσίαν, Εὐρώπην, Λιβύην*. Terræ igitur, tametſi uni, tamen tria nomina: *τῇ γῇ μιᾷ ἐούσῃ τετραφάσια κεῖνται ὀνόματα*. Herodotus lib. 4. *Οὐδ' ἔχω συμβαλέσθαι, ἐπ' ὅτευ μιῇ ἐούσῃ γῇ οὐνόματα τριφάσια κέεται, ἐπωνυμίας ἔχοντα γυναικῶν*. Libyam, ſeu Africam ut primam recenſeret, viſus eſt quibuſdam Dionyſius de induſtriâ feciſſe, ex amore & charitate ſuâ in patriam: *οἷα Λίβυς, φιλῶν τὰ οἰκεῖα, καὶ οὕτω τὸ ἑαυτοῦ ἔθνος τῶν λοιπῶν προτιθέμενος*. Quippe genere Alexandrinus, ut plerique crediderunt. Neque hæc opinio temerè videtur olim invaluiſſe; ſed certo auctore in vulgus manaſſe. Siquidem in Græcis ſcholiis proditum eſt, Dionyſium hunc Periegetam filium fuiſſe Dionyſii Alexandrini. Euſtathius quoque, quum hunc Dionyſium genere Afrum arbitraretur, ideo eum conjicit, amore patriæ, deſcriptionem ſuam orbis terrarum ab Africâ, patriâ ſuâ, auſpicatum fuiſſe. Mentem hanc Euſtathii non ſunt ſanè aſſecuti recentiores plerique omnes, qui Euſtathium hoc uſum fuiſſe volunt argumento, ut genere Afrum Dionyſium fuiſſe oſtenderet, eo quia is nimirum Periegeſeos exordium ab Africâ duxiſſet. Quo argumento quid levius aut futilius? ut ſiquis Ptolemæum genere Europæum fuiſſe colligat, quòd Geographiam ille ſuam ab Europâ exorditur. Neque ut inde Dionyſii patriam demonſtraret, in mentem unquam venit Euſtathio. Sed, quum id Euſtathius pro certo haberet, patriam nimirum Dionyſii eſſe Africam, ideo ſuſpicatur, amore erga patriam ſuo ductum Dionyſium fuiſſe, ut primam Africam numeraret. Perinde ac ſi Euſtathius diceret, mirum non eſſe, ſi Dionyſius, quippe Afer, patriæque ſuæ amans, Africam primam reliquarum terræ partium nominaverit. Hoc autem, non eſt Afrum genere Dionyſium argumentis atque conjecturis probare, hoc eſt, ex eo quòd Africam primam deſcribit, Africam quoque ejus patriam, ſumpto inde argumento, cenſere; ſed ejus, quem genere Afrum aliunde eſſe conſtat, charitatem erga patriam conſiderandam proponere. Non ita, inquit, erga patriam affectus fuit Strabo: qui, tametſi patriâ Amaſenus, tamen Aſiam ſuam non præferendam ſibi duxit Europæ. *Ὁ τοίνυν Ἀμασεὺς Γεωγράφος, οὐχ οὕτω προσπαθῶς ἔχων, ἄλλως μετεχειρίσατο τὴν περιήγησιν.*

Et

Et quidem Strabo juſtiſſimam cauſsam habuit, cur ab Europâ inciperet. Ἀρκτέον δ' ἀπὸ τῆς Εὐρώπης, inquit, ὅτι πολυσχήμων τε, καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀνδρῶν εὐφυεστάτη, καὶ πολιτῶν, καὶ ταῖς ἄλλαις πλεῖστον μεταδεδωκυῖα τῶν οἰκείων ἀγαθῶν. Quam etiam cauſsam habuiſse præ oculis videntur Ptolemæus, Plinius, alii, qui Deſcriptionum ſuarum Geographicarum initium ab Europâ fecerunt. Sed hîc ſimiliter feciſse mihi videtur Euſtathius, atque cum ad Bœotiam Homericam quærit, quid cauſsæ ſit, cur a Bœotis Homerus inceperit. Sicuti enim plures ibi cauſsas ex veteribus comminiſcitur, cur primos Græcorum Homerus Bœotos recenſuerit; ſic etiam hoc loci, quòd Dionyſius genere Afer eſse ferebatur, ex amore ejus erga patriam cauſsam ingenioſè excogitat, cur Deſcriptionem orbis terrarum ſuam ab Africâ exorſus fuerit. Verùm hîc habet locum, quod ad Bœotiam acutè animadverterat Ariſtarchus, nempe ſi Homerus ab aliâ gente, præter Bœotos, exordium ſumpſiſset, cauſsam nos tunc etiam exquiſituros fuiſse. Nam ſimiliter etiam, ſi Europam Dionyſius aut Aſiam primo loco nominaſset, cauſsam adhuc aliam Euſtathius inveſtigaſset. Adeò harum rerum Græci importunè curioſi.

CAPUT VII.

Africæ fines; Occidentalis, Gadira; Orientalis, Canobicum oſtium Nili. Urbs Canobus de Canobi nomine appellata. Helenium inſula, quæ & Canobus videtur appellata. Heleneum herba. Heleneus locus. Canobus inſula deſerta. De ſitu urbis Canobi. Diſtantia urbis Canobi a Pharo; itemque ab Alexandriâ. Conciliata inter ſeſe diſſidentia Strabonis & Plinii loca. Foſſa Canopica. Canobus in aſtra relatus. Aratum Canobi Stellæ nequaquam meminiſſe. Aratum Sphæram ſuam ad Macedonicum & Helleſpontiacum clima accommodaſſe. Poſidonius reprehenſus. Canobus in climate Helleſpontiaco inconſpicuus: qui in Græciæ climate conſpici potuit. Eudoxus rectè reprehenſus ab Hipparcho. Eudoxum Cnidi de ſpeculâ ſuâ Canobum ſpectaſſe. Cauſſa, cur non ita facilè Canobus Athenis proſpiceretur. Cur Poſidonius Canobum

nobum negaverit in Græciæ tractu videri poſſe. Vulgò creditum, Aratum Sphæram ſuam ad clima Græciæ compoſuiſſe. Hinc clima Macedonicum habitum pro Græco. Θέσις *Aratea pro vero Græciæ climate everſa ab Hipparcho. Veterum Aſtronomorum de Arati Sphærâ hallucinatio: ut & Attali, & Achillis Tatii.*

DE Gadiris Euſtathius ſuo ſeſe loco dicturum profitetur: περὶ ὧν ἐν οἰκείῳ ῥηθήσεται. Codices, meus & Monilianus, ἐν οἰκείῳ τόπῳ. Africæ fines, Occidentalis, Gadira; Orientalis, τὸ Κανωβικὸν στόμα τοῦ Νείλου. Solinus de intimis gentibus Libyæ: *Quod ab Atlante ad uſque Canopitanum oſtium panditur, ubi Libyæ finis eſt, & Ægyptium limen, dictum a Canopo, Menelai gubernatore ibi ſepulto in ea inſulá, quæ oſtium Nili facit, gentes tenent diſſonæ.* Teſtatum illud de urbe Canobo, de Canobi nomine a Menelao appellatâ: καὶ τὴν πόλιν ἐπ᾽ αὐτοῦ Κάνωβον ὀνομάζει. Conon narratione ὀctivâ: καὶ Μενέλαος, καὶ Ἑλένη θάπτουσιν αὐτὸν (Canobum) ἐπ᾽ Αἰγύπτου, οὗ νῦν ἐπώνυμος ᾤκισαι πόλις. Ariſtides in Ægyptiacâ: ὁ τοίνυν Κάνωβος ὄνομα ἐστὶ Μενελάου κυβερνήτου, ὡς Ἑκαταῖος τε δή φησιν ὁ λογοποιὸς, καὶ τὸ κοινὸν τῆς φήμης. οὗ τελευτήσαντος περὶ τὸν τόπον τοῦτον λείπεται τοὔνομα ταυτὶ, φημὶ, ὡς Ἕλληνες λέγουσι. Tacitus Annalium lib 2. c 60. *Nilo ſubvehebatur* (Germanicus), *orſus oppido a Canopo. Condidere id Spartani ob ſepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempeſtate Menelaus Græciam repetens, diverſum ad mare, terramque Libycam delatus.* Ibi & Helenium inſula: ἔνθα που καὶ νῆσος τὸ Ἑλένιον, τῇ Ἑλένῃ παρώνυμον. Inſula hæc Helenium eadem mihi eſſe videtur, atque Canobus inſula, de qua paullò poſt: quæ ſanè inſula utroque hoc nomine, & ab Helenâ, & a Canobo, appellata fuerit. Ibi etiam, ni fallor, herba Heleneum, quam ex Helenæ lacrymis enatam fuiſse fabulantur, cum ſerpentis morſu necatum Canobum deflevit. qua de herbâ Heleneo hæc Etymologus: Ἑλένειον, βοτάνη ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γινομένη, εἴρηται, ὅτι ἐκ τῶν δακρύων τῆς Ἑλένης ἀνεφύη, ὅτε ἐπὶ Κανώβῳ τῷ κυβερνήτῃ Μενέλαος ἐδάκρυσεν, ὑπὸ αἱμοῤῥοΐδων ἀποθανόντι. Alius omnino ab hac inſulâ Ἑλένειος τόπος πρὸς τῷ

Ka-

Κανώβῳ apud Stephanum: cujus loci incola eidem Stephano, Ἑλενειδ'ς. Nam Canobus quidem, inſula deſerta, ut Scylax teſtatur: ubi Canobi gubernatoris tumulus. De ſitu urbis hujus Canobi hæc ſequuntur: Φασὶ δὲ, τὴν Κάνωβον ταύτην Ἀλεξανδρείας ἀπέχειν ςάδια ἑκατὸν καὶ εἴκοσι, πεζῇ ὁδεύουσι. Strabo lib. 17. Κάνωβος δ' ἐςὶ πόλις ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ςαδίοις ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν, ἐπώνυμος Κανώβου τοῦ Μενελάου κυβερνήτου, ἀποθανόντος αὐτόθι. Eandem diſtantiam Canobi a Pharo ponit Ariſtides in Ægyptiacâ. Pharus autem diſtabat tunc a continente ſtadia ſummùm ſeptem. Centum porrò & viginti ſtadia, ſunt xv. millia paſſuum. Atqui Alexandriæ a Canobico oſtio diſtantiam aliquantò minorem, hoc eſt, minùs tribus millibus paſſuum, facit Plinius lib. 5. *Alexandria, a magno Alexandro condita, in Africæ parte, ab oſtio Canopico* XII. *millia paſſuum*. Videtur autem Plinius Canopicum oſtium aliquantò latiùs ſumere, ducto ejus initio ab urbe Canopo, quæ ſita erat ad mare, & ab oſtio ipſo Nili, atque adeò ab Heracleo, aliquantulùm diſtabat. Nanque urbs quidem Canopus XII. millia paſſuum aberat ab Alexandriâ. Ammianus Marcellinus lib. 22. *Canopus inde duodecimo disjungitur lapide: quem, ut priſcæ memoriæ tradunt, Menelai gubernator, ſepultus ibi, cognominavit*. Itemque Epiphanius in Ancorato: Κάνωβός τε, ὁ Μενελάου κυβερνήτης, καὶ ἡ τούτου γυνὴ Εὐμενουθὶς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τεθαμμένοι τιμῶνται πρὸς τῇ ὄχθῃ τῆς θαλάσσης, ἀπὸ δεκαδύο σημείων διεςῶτες. Tota illa diſtantiæ Canobi ab Alexandriâ differentia poteſt debetque ita explanari, ut centum illa & viginti ſtadia Strabonis, menſura ſint itineris terreſtris; duo verò & decem paſſuum millia Plinii atque aliorum, navigationis per foſſam Canopicam. Neque verò fruſtra adjecit Strabo illud de itinere terreſtri, πεζῇ ἰοῦσι. Nanque ab Alexandriâ ad urbem Canopum viri atque mulieres ut plurimùm per foſſam Canopicam naviculis devehebantur. Percelebre mehercule nomen Canobi, quod & in aſtra relatum fuit: ἐκ δὲ τοῦ Κανώβου ἐκείνου τοῦ κυβερνήτου καὶ ἀςὴρ, ἐκεῖ που φαινόμενος, Κάνωβος ἐπωνόμαςαι, ἀφανὴς μὲν τοῖς ἐν τῷ Ἑλλαδικῷ κλίματι, ἀπὸ δὲ Ῥόδου ἀρχόμενος φαίνεσθαι. Cleomedes: ἑξῆς φησὶν ὁ Ποσειδώνιος, ὅτι Κάνωβος καλούμενος ἀςὴρ, λαμπρότατός ἐςιν πρὸς μεσημβρίαν, ὡς ἐπὶ τῷ πηδαλίῳ τῆς Ἀργοῦς.

Οὗτος

Οὗτος ἐν Ἑλλάδι ὐδὲ ὅλως ὁρᾶται. ὅθεν οὐδ' ὁ Ἄρατος ἐν τοῖς Φαινομένοις μιμνήσκεται αὐτοῦ. Rectum hoc, quod obſervat Poſidonius de Arato, Aratum Canobi Stellæ nequaquam meminiſſe, quippe qui τὰ Φαινόμενα ſua ad Macedonium & Helleſpontiacum clima exegerit· quo ſanè in climate Canobus inconſpicuus. Ad hunc poſitum Aratum Sphæram ſuam accommodaſse, monuit etiam Achilles Tatius in Iſagoge cap. 35. θέσις τίς ἐστι καὶ τὸ Ἑλλησποντιακὸν, καὶ τὸ Μακεδονίας κλίμα· παρὰ γὰρ Ἀντιγόνῳ διατρίβων Ἄρατος, τῷ τῆς Μακεδονίας βασιλεῖ, πρὸς τὸ αὐτόθι κλίμα καὶ τὴν διδασκαλίαν τῶν φαινομένων πεποίηται. Sed tamen illud falſum, quod ait Poſidonius, Canobum ἐν Ἑλλάδι, ſeu ἐν τῷ Ἑλλαδικῷ κλίματι, οὐδὲ ὅλως ὁρᾶσθαι. Diſtabat Canobus, ſecundùm Hipparchum, a polo auſtrali gradibus octo atque triginta, & ſemiſse. Erat igitur ille quidem iis omnibus inconſpicuus, quibus polus borealis altior gradibus octo atque triginta, & ſemiſse· ut profectò ſunt ii, qui in climate habitant Helleſpontiaco, τῷ καὶ διὰ Ῥώμης, quibus dies æſtivus longiſſimus, horarum eſt quinque & decem æquinoctialium. Hinc de noſtris his regionibus Vitruvius: *Nanque uti Septentriones circum axis cardines verſantes non occidunt, neque ſub terram ſubeunt; ſic & circa meridianum cardinem, qui eſt propter inclinationem mundi ſubjectus terræ, ſidera verſabunda latentiaque non habent egreſſus orientes ſupra terram. Itaque eorum figurationes, propter obſtantiam terræ, non ſunt notæ. Hujus autem rei index eſt Stella Canopi, quæ his regionibus eſt ignota.* At verò in climate illo Græciæ, certè ubi polus Borealis intra gradus octo, aut certè ſeptem & triginta, eſt elatus; quid erat impedimento, quominus Canobus ex editioribus quidem locis conſpiceretur? Et rectè Hipparchus Eudoxum eâ de cauſsâ coarguit, quòd de climate illo Græciæ aſſeruiſſet, Canobum, quippe νοτιώτερον, ἐν τῷ ἀεὶ ἀφανεῖ κύκλῳ φέρεσθαι. Nam qui Athenis ſemper apparet circulus borealis, abeſt a ſuo polo gradibus ſeptem & triginta; qui verò in Rhodo, gradibus ſex & triginta. Conſtat igitur, quod ait Hipparchus, ὅτι ὁ ἀστὴρ οὗτος βορειότερός ἐστι τοῦ ἐν τῇ Ἑλλάδι ἀφανοῦς κύκλου, καὶ δύναται ὑπὲρ γῆς φερόμενος βλέπεσθαι· καὶ δὴ καὶ θεωρεῖται ἐν τοῖς περὶ τὴν Ῥόδον τόποις· quippe quum Canobus, Hipparchi, ut

di-

dictum eſt, tempore, a polo auſtrali, gradibus octo atque triginta, & ſemiſſe, abeſset: ſic Eudoxus ipſe fertur Cnidi in eodem, atque Rhodus eſt, climate, de ſpeculâ ſuâ Canobum ſpectaſſe. Auctor Strabo. Sed, quum Athenis polus borealis ad ſeptem & triginta gradus aſſurgeret; tamen, cur inde non ita facilè Canobus proſpiceretur, in cauſsâ erat celerior cœleſtis orbis converſio, quæ eam ſtatim ſtellam ex Horizonte, atque ex hominum conſpectu auferebat. Quæ etiam erat cauſsa, cur Canobus in Rhodo, ubi tamen uno gradu altiùs, quàm Athenis, ſeſe attollebat, curioſè ex editis locis obſervaretur: quia nempe, ut ait Cleomedes, ὀφθεὶς ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος, εὐθέως κατὰ τὴν στροφὴν τοῦ κόσμου καταδύεται. Cur igitur, inquies, Poſidonius Canobum negat in Græciæ prorſus tractu videri, quem tamen eundem Canobum affirmat ſeſe in Rhodo conſpiciendum primùm præbere? Equidem ego exiſtimo, Poſidonium clima illud Græciæ, quod dicit, non aliud a Macedonico atque Helleſpontiaco intellexiſſe. Etenim quum Arati tunc Sphæra in manibus hominum magnâ cum celebritate verſaretur, vulgò etiam creditum eſt, atque jactitatum, Sphæram illam ſuam Aratum in Græciâ atque ad clima Græciæ compoſuiſſe. Quum verò neminem omnino fugeret, quæ de Tropico æſtivo Aratus ex Eudoxo ſcripſiſset, ea in clima Macedonicum atque Helleſpontiacum aptè convenire, hinc interpretes atque enarratores Arati Græciam cum Macedoniâ quodammodo confuderunt, &, quod clima verè erat Macedonicum, pro Græco habuerunt. Hæc tota eſt veterum Aſtronomorum, qui in Aratum ſcripſerunt, de Græco climate hallucinatio. Θέσιν illam quidem Arateam pro vero Græciæ climate meritò evertit Hipparchus. Sed tamen id minimè omnium obſtat, quominus Græci Arati interpretes clima illud Macedonicum pro uno, & eodem, atque ipſius Græciæ, climate venditaverint. Attalus, interpres Arati vetuſtior, ad Aratea carmina de Tropico æſtivo: Διὰ δὲ τοῦτο φανερὸν ποιεῖ, διότι τὴν ὅλην πραγματείαν ἐν τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα τόποις πεποίηται. Παρ' ἐκείνοις γάρ ἐστιν ἡ μακροτάτη ἡμέρα πρὸς τὴν μικροτάτην νύκτα, ὡς τὰ ε' πρὸς τὰ γ'. Vidit etiam, faſſuſque eſt Achilles Tatius Iſagoge ſuâ in Phænomena Arati, cap. 35. ſitum illum Sphæræ Arateæ Helleſpontiaco & Macedonico climati congruere; ſed ita tamen, ut ſupra, cap. nimirum 25.

Græ-

Digitized by Google

Græciæ etiam clima illud vocaverit, quod Helleſponti eſset ac Macedoniæ, cuique Sphæræ Arateæ ſitus reſponderet. Achilles Tatius: κατὰ ταύτην τὴν θέσιν τῆς σφαίρας, ἥ τις κατὰ τὸ κλίμα τοῦ Ἑλλησπόντου, καὶ τῆς Μακεδονίας ἐστὶ, καὶ τῆς Ἑλλάδος, τοῦ ἡλίου γενομένου ἐπὶ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ, ἡ μεγίστη ἡμέρα ἐστὶν ὡρῶν ιέ· ἡ δὲ ἐλαχίστη, ὡρῶν θ', πανταχοῦ τοῦ ἡμερονυκτίου κδ' ὡρῶν ὄντος. Poſidonius igitur, qui Rhodi philoſophabatur, atque ibi Canobum ad ipſum Horizontem ſpectabat, eâ opinione deceptus, quòd Sphæra Aratea, quæ ad clima Macedonicum aptata erat, ad Græciæ clima compoſita eſset, facilè inde adduci potuit, ut Canobum conſpici prorſus in Græcia inficiaretur: cujus quidem Canobi Aratus nequaquam meminiſset.

CAPUT VIII.

Euſtathii locus reſtitutus. Canobus, ſtella auſtralis a Rhodo primùm apparens, Alexandriæ ad quartam partem ſigni in medio cælo ſupra Horizontem conſpicua. Rhodus atque Alexandria ſub eodem meridiano. Octava & quadrageſima pars meridiani circuli interjecta inter Rhodum & Alexandriam. Quinque ſtadiorum millia interjecta inter Rhodum & Alexandriam. Via hinc Poſidonii ad totum terrarum orbem dimetiendum. Certiſſima Poſidonii de terræ totius ambitu argumentatio. Macula de Procli Sphærâ ſublata. Canopus ut plurimùm Latinis, qui Græcis Κάνωβος. *Ratio, cur Græcis etiam* Κάνωπον *dici oportuerit. Nili oſtio nomen etiam Canobo. Euſtathius reprehenſus. Oſtium Nili Canobicum idem & Heracleoticum. Heracleum, oppidum & templum Herculis. Ab hoc Heracleo oſtium vocatum Heracleoticum.* Ἡρακλειωτικὸν *dictum, &* Ἡρακλεωτικόν. *Inquiſitum in ſententiam Plinii. Error Harduini. Ptolemæus illuſtratus. Mutatus a quibuſdam ordo verborum Plinii. Naucraticum oſtium, de illorum ſententiâ, idem atque Bolbitinum. In eandem ſententiam correctus a nobis locus Plinii. Naucratis urbs ſita ad magnum flumen, intus in Delta. Unde ab eâ urbe potuerit Bolbitinum oſtium Naucraticum denominari. Naucratis a Mi-*

Mileſiis condita. Naucraticum videri etiam poſſe dictum Naucratioticum.

DE cœleſti eodem Canobo reſtituendus eſt ſequens hic locus Euſtathii: ὃς ἐν τῷ μεσουρανεῖν, τρίτον λέγεται ζωδίου μέρος ἀπέχειν. Legendum eſt ex codice Moniliano: τέταρτον λέγεται ζωδίου μέρος ἀπέχειν· nimirum τοῦ ὁρίζοντος. Malè codex meus, ἐπέχειν· quam ſcripturam ſequitur Henricus Stephanus. Canobus, ſtella auſtralis maximè ſplendida in ſummo navis Argûs gubernaculo, quæ a Rhodo apparere incipit, atque Horizontem veluti ſtringere, Alexandriæ deinde, cum cœlum medium ad libellam attingit, diſtare conſpicitur ab Horizonte quartam partem ſigni, quæ eſt pars octava & quadrageſima totius orbis ſigniferi, eademque planè æqualis parti octavæ & quadrageſimæ circuli unius meridiani. Quippe circuli ambo ſunt maximi, & ſignifer, & meridianus, atque adeò inter ſeſe æquales. Sunt autem Rhodus atque Alexandria ſub eodem meridiano. Unde, quantum ſigniferi ſpatium Canobus ſtella a Rhodo ad Alexandriam ſupra Horizontem attollitur, alterum tantum meridiani ſpatium neceſse eſt inter Rhodum & Alexandriam intercedere. Ergo, ſi ſtella illa, quæ in Rhodo inſulâ primùm ſeſe in Horizonte conſpicuam præbet, deinde Alexandriæ octavam & quadrageſimam ſigniferi orbis partem ſupra Horizontem attollitur, octava quoque & quadrageſima pars meridiani circuli interjecta ſit, oportet, inter Rhodum & Alexandriam. Quoniam verò quinque ſtadiorum millibus abeſt Rhodus ab Alexandriâ, quum totum id intervalli pars ſit octava & quadrageſima maximi in terrâ circuli, qui ſubjectus eſt meridiano cœleſti, eique reſpondet, inde Poſidonius facillimam ſibi viam ſtraverat ad totius terrarum orbis magnitudinem ducentis & quadraginta ſtadiorum millibus, parte nimirum illâ octies & quadragies multiplicatâ, dimetiendam. Cleomedes ex Poſidonio: ἀπὸ δὲ τῶν ἀρκτικῶν ὡς πρὸς μεσημβρίαν ἰοῦσιν ἀρχὴν τοῦ ὁρᾶσθαι ἐν τῷ Ῥόδῳ λαμβάνει (Κάνωβος ὁ ἀστὴρ), καὶ ὀφθεὶς ἐπὶ τοῦ ὁρίζοντος, εὐθέως κατὰ τὴν στροφὴν τοῦ κόσμου καταδύεται. Ὁπόταν δὲ τοὺς ἀπὸ Ῥόδου πεντακισχιλίους σταδίους διαπλεύσαντες, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ γενώμεθα, ὁ ἀστὴρ οὗτος εὑρίσκεται ὕψος ἀπέχων τοῦ ὁρίζοντος, ἐπειδὰν ἀκριβῶς μεσουρανήσῃ, τέταρ-

τον ζωδίου, ὅ ἐστι τεσσαρακοστόγδοον τοῦ μεσημβρινοῦ τοῦ διὰ Ῥόδου, καὶ Ἀλεξανδρείας. Ἀνάγκη τοίνυν καὶ τὸ ὑπερκείμενον τοῦ αὐτοῦ μεσημβρινοῦ τμῆμα τοῦ διαστήματος τοῦ μεταξὺ Ῥόδου, καὶ Ἀλεξανδρείας, τεσσαρακοστὸν, καὶ ὄγδοον μέρος αὐτοῦ εἶναι, διὰ τὸ τοῦτο καὶ τὸν ὁρίζοντα τῶν Ῥοδίων τοῦ ὁρίζοντος τῶν Ἀλεξανδρέων ἀφίστασθαι. Ἐπεὶ οὖν τὸ τούτῳ τῷ τμήματι ὑποκείμενον τῆς γῆς μέρος, πεντακισχιλίων σταδίων εἶναι δοκεῖ, καὶ τὰ τοῖς ἄλλοις τμήμασιν ὑποκείμενα, ἐκ πεντακισχιλίων σταδίων ἐστί· καὶ ὁ μέγιστος κύκλος τῆς γῆς εὑρίσκεται μυριάδων τεσσάρων καὶ εἴκοσιν, ἐὰν ὦσιν οἱ ἀπὸ Ῥόδου πεντακισχίλιοι· εἰ δὲ μὴ, πρὸς λόγον τοῦ διαστήματος. Καὶ ἡ μὲν Ποσειδωνίου ἔφοδος περὶ τοῦ κατὰ τὴν γῆν μεγέθους τοιαύτη. Coarguunt hæc, ſcio, variè recentiores. Sed, ſi ponimus ea, quæ ponenda eſſe voluit Poſidonius, certiſſima eſt ejus de terræ totius ambitu argumentatio. Turpe autem mendum jam inde ab antiquâ Aldi editione Procli Sphæram inſedit in illis verbis: ὁ δὲ ἐν ἄκρῳ τῷ πηδαλίῳ τῆς Ἀργοῦς κείμενος λαμπρὸς ἀστὴρ, Κάνωβος ὀνομάζεται. Οὗτος μὲν ἐν Ῥόδῳ μόλις θεώρητός ἐστιν, ἢ παντελῶς ἀφ' ὑψηλῶν τόπων ὁρατός· ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δέ ἐστι παντελῶς ἀφανής. Σχεδὸν γὰρ τέταρτον μέρος ζωδίου ἀπὸ τοῦ ὁρίζοντος μετεωρισμένος φαίνεται. Ubi non eſt dubitandum, quin Proclus ſcripſerit: ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δέ ἐστι παντελῶς ἐμφανής. ut certè quidem Geminus, ex quo ſuam illam Sphæram Proclus concinnavit. Plinius lib.2.cap.70. *Adeoque manifeſtò aſſurgens faſtigium curvatur, ut Canopus quartam ferè partem ſigni unius ſupra terram eminere Alexandriæ intuentibus videatur; eadem a Rhodo terram quodammodo ipſum ſtringere; in Ponto omnino non cernatur, ubi maximè ſublimis ſeptentrio.* Et quidem *Canopus* Latinis ut plurimùm ſcribitur, qui Græcis Κάνωβος διὰ τοῦ β'. Sed & Græcis obſervatum, ſcribi debuiſſe Κάνωπον urbem διὰ τοῦ π'. Euſtathius: Ὁ δὲ τὰ Ἐθνικὰ γράψας φησὶν, ὅτι ἔδει μὲν Κάνωπον τὴν πόλιν διὰ τοῦ π'. γράφεται δὲ ὅμως διὰ τοῦ β'. Obſervaverat id Stephanus. Sed cur *Canopum* dici, & non *Canobum* oportuerit, rationem hanc affert Etymologus: ἐπειδὴ οὐδὲν εἰς ος λῆγον ὑπὲρ δύο συλλαβὰς, παραληγόμενον τῷ ω, ἔχει τὸ β' ἀρκτικὸν τῆς τελευταίας συλλαβῆς, ἀλλ' ἢ ἕτερον, ἢ τὸ π'. Κρόπωπος· ἄνθρωπος. οὕτω καὶ Κάνωπος. Porrò autem ἀπὸ τοῦ Κανώβου καὶ τὸ στόμα Νείλου, ὡς

εἰκός,

αἰκὸς, Κανωβικὸν ἐπωνόμασαι. Cui quidem Nili oſtio nomen etiam fuiſſe videtur Canobo. Conon Narrat. VIII. καὶ τῶν Νείλου ςομάτων τὸ πλατύτατον ὁ Κάνωβος, ἢ Κανωβικὸν, ἐκ τοῦ κυβερνήτου τὴν ὀνομασίαν ἕλκει. Oſtium idem Canobicum, ſi credimus Euſtathio, dictum quoque Heracleum: Τοῦτο δέ τινες τὸ Κανωβικὸν ςόμα τοῦ Νείλου καὶ Ἡράκλειον καλεῖσθαί φασιν. At enim oſtium Nili Canobicum, Ἡρακλειωτικόν· oppidum & templum Herculis, Ἡράκλειον. Utrumque dicit Stephanus Ἡράκλειον καὶ Ἡρακλεωτικόν· quæ ſunt omnino diſtinguenda. Malè Euſtathius vetuſque Paraphraſis in Periegeſin, oſtium Nili Canobicum vocatum ajunt Ἡράκλειον, quod dicere debebant Ἡρακλεωτικόν. Vetera ſcholia: Καλεῖται δὲ καὶ Ἡρακλεωτικὸν τοῦτο τὸ ςόμα τοῦ Νείλου. Ὅτε γὰρ ἐπανῄει φέρων τὰ χρύσεα μῆλα ὁ Ἡρακλῆς, πεζὸς διέβη τὴν Λιβύην πᾶσαν, καὶ τὴν Ἀσίαν ἐθεάσατο· εἰς Ἄμμωνος δὲ ἥκων, μεγαλοπρεπῶς ἔθυσε τῷ δαίμονι· κἀκεῖθεν διέβη εἰς Αἴγυπτον, ἀφ' οὗ τὸ ςόμα Ἡρακλεωτικὸν ἐκλήθη. Heracleum porrò ſitum erat poſt Canobum urbem, ante oſtium Canobicum. Strabo: Μετὰ δὲ τὸν Κάνωβον ἐςὶ τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν· εἶτα τὸ Κανωβικὸν ςόμα, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ Δέλτα. Heracleum idem Stephano; Ἡρακλεούπολις, ἡ κατὰ τὸ Κανωβικὸν ςόμα. Atque ab hoc iſto Heracleo oſtium Nili Canobicum, vocatum etiam Ἡρακλειωτικὸν, ſeu Ἡρακλεωτικόν. Nanque ab Ἡράκλειον, τὸ ἐθνικὸν, Ἡρακλειώτης, & Ἡρακλεώτης. Unde κτητικὸν, Ἡρακλειωτικός, & Ἡρακλεωτικός. Strabo lib. 2. ἐνταῦθα γάρ ἐςι τὸ ἔσχατον ςόμα τὸ καλούμενον Κανωβικόν τε, καὶ Ἡρακλεωτικόν. Alibi ſcriptum in Strabone Ἡρακλειωτικόν· ut lib. 17. Δύο μὲν οὖν ταῦτα τοῦ Νείλου ςόματα, ὧν τὸ μὲν Πηλουσιακὸν καλεῖται. τὸ δὲ Κανωβικὸν, καὶ Ἡρακλειωτικόν. Ptolemæus: Νείλου ςόματα ἑπτά. Ἡρακλεωτικὸν ςόμα. Additum eſt ex codice Palatino, τὸ καὶ Κανωβικόν· ut Ptolemæus dicat, Hecracleoticum oſtium idem eſſe atque Canobicum. Et ſic Diodorus: καὶ πλατύτατον Κανωβικὸν, ὅ τινες Ἡρακλεωτικὸν ὀνομάζουσιν. Et Solinus: *ab oſtio fluminis Nili, quod Heracleoticon alii, alii Canopicon appellant*. Sed turbat hîc nonnihil Plinius, qui diverſum ponere videtur Heracleoticon oſtium a Canopico. *Naucratis*, inquit, *unde oſtium quidam Naucraticum nominant, quod alii Heracleoticum, Canopico,*

pico, cui proximum eſt, præferentes. Harduinus ad hunc Plinii locum notat ſic Ptolemæum, Canobico prætermiſſo, Heracleoticum nominare, quod Canobico proximum fuiſſe, cenſuiſſe ait Dionyſium Periegetam, Euſtathio teſte. Sed, quod Heracleoticum oſtium nominat Ptolemæus, idem eſt atque Canobicum, ut diſertè legitur in codice Palatino, *Heracleoticum* nominat etiam Ammianus Marcellinus pro Canopico. Dionyſius verò Periegeta nuſquam locorum cenſuit, neque verò eum cenſuiſſe teſtatus eſt uſquam Euſtathius, Heracleoticum oſtium proximum Canobico fuiſſe. Illud unum ex malè intellecto Strabonis loco affirmat Euſtathius, ab iis, qui unum & idem Nili oſtium, Heracleum & Canobicum faciunt, Strabonem diſſentire. Qua de re nos paullò poſt. Quid igitur hîc dicemus ad Plinium, qui Heracleoticum oſtium proximum planè facit Canopico? Si enim proximum Canopico, non igitur ipſum Canopicum. Quidquid repugnet Salmaſius, &, poſt Salmaſii veſtigia, Harduinus, mihi quidem non penitus aſpernanda doctorum virorum emendatio, qui, mutato verborum ordine, legendum cenſent: *Canopico, quod alii Heracleoticum, cui proximum eſt, præferentes*. omnino ad mentem ceterorum omnium ſcriptorum, quibus Nili oſtium Canobicum idem, quod Heracleoticum. Itaque dixerit Plinius, oſtium, a quibuſdam Naucraticum a Naucrati urbe nominatum, præferri ab iiſdem Heracleotico, ſeu Canopico, cui eſt proximum. Proximum autem Canopico Bolbiticum, ſeu Bolbitinum oſtium fuerit, quod quidam Naucraticum, Plinio teſte, nominaverint. Ego tamen in hanc eandem ſententiam, ſervato ordine verborum Plinii, uniuſque vocis mutatione, ſcribere malim: *Naucratis, unde oſtium quidam Naucraticum nominant, quod alii Naucratioticum, Canopico, cui proximum eſt, præferentes*. Sita quidem erat Naucratis ad magnum flumen, πρὸς τῷ μεγάλῳ ποταμῷ, ut tradit Ptolemæus. Collocat eam Ptolemæus ἀπὸ δυσμῶν, ideſt, a latere magni fluminis occidentali: aliter atque Strabo. Neque enim Naucratis Straboni magno flumini ab occaſu adjacebat, extra Delta; ſed intus in Delta, ad latus fluminis orientale; ideoque τοῖς ἀπὸ σχεδίας ἀναπλέουσιν ἐπὶ Μέμφιν ſiniſtra ad flumen ipſum Naucratico occurrebat. Et clarè Strabo: ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἐν τῷ Δέλτα ἐπὶ μὲν τῷ ποταμῷ Ναύκρατις. Ab ea tamen urbe videri

deri poſſunt nonnulli, Bolbitinum oſtium, quod Canopico proximum erat, Naucraticum denominaſſe, eo quia Mileſii, qui Naucratim urbem condiderunt, ad Bolbitinum primùm oſtium triginta numero navium claſſem appuliſsent. Quibus de Mileſiis hæc Strabo: χρόνῳ δ' ἀναπλεύσαντες εἰς τὸν Σαϊτικὸν νομὸν, καταναυμαχήσαντες Ἴναρον, πόλιν ἔκτισαν Ναύκρατιν, οὐ πολὺ τῆς Σχεδίας ὕπερθεν. Dixerit igitur Plinius, oſtium quoſdam a Naucrati, Naucraticum nominaſse, quod alii Naucratioticum. Gentile hujus urbis, non Ναυκρατίτης modò; ſed etiam Ναυκρατιώτης, tanquam a Ναυκράτιον, ſeu Ναυκρατία· ut ab Ἰταλία, Ἰταλιώτης. Inde τὸ κτητικὸν, Ναυκρατιωτικός. Et ſic Bolbitinum oſtium alii pro Naucratico Naucratioticum nominaverint. Sed quum id nominis de oſtio quidem Bolbitino minùs celebre eſset, magis autem de Canobico τὸ *Heracleoticum* frequentaretur; hinc ego ſuſpicer, ſciolos, qui apud Plinium ſtatim legerent *Canopico*, Naucratioticum in Heracleoticum commutaſse, itaque veram Plinii ſententiam pervertiſse.

CAPUT IX.

Superior Pliniani loci explicatio a nobis improbata. Urbs Naucratis nihil ad oſtium Bolbitinum, ſed ad Canobicum. Ea urbs, unum ac ſolum in Ægypto emporium, quò merces per oſtium Canobicum devehebantur. Canobicum oſtium, non Bolbitinum, a Naucrati urbe denominari potuiſſe Naucraticum, ſeu Naucratioticum. De Canobico oſtio, non de Bolbitino, accipiendus locus Plinii. Vera Pliniani loci a nobis emendatio. Canobus urbs ab oſtio Canobico aliquantulùm remota, ad ſex, ſeu quinque ferè paſſuum millia. Oſtium Naucraticum, idem, quod Heracleoticum, ſeu Canopicum. Sententia Plinii explicata. Oppida in honore, quæ nomen dederunt oſtiis Nili. Heracleum oppidum ad ipſum oſtium Heracleoticum. Euſtathii in citando Strabone hallucinatio. Heracleum, Stephano Heracleopolis. Κανωβισμὸς, Canobica laſcivia & mollities. Canobus inſula, eaque deſerta. Harduini error. Fabula de Canobo. Hæmorrhoidis morſus peni-

nitus exitialis. Κεκλασμέναι τὰς ῥάχεις αἱμοῤῥοΐδες. *Canobus urbs per anachroniſmum apud Æſchylum*. Τέμενος Κανώβου *per periphraſin*. Τόπος τοῦ Κανώβου ἰδιόκτιστος. *Varia lectio*, ἰδιόκτητος. *Canopus*, *Deus Ægyptiorum*. Τὰ χρύσεα μῆλα, *in Herculis laboribus*, *quid Mythologis*. *Varia explicatio*. Τὰ χρύσεα μῆλα, *Varronis oves*.

ATQUE id quidem, ſi ita locus Plinii de oſtio Bolbitino, quod Naucratioticum appellatum fuerit, cum doctis viris explicatur. Veruntamen hæc mihi nullo modo placere poteſt explicatio. Quî verò unquam placeat, quando Naucratis, ad Agathodæmonem, ſeu magnum, quod diximus, flumen ſita, non ad oſtium Bolbitinum, ſed ad Canobicum, idemque Heracleoticum, ſpectabat? Herodotus in Euterpe num. 179. Ἦν δὲ τὸ παλαιὸν μούνη ἡ Ναύκρατις ἐμπόριον, καὶ ἄλλο οὐδὲν Αἰγύπτου· εἰ δέ τις ἐς τῶν τι ἄλλο στομάτων τοῦ Νείλου ἀπίκοιτο, χρῆν ὀμόσαι, μὴ μὲν ἑκόντα ἐλθεῖν· ἀπομόσαντα δὲ, τῇ νηῒ αὐτῇ πλέειν ἐς τὸ Κανωβικόν· ἢ εἰ μήγε οἷά τε εἴη πρὸς ἀνέμους ἀντίους πλέειν, τὰ φορτία ἔδεε περιάγειν ἐν βάρισι περὶ τὸ Δέλτα, μέχρι οὗ ἀπίκοιτο ἐς Ναύκρατιν. Ergo, ſi, quæ aliunde a mercatoribus merces, atque onera in Ægyptum apportabantur, ea Naucratim, quod unum ac ſolum in Ægypto emporium erat, per Canobicum oſtium devehi oportebat, patet, Canobicum propriè oſtium, non Bolbitinum, ad urbem Naucratim pertinuiſſe, atque adeo Canobicum, non Bolbitinum, ab urbe Naucrati Naucraticum, ſeu Naucratioticum, denominari potuiſſe. Et verò magnus ille fluvius, ad quem poſitam Naucratim diximus, effluit in mare per Canobicum. Quod diſertè docet Ptolemæus: Μέγα Δέλτα καλεῖται, καθὸ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς καλούμενος Ἀγαθὸς Δαίμων, καὶ ῥέων διὰ τοῦ Ἡρακλεωτικοῦ στόματος, εἰς τὸν καλούμενον Βουβαστιακὸν, ὃς ἐκρεῖ διὰ τοῦ Πηλουσιακοῦ στόματος. Ubi pro ῥέων ſcribendum cum Salmaſio, ἐκρέων. Sic magnum Delta definit Ptolemæus magno illo fluvio Agathodæmone, qui per oſtium Canobicum effluit: quatenus nimirum magnus hic fluvius in Bubaſtiacum, ſeu Bubaſticum, divertit, amnem ſic appellatum, qui amnis oſtio effluit Peluſiaco. Quare de Canobico omnino oſtio, non de Bolbitino, id accipiendum, quod

Digitized by Google

Plinius ait, oſtium quoſdam Naucraticum, quod alii Heracleoticum, nominaſſe. Hinc ad Plinium dicimus, videri nobis locum illum Plinii ita legendum: *Naucratis, unde oſtium quidam Naucraticum nominant; quod alii Heracleoticum, Canopo, cui VI. M. paſs. proximum eſt, præferentes*. Verba illa, *ſex millia paſſuum*, ſunt a veteribus libris: quæ verba neſcio, cur recentiores editiones pleræque omnes omiſerint. Canobum urbem ab oſtio ipſo Nili Canobico aliquantulùm abfuiſſe, oſtendit illud Strabonis: Μετὰ δὲ τὴν Κάνωβον ἐστὶ τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν· εἶτα τὸ Κανωβικὸν στόμα, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ Δέλτα. Neque verò de intervalli menſurâ a Plinio ferè diſſentit Ptolemæus, cui Canobus ab oſtio Heracleotico diſtat gradûs unius unciâ, hoc eſt, quinque millibus paſſuum: quippe quum Ptolemæus Canobum collocet ad gradum longitudinis ξ, L′δ, hoc eſt, gradum ſexageſimum cum dodrante; oſtium verò Heracleoticum ad ξ, L′γ, hoc eſt, gradum pariter ſexageſimum cum dextante, atque adeò tota κατὰ μῆκος Canobi, oſtiique Heracleotici diſtantia, ſegmentorum ſit quinque, qualium unus totus gradus eſt ſexaginta. Facile verò in Plinio fuit mutare τὸ *Canopo*, quod ſcripſiſſe ipſum Plinium opinor, in *Canopico*: quum τὸ *Canopico oſtio* ſemel atque iterum, tertioque etiam, paullò ante præceſſerit. Itaque exiſtimo, Plinium velle, Heracleoticum oſtium, quod idem eſt atque Canopicum, quoſdam ab urbe Naucrati Naucraticum, ſeu Naucratioticum, nominaſſe; & ſic eos Naucratin Canopo oppido, cui idem oſtium ſex millia paſſuum proximum erat, prætuliſse. Quum enim oſtium Canopicum a proximo oppido Canopo appellaretur; tamen eos a Naucrati vocare id oſtium Naucraticum maluiſse, eâ fortaſse de cauſsâ, quam ex Herodoto attulimus, quia Naucratis emporium erat Ægypti, eòque merces per oſtium Canopicum importabantur. Id honoris habitum Naucrati. Οὕτω μὲν δὴ Ναύκρατις ἐτετίμητο, ut Herodotus ait. Hoc igitur fuit Naucratin Canopo præferre, quod dicit Plinius, eum Naucrati honorem præ Canopo deferre, ut oſtium non a Canopo Canopicum, ſed a Naucrati Naucraticum, denominarent. Quò pertinet illud Plinii de oppidis ad Nilum ſitis: *Sunt in honore & intra decurſus Nili multa oppida, præcipue quæ nomina dedere oſtiis*. Hæc mihi eſse videtur Pliniani loci ſententia. Hinc

autem

Digitized by Google

autem diſcimus, Canopum oppidum ab oſtio ipſo Canopico, eodemque Heracleotico, atque etiam, ſecundum quoſdam, Naucratico, ſex millia paſſuum abfuiſſe. At verò ad ipſum oſtium fuit, ut diximus, Heracleum. Unde lux his verbis Taciti Annalium lib. 2. de Germanico: *Nilo ſubvehebatur orſus oppido a Canopo*. Et paullò poſt: *Inde proximum amnis os dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud ſe, & antiquiſſimum perhibent, eoſque, qui poſtea pari virtute fuerint, in cognomentum ejus adſcitos*. Neque verò benè citat Euſtathius Strabonem, in his verbis: Ὁ δὲ Γεωγράφος διιςᾷ, τὸ μὲν Ἡράκλειον ςόμα ἱςορῶν καὶ Ἡρακλέους ἔχειν ἱερόν· τὸ δὲ Κανωβικὸν, ἀρχὴν εἶναι λέγων τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ Δέλτα. Nam Geographo quidem idem eſt Nili oſtium Heracleoticum, atque Canopicum. Neque Heracleum, oſtium eſt Nili; ſed urbs ibi Herculi ſacra, quæ & Stephano Heracleopolis. Verba hæc Geographi: Μετὰ δὲ τὴν Κάνωβον ἐςὶ τὸ Ἡράκλειον τὸ Ἡρακλέους ἔχον ἱερόν· εἶτα τὸ Κανωβικὸν ςόμα, καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ Δέλτα. Euſtathius ex eodem Strabone: Ἐμφαίνει δὲ ἐκεῖνος καὶ τρυφᾶν τοὺς Κανωβίτας, ἐν οἷς λέγει τὴν Κανωβισμὸν, καὶ τὴν ἐκεῖ λαμυρίαν. Sunt autem verba hæc Strabonis lib. 17. ubi de Eleuſine: ἔςι δ᾽ αὕτη κατοικία πλησίον τῆς τε Ἀλεξανδρείας, καὶ τῆς Νικοπόλεως, ἐπ᾽ αὐτῇ τῇ Κανωβικῇ διώρυγι κειμένη, διαίτας ἔχουσα, καὶ ἀπόψεις τοῖς καπυρίζειν βουλομένοις καὶ ἀνδράσι, καὶ γυναιξὶν ἀρχή τις Κανωβισμοῦ, καὶ τῆς ἐκεῖ λαμυρίας. De Canobicâ laſciviâ atque mollitie nonnulla etiam paullò poſt Strabo. Notarunt ceteri voluptariam hanc & mollem vitam Canobitarum. Papinius in Sylvis:

Curva Therapnæi laſciviat ora Canopi?

Egeſippus de M. Antonio: *Vicit eum Canopæa luxuries*. Rurſus de Canobo inſulâ: Ἔςι δὲ, ὡς ἱςοροῦσί τινες, καὶ νῆσός τις Κάνωβος. Scylax: Ἐπὶ δὲ τῷ ςόματι Κανωπικῷ ἐςὶ νῆσος ἐρήμη, ᾗ ὄνομα Κάνωπος, καὶ σημεῖα ἔςιν ἐν αὐτῇ τοῦ Μενέλεω, τοῦ κυβερνήτου τοῦ ἀπὸ Τροίας, ᾧ ὄνομα Κάνωπος, τὸ μνῆμα. Mela: *Parva & Canopos, Nili oſtio, quod Canopicum vocant, obvia eſt. Menelai gubernator Canopus, ibi fortè moriens, nomen inſulæ, illa oſtio dedit*. Plinius: *Inſularum ante Aſiam prima eſt in Canopico oſtio Nili, a Canopo Menelai gubernatore, ut ferunt,*

Digitized by Google

runt, *dicta*. Harduinus eo refert illud Taciti de Canopo oppido, a Spartanis condito, *ob ſepultum illic rectorem navis Canopum*. Atqui Canopus oppidum, non fuit in eâ inſulâ, quæ deſerta erat; ſed in continente ad ipſum mare, ut diximus, inter Alexandriam, & oſtium Canopicum. Jam autem monuimus, Helenium inſulam, quam ibi memorat Euſtathius, eandem nobis videri, atque inſulam Canopum. Sequitur narratio de Canobo, gubernatore illo navis Menelai: ὅτι κοιμώμενος ὁ Κάνωβος κατὰ τὸν αἰγιαλὸν περιπέπτωκεν αἱμοῤῥοΐδι. Fabula hæc apud Nicandrum in Theriacis: unde eam fabulam in Hiſtoriam ſuam Animalium tranſtulit Ælianus. Vide Scholiaſtam Nicandri. Hæmorrhoidis morſum penitus exitialem oſtendunt illa: ὡς δὲ ἦν τοῦ λοιποῦ ἄψυχα τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἔθνησκεν ἐκ τοῦ δήγματος. Dioſcorides in Theriacis: Αἱμόῤῥου δὲ, καὶ διψάδος τοῖς πλείστοις τῶν προγενομένων ἀπηγορεύθησαν, ὡς ἀβοήθητοι, αἱ δήξεις. Inde mortuus Canobus, αἱμοῤῥαγῶν διὰ τοῦ στόματος, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τοῦ παντὸς σώματος. Helena valde commota miſerabili caſu Canobi, τὴν αἱμοῤῥοΐδα συγχέουσα, ἔθλασε τὴν αὐτῆς ἄκανθαν. Nicander:

> Τῆς δ' Ἑλένη μέσον ὁλκὸν ἀνέκλασε. θραῦσε δ' ἀκάνθης
> Δεσμὰ πέριξ νωταῖα, ῥάχις δ' ἐξέδραμε γυίων.

Ἐχίδνην, non αἱμοῤῥοΐδα, dicit Conon, cujus morſu Canobus eſt interemptus. Ὄφιν verò generatim Scholiaſta recentior Æſchyli, itemque Paraphraſis, & Scholia in Periegeſin Dionyſii. Hinc fabuloſè explicatum, quod ipſa fert natura hæmorrhoidis: καὶ τὸ ἐντεῦθεν κεκλασμέναι τὰς ῥάχεις αἱμοῤῥοΐδες εἰσί. Nicander:

> Ἔξοθεν αἱμοῤῥόοι, σκολιοπλανέες τε κεράσται
> Οἶοι χωλεύουσι κακηπελίῃ βαρύθοντες.

Quod ad urbis Canobi ſitum attinet, Æſchylus in Prometheo:

> Ἔστιν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονὸς,
> Νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι, καὶ προσχώματι.

Quod per anachroniſmum dictum eſſe de Canobo, obſervat Scholiaſta. Hanc autem urbem dicit per periphraſin Dionyſius τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου. Sic & infra θέλων εἰπεῖν ἐν μιᾷ λέξει, ὠκεανὸς, φησὶ περιφραστικῶς, ἀκαμάτου ῥόον ὠκεανοῖο, ἤγουν αὐτὸς ὁ ὠκεανός. Ubi legendum, ῥόος. At verò τέμενος

Ka-

Κανώβου, οἱονεὶ ἱερὸν, ἢ τόπος τοῦ Κανώβου ἰδιόκτιςος. Codices, meus & Monilianus, ἰδιόκτητος. Sed ego loco non facilè dimoverim τὸ ἰδιόκτιςος. Scholiaſta recentior Æſchyli ad Prometheum: καὶ Μενέλαος νεὼν αὐτοῦ (Κανώβου) καὶ πόλιν κτίζει ἐπώνυμον. De Canopo, deo Ægyptiorum, Suidas. Hîc jam pene oblitus eram, quod ſupra de Hercule ex aliis Euſtathius refert, ὅτι Ἡρακλῆς φέρων ἐξ ἐπιταγῆς Εὐρυσθέως τὰ χρύσεα μῆλα, καὶ θέλων Λιβύην πᾶσαν ἐξιςορῆσαι, ἦλθε καὶ εἰς τὰ τοῦ Νείλου ςόματα. Notanda τὰ χρύσεα μῆλα, de quibus hæc Diodorus lib.4. Τελευταῖον δ' ἆθλον λαβὼν (Hercules) ἐνεγκεῖν τὰ τῶν ἑσπερίδων χρυσᾶ μῆλα, πάλιν ἐπλευσεν εἰς τὴν Λιβύην. Περὶ δὲ τῶν μήλων τούτων διαπεφωνήκασιν οἱ Μυθογράφοι· καί τινες μέν φασιν, ἔν τισι κήποις τῶν ἑσπερίδων ὑπάρξαι κατὰ τὴν Λιβύην μῆλα χρυσᾶ, τηρούμενα συνεχῶς ὑπό τινος δράκοντος φοβερωτάτου· τινὲς δὲ λέγουσι, ποίμνας προβάτων κάλλει διαφερούσας κεκτῆσθαι τὰς Ἑσπερίδας. χρυσᾶ δὲ μῆλα ἀπὸ τοῦ κάλλους ὠνομάσθαι Ποιητικῶς, ὥσπερ καὶ τὴν Ἀφροδίτην χρυσῆν καλεῖσθαι διὰ τὴν εὐπρέπειαν. Ἔνιοι δὲ λέγουσιν, ὅτι πρόβατα τὴν χρόαν ἰδιάζουσαν ἔχοντα καὶ παρόμοιον χρυσῷ, τετευχέναι ταύτης τῆς προσηγορίας. δράκοντα δὲ τῶν ποιμνίων ἐπιμελητὴν καθεςαμένον, καὶ ῥώμῃ σώματος, καὶ ἀλκῇ διαφέροντα, τηρεῖν τὰ πρόβατα, καὶ τοὺς λῃςεύειν αὐτὰ τολμῶντας ἀποκτείνειν. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐξέςαι διαλαμβάνειν, ὡς ἂν ἕκαςος ἑαυτὸν πείθῃ· ὁ δ' Ἡρακλῆς τὸν φύλακα τῶν μήλων ἀνελὼν, καὶ ταῦτα ἀποκομίσας πρὸς Εὐρυσθέα, καὶ τοὺς ἄθλους ἐπιτετελεκὼς, προσεδέχετο τῆς ἀθανασίας τεύξεσθαι. Iis, qui τὰ χρύσεα μῆλα oves interpretarentur, adhæſit M. Varro lib.2. De Re Ruſticâ c. I. *De antiquis illuſtriſſimus quiſque paſtor erat, ut oſtendit Græca & Latina lingua, & veteres Poëtæ, qui alios vocant* πολυάρνας, *alios* πολυμήλους, *alios* πολυβούτας, *qui ipſas pecudes propter charitatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt: ut Argis Atreus, quam ſibi Thyeſten ſubduxiſſe queritur, ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ, ut in Libyâ ad Heſperidas, unde aurea mala, id-eſt, ſecundùm antiquam conſuetudinem, capras & oves Hercules ex Africâ in Græciam exportavit. Ea enim ſua voce Græci appellarunt* μῆλα.

CAP.

CAPUT X.

De terminis Europæ & Aſiæ. Nilus Dionyſio, terminus Aſiæ & Africæ. Terminus borealis Aſiæ ad Europam, Tanais; Auſtralis, Helleſpontus; maximè auſtralis, tractus maris ad oſtium Nili Canobicum. Correcta vetus Paraphraſis in Periegeſin. Tanaidis alterum nomen apud Barbaros, Silis. Alii Barbarorum fluvii Græcis nominibus appellati, ut Nilus, & Eridanus. Eridanus nomen Græcum. De fontibus Tanaidis. Ἄγνωςος γῆ *veteribus, borealis. Ptolemæus caſtigatus. Mæotis, mater Ponti; & hac ipsâ de cauſsâ Mæotis appellata. Stephanus reſtitutus. Mæotis, Scythicè* Temerinda. *Mæotis, mater & nutrix piſcium. Tanais, alius a Pontico. Reſtitutum Jaxartis fluvii nomen apud Arrianum & alios. Fluvius hic Jaxartes, ab Alexandri militibus Tanais nominatus; idque aſſentationis cauſsâ in Alexandrum. Alexandri aræ ad Tanaim Ponticum. Ab eadem aſſentatione in Alexandrum alius mons Caucaſus in Indiâ. Tanais uterque, diſtinctus ab Arriano. Alexandri ex morbo periculum ad Jaxartem.*

DE terminis Europæ & Aſiæ hæc ex Dionyſio Euſtathius: Ὅτι Εὐρώπης καὶ Ἀσίας νότιον μὲν μεσόγειον ὁ Ἑλλήσποντος, νοτιώτατον δὲ ὁ Νεῖλος. Immo verò τὸ σῆμα ὑπερτεταμένον ἐς στόμα Νείλου, ut Dionyſius ait. Nempe quod ab Helleſponto ultra eſt διαχωρείσματος (hoc enim τὸ σῆμα) ad oſtium Nili Canobicum, hoc utique μεσόγειον eſt νοτιώτατον Europæ atque Aſiæ. Etſi enim Helleſpontus terminus eſt auſtralis Europæ atque Aſiæ; tamen σῆμα illud, ſeu διαχώρισμα ab Helleſponto ad oſtium Nili, terminus utrinque eſt maximè auſtralis. Nanque ipſe quidem Nilus Dionyſio Periegetæ atque aliis, terminus eſt atque confinium Aſiæ & Africæ. Dionyſius infra de Nilo:

Ὅς ῥά τε καὶ Λιβύην ἀποτέμνεται Ἀσίδος αἴης.

Strabo lib. 2. Εἰσπλέουσι τοίνυν τὸν κατὰ στήλας πορθμὸν, ἐν δεξιᾷ μὲν ἐστιν ἡ Λιβύη μέχρι τῆς τοῦ Νείλου ῥύσεως· ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἀντίπορθμος ἡ Εὐρώπη μέχρι τοῦ Ταναΐδος. τελευτῶσι δ' ἀμφότε-

φόπεραι περὶ τὴν Ἀσίαν. Plinius lib. 3. c. 1. *Hinc intranti dextra Africa eſt; læva Europa: inter has Aſia eſt. Termini, amnes, Tanais & Nilus*. Arrianus De Expedit. Alexandri lib. 3. οἷς γε δὴ ἡ Λιβύη ἀπὸ τῆς Ἀσίας τῆς ἄλλης τῷ Νείλῳ ποταμῷ διακέκριται. Appoſitè ad mentem hîc Dionyſii Agathemerus: Ὅροι δὲ, τῆς μὲν Εὐρώπης πρὸς Λιβύην, ὁ καθ' Ἡρακλέους στήλας πορθμὸς, καὶ τὸ δὲ αὐτοῦ πληρουμένου ἐπ' ἀνατολὴν μέσον πέλαγος ἄχρι τοῦ Κανωβικοῦ στόματος τοῦ Νείλου. Τῆς δ' Ἀσίας, πρὸς μὲν τὴν Λιβύην τὸ αὐτὸ τοῦτο στόμα τοῦ Νείλου, καὶ ὁ ἐπ' ὀρθὴν τοῦ ποταμοῦ πόρος ἐπὶ μεσημβρίαν· πρὸς δὲ τὴν Εὐρώπην ὁ Τάναϊς ποταμὸς εἰς τὴν Μαιῶτιν ἐμβάλλων λίμνην· ἡ δὲ εἰς τὸν Εὔξεινον ἐκφέρεται Πόντον. οὗτος δὲ εἰς τὴν Προποντίδα. ἡ δὲ εἰς τὸν Ἑλλήσποντον, μεθ' ὃν τὸ Αἰγαῖον ἐπὶ μεσημβρίαν ὁμοίως ἀναπέπταται πέλαγος. Terminus borealis Aſiæ ad Europam, Tanais; auſtralis verò terminus, Helleſpontus; maximè denique auſtralis, Ægæum mare, ſeu tractus ille maris ad meridiem, atque ad oſtium Nili Canobicum. His terminis, tum boreali, tum minus magiſque auſtrali, diviſa Europa ab Aſiâ. Hæc ſententia eſt Dionyſii, quam minimè percepiſſe videntur docti viri. Corrigenda vetus Paraphraſis in Periegeſin: τὸ δὲ νότιον μέρος Ἑλλησποντός ἐστι· στῆμα δὲ (ὅ ἐστι διαχώρισμα) ὑπερπετάνυσαι νοτιώτερον, Ἡρακλεωτικὸν στόμιον. Legendum eſt, additâ præpoſitione, εἰς Ἡρακλεωτικὸν στόμιον. De termino boreali ſtatim Euſtathius: πρὸς βορρᾶν δὲ τὴν Εὐρώπην ὁρίζει τῆς Ἀσίας ὁ Τάναϊς. Scylax: ποταμὸς Τάναϊς ὁρίζει Ἀσίαν, καὶ Εὐρώπην. Et rurſus: Ἀπὸ Ταναΐδος δὲ ποταμοῦ ἄρχεται ἡ Ἀσία, καὶ πρῶτον ἔθνος αὐτῆς ἐστὶν ἐν τῷ Πόντῳ Σαυρομάται. Mela lib. 1. c. 1. *Quod terrarum jacet a freto ad ea flumina, ab altero latere Africam vocamus; ab altero Europen: ad Nilum, Africam; ad Tanain, Europen. Ultra quidquid eſt, Aſia eſt*. Tanaidis alterum nomen apud Barbaros, *Silis*: Τάναϊς Ἕλλησι καλούμενος, Σίλις, ὥς φασί τινες, παρὰ τοῖς παροικοῦσι βαρβάροις ὠνόμασται. Plinius lib. 6. cap. 7. *Tanain ipſum Scythæ Silin vocant*. Sed & alia Barbarorum flumina Græcis nominibus appellata: καὶ ἄλλοι ποταμοὶ ἐν βαρβάροις ῥέοντες, ὅμως ἐξελληνίζονται τῇ κλήσει. Stephanus: ἑλληνίζεσθαι δὲ τὰ πολλὰ τῶν βαρβαρικῶν ὀνομάτων, ὡς Νικάνωρ φησί. Talis Nilus. Dionyſius infra: Στ-

Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Neque verò Eridanus, nomen eſt barbarum; ſed Græcum, ὑπὸ ποιητοῦ τινος ποιηθὲν, ut Herodotus ait. Tanaidis alii ignotos fontes arbitrantur: Τοῦ δὲ Ταναΐδος ἄλλοι μέν φασι μὴ γνωρίζεσθαι τὰς πηγάς. Strabo in primis lib. II. Φέρεται μὲν οὖν (Τάναϊς) ἀπὸ τῶν ἀρκτικῶν μερῶν, οὐ μὴν ὡς ἂν κατὰ διάμετρον ἀντίῤῥους τῷ Νείλῳ, καθάπερ νομίζουσιν οἱ πολλοί· ἀλλὰ ἑωθινώτερος ἐκείνου, παραπλησίως ἐκείνῳ τὰς ἀρχὰς ἀδήλους ἔχων. At verò Ptolemæus Tanaidis fontem collocat ad quartum & ſexageſimum gradum longitudinis; octavum verò & quinquageſimum latitudinis borealis; itaque Europam ab Aſiâ, boream verſus, dividit τῷ τε Ταναΐδι ποταμῷ, καὶ τῷ ἀπὸ τούτου πρὸς τὴν ἄγνωστον γῆν μεσημβρινῷ. Ἄγνωστον γῆν dicit Ptolemæus Borealem, quam non ſatis compertam veteres habuerunt. Nec falsò Agathemerus: Τὰ γὰρ ἄνω τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ταναΐδος ἀγνοεῖται εἰς βοῤῥᾶν. Et Plinius: *Ab oſtio Tanais nihil modicum diligentiſſimi auctores fecere: Artemidorus ulteriora incomperta exiſtimavit, quum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad Septentriones verſas.* Potuiſſet autem Ptolemæus etiam dicere, καὶ τῷ ἀπὸ τούτου πρὸς τὸν ὑπερβόρειον ὠκεανὸν μεσημβρινῷ. Nec verò Tanais ad diviſionem Europæ ab Aſiâ ſufficeret, niſi ab eo linea ad Oceanum uſque Septentrionalem duceretur. Herodotus tamen Tanain ex palude magnâ influere ait in paludem adhuc majorem· nimirum in Mæotin. Mæotis non multò minor Ponto, quæ & mater Ponti. ἡ Μαιῶτις οὐ πολὺ ἐλάττων τοῦ Πόντου ἐστίν. Herodotus in Melpomene num. 86. Παρέχεται δὲ καὶ λίμνην ὁ Πόντος ἐκδιδοῦσαν ἐς ἑωυτὸν, οὐ πολλῷ τέῳ ἐλάσσω ἑωυτοῦ· ἣ Μαιῶτίς τε καλέεται, καὶ μήτηρ τοῦ Πόντου. Dionyſius infra de palude Mæotide:

Τῇ μέν τε πέριξ Σκύθαι ἀμφινέμονται,
Ἄνδρες ἀπειρέσιοι, καλέουσι δὲ μητέρα Πόντου.
Ἐκ τῆς γὰρ Πόντοιο τὸ μύριον ἕλκεται ὕδωρ.

Procopius De Bello Gothico lib.4. c.6. Κἀκεῖνο δέ μοι ἐν τῷ παρόντι εἰρήσεται, ὡς τινὲς δὴ τῶν τὰ τοιαῦτα σοφῶν οἱ μὲν τὴν Μαιῶτιν οἴονται λίμνην ἀπεργάζεσθαι τὸν Εὔξεινον πόντον, καὶ

αὐτοῦ

Digitized by Google

αὐτῷ τὸ μὲν ἐν ἀριστερᾷ, τὸ δὲ ἐν δεξιᾷ τὴν λίμνης χωρεῖν· μητέρα δὲ διὰ τοῦτο τοῦ Πόντου καλεῖσθαι τὴν λίμνην. Quòd autem palus illa mater eſt Ponti, inde viſa eſt quibuſdam Mæotis appellata. Euſtathius ad Dionyſium: τὴν δὲ τοιαύτην Μαιῶτιν, μητέρα τοῦ Πόντου καλοῦσιν· ὅθεν καὶ τοῦτο τινές φασι λαχεῖν αὐτὴν τοῦ ὀνόματος. Μαῖα γὰρ ἡ τροφός. Διὸ καὶ ὁ Περιηγητής φησιν, ἐξ αὐτῆς Πόντου τὸ μυρίον ἕλκεται ὕδωρ. Hinc docti viri facilè reſtituebant locum illum mutilum Stephani: ὡς Μαιῶτις λίμνη, ἣν φασι κληθῆναι ἀπὸ τοῦ Εὐξείνου Πόντου. Quem quidem locum ita ſupplebant: ἣν φασι κληθῆναι ἀπὸ τοῦ μαῖαν εἶναι τοῦ Εὐξείνου πόντου. Quanquam valde etiam probanda conjectura Salmaſii legentis: ἣν φασι κληθῆναι μητέρα τοῦ Εὐξείνου πόντου. Inde etiam Scythæ Mæotin vocarunt *Temerinda*. Plinius lib. 6. cap. 7. *Mæotin Temerinda* (Scythæ vocant), *quod ſignificat matrem maris*. Eodem ab etymo dicta aliis Mæotis, mater & nutrix piſcium. Tzetzes Chiliade VIII.

Μαιῶτις λίμνη τίς ἐστιν ἔγγιστα τοῦ βορέα.
Μαιῶτις δὲ παρ᾽ Ἕλλησιν αὕτη πλουτεῖ τὴν κλῆσιν,
Ὡς μήτηρ καὶ μαιεύτρια γένους παντὸς ἰχθύων,
Ὁπόσοι πρὸς τὸν Εὔξεινον παρ᾽ ἡμᾶς χωροῦσι.

Scire hîc oportet, ὅτι Ἀρριανὸς καὶ ἄλλον Τάναϊν ἱστορεῖ Σκυθικόν. Arrianus de Expeditione Alexandri lib. 3. Τῷ δὲ Ταναΐδι τούτῳ, ὃν δὴ καὶ Ὀρξάντην ἄλλῳ ὀνόματι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων βαρβάρων καλεῖσθαι λέγει Ἀριστόβουλος, αἱ πηγαὶ μὲν ἐκ τοῦ Καυκάσου ὄρους καὶ αὐτοῦ εἰσίν· ἐξίησι δὲ καὶ οὗτος ὁ ποταμὸς ἐς τὴν Ὑρκανίαν θάλασσαν. Vocat Arrianus Ὀρξάντην, corruptè, ut putant, quem alii ferè Ἰαξάρτην, atque in iis Dionyſius:

Τὸν μέτ᾽, ἐπὶ προχοῇσιν Ἰαξάρταο νέμονται
Τόξα Σάκαι φορέοντες.

Malè hic fluvius Suidæ Ἰαζάρτης. Corruptum etiam erat id nominis apud Plutarchum in Alexandro, ubi pro Ἰαξάρτην ſcripſerant Ὀρεξάρτην· itemque apud Solinum, apud quem pro *Jaxartes* codex meus vetuſtior in membranâ legebat *Laxates*. Fluvium hunc Jaxartem milites Alexandri Tanain nominaverunt: quem etiam, pariter atque Tanain illum Ponticum, *Silin* a Scythis vocatum ſcribit Plinius lib. 6. cap. 16. in illis verbis: *Ultra Sogdiani, oppidum*

Dd *Pan-*

Digitized by Google

Panda, & in ultimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro Magno condita. Aræ ibi ſunt ab Hercule, & Libero patre conſtitutæ, item Cyro & Semiramide, atque Alexandro: finis omnium eorum ductus ab illâ parte terrarum, includente flumine Jaxarte, quod Scythæ Silin vocant; Alexander militeſque ejus, Tanain putavere eſſe. Hinc a veteribus aliquando Scriptoribus confuſus uterque inter ſeſe Tanais; idque etiam nonnulli ad gloriam Alexandri Magni longiùs latiùſque propagandam pertinere exiſtimarunt: ſi Alexander nimirum Magnus eò quoque, ubi Aſia ab Europâ dividitur, victoriis ſuis penetraſſe crederetur. Strabo: ἐπειδὴ γὰρ ὡμολόγητο, ὅτι ἐκ πάντων διείργει τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Εὐρώπης ὁ Τάναϊς ποταμὸς, τὸ δὲ μεταξὺ τῆς θαλάττης, καὶ τοῦ Τανάϊδος πολὺ μέρος τῆς Ἀσίας ὂν, οὐχ ὑπέπιπτε τοῖς Μακεδόσι, στρατηγεῖν ἐγνώκετο, ὥστε τῇ φήμῃ γε κἀκείνων δόξαι τῶν μερῶν κρατεῖν τὸν Ἀλέξανδρον. Unde etiam ſtatutæ Alexandro aræ ad Tanain illum Ponticum. Ptolemæus: Ὑπὸ δὲ τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ Τανάϊδος ποταμοῦ ἵδρυνται οἵ τε Ἀλεξάνδρου βωμοὶ, καὶ οἱ Καίσαρος βωμοί. Oroſius lib. 1. c. 2. *Europa incipit, ut dixi, ſub plagâ ſeptentrionis a flumine Tanai, qua Riphæi montes, Sarmatico averſi Oceano, Tanaim fluvium fundunt: qui præteriens aras ac terminos Alexandri Magni, in Roxolanorum finibus ſitos, Mæotidas auget paludes.* Et hac ipsâ de cauſsâ Strabo ſupra ſcripſerat, Macedones, ut Alexandri ambitioni inſervirent, Caucaſum Promethei Ponticum a montibus Colchicis ad montes Indicos, ampliùs triginta ſtadiorum millibus diſtantes, tranſtuliſſe. Atque hinc etiam Alexandri Columnæ ultra Caucaſum Ponticum, ad duos ferè & quinquaginta latitudinis borealis gradus apud Ptolemæum. Sed benè utrumque illum Tanain, tum Ponticum, tum Indicum, diſtinguit Arrianus: Ἄλλος δ' ἂν εἴη Τάναϊς, ὑπὲρ ὅτου λέγει ὁ Ἡρόδοτος ὁ λογοποιὸς, ὄγδοον εἶναι τῶν ποταμὸν τῶν Σκυθικὸν Τάναϊν, καὶ ῥέειν μὲν ἐκ λίμνης μεγάλης ἀνίσχοντα, ἐκδιδόναι δὲ ἐς λίμνην ἔτι μείζω τὴν καλουμένην Μαιῶτιν. Καὶ τὸν Τάναϊν τοῦτον εἰσὶν, οἳ ὅρον ποιοῦσι τῆς Ἀσίας, καὶ τῆς Εὐρώπης. οἷς δὴ ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τοῦ πόντου τοῦ Εὐξείνου ἡ λίμνη τε ἡ Μαιῶτις, καὶ ὁ ἐς ταύτην ἐξιεὶς ποταμὸς ὁ Τάναϊς οὗτος, διείργει τὴν Ἀσίαν τε καὶ τὴν Εὐρώπην. Ad alium Tanain, qui Jaxartes eſt, referendum periculum Ale-

Digitized by Google

Alexandri: ὃν ὁ Ἀλέξανδρος ἐπικινδύνως διεπέρασε. Narrat Arrianus, Alexandro Tanain amnem trajecturo exta nihil boni portendiſſe, Ariſtandrumque vatem periculum denunciaſſe; Alexandrum nihilominus flumen tranſmiſiſſe, &, poſt Scythas fugatos, contracto ex potu vitioſæ aquæ morbo, in ſummum vitæ diſcrimen adductum fuiſſe; itaque Ariſtandri vaticinium exitum habuiſſe. Morbum hunc Alexandri tangit etiam Plutarchus: τὸν Ἰαξάρτην διαβὰς ποταμὸν, ὃν αὐτὸς ᾤετο Τάναϊν εἶναι, καὶ τοὺς Σκύθας τρεψάμενος, ἐδίωξεν ἐπὶ σαδίους ἑκατὸν, ἐνοχλούμενος ὑπὸ διαῤῥοίας.

CAPUT XI.

Ὁλκὸς τὸ σῶμα τοῦ ὄφεως. Trium maximarum terrarum orbis continentium termini, minores aliæ, ſecundum quoſdam, continentes. Sic Aſiæ & Europæ terminus, iſthmus inter Caſpium & Euxinum mare. De iſthmi hujus maximâ latitudine. Sed hic iſthmus non ſatis ad ſeparandam Europam ab Aſiâ. Eo in Iſthmo Caucaſus Promethei. Alius iſthmus, terminus Africæ atque Aſiæ: qui eſt inter ſinum Arabicum, & mare Ægyptium. Σαρβωνὶς, aliis Σιρβωνὶς, & Σερβωνίς. Σιρβωνίδος λίμνης ἔκρηγμα. Strabo emendatus. De iſthmi hujus ſpatio a Peluſio ad mare Rubrum. Urbs Arſinoe μετὰ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀραβίου κόλπου. Brevius hujus iſthmi ſpatium a Peluſio ad ſeceſſum ſinus Heroopolitici. Sinus Arabici duplex μυχὸς, alter Elaniticus, alter Heroopoliticus. Sed neque hic iſthmus ſatis ad diviſionem Africæ & Aſiæ. Africæ terminus, & Aſiæ accuratiſſimè deſignatus a Ptolemæo. Definitio τοῦ ἰσθμοῦ. Dionyſius excuſatus. Curtius notatus. Iſthmum quem vocare conſueverint Græci. Iſthmus Aſiaticus. Plinius explicatus.

DICTUM illud per metaphoram: πόντος ὁλκὸν ἑλίσσων. Κυρίως γὰρ ὁλκὸς τὸ σῶμα τοῦ ὄφεως. Suidæ Ὁλκὸς κυρίως τὸ τῶν δρακόντων σύρμα. Sed Scholiaſta Nicandri hæmorrhoi ὁλκὸν, interpretatur σῶμα, ad verba illa Nicandri: Τοῦ δ' Ἑλένη μέσον ὁλκὸν ἀνέκλασεν. Alii maximas tres totius terrarum orbis continentes minoribus aliis continentibus inter ſeſe diſcriminant: τὰς τοιαύ-

τοιαύτας τρεῖς μεγίστους ἠπείρους ἀπ' ἀλλήλων ἠπείροις σμικροτέραις διαχωρίζουσιν. Agathemerus: Ἔνιοι δὲ τὰς προκειμένας ἠπείρους ἰσθμοῖς διορίζουσιν· ἀπὸ μὲν Ἀσίας τὴν Εὐρώπην τῷ μεταξὺ Κασπίας θαλάσσης, καὶ τοῦ Πόντου· τὴν δὲ Λιβύην τῷ μεταξὺ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καὶ τῆς κατὰ τὸ Πηλούσιον θαλάσσης. Strabo lib. I. Ἑξῆς δὲ περὶ τῶν ἠπείρων εἰπὼν (Eratoſthenes) γεγονέναι πολὺν λόγον, καὶ τοὺς μὲν τοῖς ποταμοῖς διαιρεῖν αὐτὰς, τῷ τε Νείλῳ, καὶ τῷ Ταναΐδι, νήσους ἀποφαίνοντας· τοὺς δὲ τοῖς ἰσθμοῖς, τῷ τε μεταξὺ τῆς Κασπίας, καὶ τῆς Ποντικῆς θαλάσσης, καὶ τῷ μεταξὺ τῆς Ἐρυθρᾶς, καὶ τοῦ ἐκρήγματος, τοὺς δὲ χερρονήσους αὐτὰς λέγειν, οὐχ ὁρᾶν φησι, πῶς ἂν εἰς πράγματα καταστρέφοιτο ἡ ζήτησις αὕτη. Hi igitur Aſiæ atque Europæ terminum ſtatuunt τὸν μέγιστον καὶ πλατύτατον ἰσθμὸν, τὸν μεταξὺ Κασπίας, καὶ Εὐξείνου, iſthmum ſanè maximum ac latiſſimum, intervallo trium millium ſtadiorum, hoc eſt, CCCLXXV. M. paſſuum. Strabo de hac terrarum inter maria duo, Caſpium & Ponticum, intercapedine: ἡ ἀπὸ τῆς ἐκβολῆς τοῦ Κύρου μέχρι τῆς Κολχίδος ὅσον τρισχιλίων οὖσα σταδίων ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν, δι' Ἀλβανῶν καὶ Ἰβήρων, ὥστε ἰσθμοῦ λόγον ἔχειν. Hinc Plinius lib. 6. c. 11. *Aliqui inter Pontum & Caſpium mare* CCCLXXV. *millia paſſuum, non amplius, intereſſe tradiderunt*. Attamen ſubdit Plinius, Cornelium Nepotem CCL. paſſuum millibus ſpatium illud definiſſe. Alia vide apud Strabonem lib. XI. Sed ad ſeparandam penitus Europam ab Aſiâ non ſatis hic iſthmus fuerit, niſi terminus ad Oceanum uſque borealem protrahatur. Atque id in cauſsâ fuiſſe pro Agathemero, cur pro termino Europæ atque Aſiæ alium quoque iſthmum poneret, ὃς ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τῆς Μαιώτιδος λίμνης ἐπὶ τὴν πρὸς ἄρκτους θάλασσαν διήκει. Διαρρεῖ δὲ, inquit, τὸν ἰσθμὸν τοῦτον ποταμὸς Τάναϊς. Porro autem in maximo illo iſthmo, medio inter Euxinum, & Caſpium mare, ὁ θρυλλούμενός ἐστι τοῦ Προμηθέως Καύκασος. Strabo lib. XI. Ἔστι δ' ὄρος τοῦτο ὑπερκείμενον τοῦ πελάγους ἑκατέρου, τοῦ τε Ποντικοῦ, καὶ τοῦ Κασπίου, διατειχίζον τὸν ἰσθμὸν, τὸν διείργοντα αὐτά. Ἀφορίζει δὲ πρὸς νότον μὲν τήν τε Ἀλβανίαν, καὶ τὴν Ἰβηρίαν· πρὸς ἄρκτον δὲ τὰ τῶν Σαρματῶν πεδία. At verò de alio iſthmo, qui terminus eſt Africæ atque Aſiæ, hæc Euſtathius: ἄλλον δ' αὖθις ἰσθμὸν μέγαν τὸν μεταξὺ Ἀρραβικοῦ κόλπου, καὶ Αἰγύπτου, ὅρον εἶναί

φασι

Digitized by Google

φασι Λιβύης καὶ Ἀσίας. Dicit hunc iſthmum τὸν μεταξὺ Ἀῤῥαβικοῦ κόλπου, καὶ Αἰγύπτου. Non propriè tamen Αἰγύπτου, ſed Αἰγυπτίας θαλάσσης. Etſi enim hic iſthmus Ægyptum ab Arabiâ & Judæâ diſterminat; tamen non eſt ille inter ſinum Arabicum, & Ægyptum; ſed inter ſinum Arabicum, & mare Ægyptium, ſeu Mediterraneum. Ita de hoc iſthmo, qui terminus eſt Africæ, atque Aſiæ, veteres Geographi. Agathemerus: οἱ δὲ ἰσθμὸν τὸν ἀπὸ Σαρβωνίδος λίμνης, καὶ Ἀραβίου κόλπου. Vocat Agathemerus Σαρβωνίδα, quam alii Σιρβωνίδα, ſeu certè per ε, Σερβωνίδα. Sirbonidis hujus, ſeu Serbonidis lacûs, dictum fuit ἔκρηγμα ad mare Peluſiacum, ubi eruperat. Ἔκρηγμα Σιρβωνίδος λίμνης eſt etiam apud Ptolemæum in Caſiotide. Strabo lib. 16. Καὶ αὕτη μὲν οὖν ἡ ἀπὸ Γάζης λυπρὰ πᾶσα, καὶ ἀμμώδης· ἔτι δὲ μᾶλλον ἐφεξῆς τοιαύτη ἡ ὑπερκειμένη ἔχουσα τὴν Σιρβωνίδα λίμνην παράλληλον πρὸς τῇ θαλάττῃ, μικρὰν δίοδον ἀπολείπουσαν μεταξὺ, μέχρι τοῦ Ἐκρήγματος καλουμένου, μῆκος ὅσον διακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ τὸ μέγιστον πεντήκοντα· τὸ δ' Ἔκρηγμα συγκέχωσται. Εἶτα συνεχὴς ἄλλη τοσαύτη ἡ ἐπὶ τὸ Κάσιον, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὸ Πηλούσιον. Ubi in Strabone depravata erant illa: τοιαύτην ὑπερκειμένην ἔχουσι τὴν Σιρβωνίδα: quæ nos correximus, ut nobis quidem certè vetus interpres legiſſe videbatur. Hinc iſthmus idem Straboni ὁ μεταξὺ τῆς Ἐρυθρᾶς, καὶ τοῦ Ἐκρήγματος· qui nempe eſt inter ſinum Arabicum, & mare Peluſiacum· ut idem ipſe iſthmus alibi Agathemero ὁ μεταξὺ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καὶ τῆς κατὰ τὸ Πηλούσιον θαλάσσης. Strabo lib. XI. τὸν ἀπὸ Πηλουσίου ἰσθμὸν ἐς τὴν Ἐρυθράν. Hunc autem iſthmum, quem Dionyſius μακρὸν, καὶ ἀθέσφατον, Euſtathius verò μέγαν appellat, Agathemerus vocat στενὸν, per comparationem nimirum ad iſthmum illud maximum atque latiſſimum, qui Aſiam atque Europam terminat. Agathemerus: Χωρίζεται δὲ καὶ ἡ Ἀσία τῆς Λιβύης ἰσθμῷ πάλιν στενῷ. Τοῦτον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς κατὰ τὸ Πηλούσιον θαλάσσης ἐπὶ τὸν μυχὸν ἀνιοῦσα τοῦ Ἀραβίου κόλπου γραμμή. Spatium hujus iſthmi a Peluſio ad mare Rubrum faciebat Poſidonius mille & quingentorum ſtadiorum. At non videtur hoc ſpatium ſtadia mille exceſſiſſe. Plinius lib. 2. cap. 68. *Idem ſiquidem Oceanus infuſus in multos, ut dicemus, ſinus, adeo vicino acceſſu interna maria allatrat, ut centum* XV. *millibus*

bus paſſuum Arabicus ſinus diſtet ab Ægyptio mari; *Caſpius verò* CCCLXXV. *millibus a Pontico*. Sunt, qui pro *centum* XV. *millibus paſſuum*, legant hîc in Plinio, CXXV. *millibus paſſuum* · ut alibi, nimirum lib.5. c. 11. *Agrippa a Peluſio Arſinoen, Rubri maris oppidum, per deſerta* CXXV. M. *paſſuum tradit* · ut ita totum inter utrumque mare intervallum ſit mille omnino ſtadiorum. At enim ſita erat urbs Arſinoe *μετὰ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀραβίου κόλπου*, ut Ptolemæus docet · nempe poſt ſinum intimum Heroopoliticum. Brevius autem aliquantò intervallum fuit a Peluſio ad intimum ipſum ſeceſſum ſinus Heroopolitici: ubi nimirum Heroopolis, ſeu urbs Heroum. Duplex Arabici ſinus *μυχὸς*, alter ab Oriente Elaniticus, ſeu Ælaniticus; alter ab occaſu Heroopoliticus. Ad alterum hunc ſinum Heroopoliticum tametſi a Peluſio compendium itineris fieret; tamen iter per loca arenoſa ac deſerta agebatur. Strabo lib. 16. *Διττὸς δ' ἐστὶν (ὁ τοῦ Ἀραβίου κόλπου μυχός). ὁ μὲν εἰς ἔχων τὸ πρὸς τῇ Ἀραβίᾳ, καὶ τῇ Γάζῃ μέρος, ὃν Ἐλανίτην προσαγορεύουσιν ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ πόλεως· ὁ δ' εἰς τὸ πρὸς Αἰγύπτῳ κατὰ τὴν Ἡρώων πόλιν, εἰς ὃν ἐκ Πηλουσίου ἡ ὑπέρθεσις ἐπιτομωτέρα. δι' ἐρήμων δὲ καὶ ἀμμωδῶν χωρίων αἱ ὑπερβάσεις ἐπὶ καμήλων*. Hæc igitur eſt iſthmi hujus ad Ægyptum inter mediterraneum mare, & Arabicum ſinum intercapedo. Neque tamen hic ipſe iſthmus ſufficit ad Africam ab Aſiâ dirimendam, eâ ratione, qua ne ipſe quidem Nilus ſufficere eſt exiſtimatus; ideoque ad diviſionem hanc perficiendam, ſinum quoque Arabicum additum ad iſthmum voluerunt. Strabo lib. 1. *Οἱ χαριέστεροι τῶν διαιρούντων τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Λιβύης, ὅρον εὐφυέστερον ἡγοῦνται τοῦτον τῶν ἠπείρων ἀμφοῖν τὸν κόλπον, ἢ τὸν Νεῖλον. Τὸν μὲν γὰρ διήκειν παρ' ὀλίγον παντελῶς ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν· τὸν δὲ Νεῖλον πολλαπλάσιον ἀπὸ τοῦ ὠκεανοῦ διέχειν, ὥστε μὴ διαιρεῖν πᾶσαν τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Λιβύης*. Africæ terminum, quo ipſa penitùs ab Aſiâ ſecernitur, pleniſsimè ſimul atque accuratiſsimè veterum omnium Geographorum deſignavit Ptolemæus his verbis: *χωρίζοντες καὶ ταύτην (Λιβύην) ἀπὸ τῆς Ἀσίας, μετὰ τὰς θαλάσσας τὰς ἀπὸ τοῦ περὶ τὸ Πράσον ἀκρωτήριον τῆς Αἰθιοπίας, μέχρι τοῦ Ἀραβίου κόλπου, καὶ τοῦ καθ' Ἡρώων πόλιν μυχοῦ, μέχρι τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάσσης, ἰσθμῷ διορίζοντι τὴν Αἴγυπτον ἀπὸ τῆς*

Ἀρα-

Digitized by Google

Ἀραβίας, καὶ τῆς Ἰουδαίας· ἵνα μή τε ἐξαπατῶμεν τὴν Αἴγυπτον, τῷ Νείλῳ ποιούμενοι τὸν μερισμὸν, καὶ ὅτι βέλτιον πελάγεσιν, ὅταν ἐνῇ, καὶ μὴ ποταμοῖς, χωρίζειν τὰς ἠπείρους. De ſignificatione τοῦ ἰσθμοῦ ſunt illa verba: ἰσθμοῦ λεγομένου συνήθως καὶ κοινότερον τοῦ μεταξὺ δύο θαλασσῶν στενοῦ τόπου. Suidas: Ἰσθμὸς γάρ ἐστι γῆ στενὴ, ἑκατέρωθεν ἔχουσα θάλασσαν· πορθμὸς δὲ, θάλασσα ἑκατέρωθεν ἤπειρον ἔχουσα ἐπικειμένην. Etymologici Magni Auctor: Ἰσθμὸς, οὐ μονον ὁ λαιμὸς, ἀλλὰ καὶ στενὴ γαῖα μεταξὺ δύο θαλασσῶν· πορθμὸς δὲ, στενὴ θάλασσα μεταξὺ δύο γαιῶν. Hæc quum ſit ſignificatio τοῦ ἰσθμοῦ, videre nos jubet Euſtathius, ut Dionyſius τῇ λέξει παραχρησάμενος, ἰσθμοὺς ἐνταῦθα ἐτόλμησεν εἰπεῖν τὰς οὕτω πλατυτάτας καὶ πολυτενεῖς ἠπείρους. Mihi verò mirandum, notari in Dionyſio, tanquam inſolentiùs atque audaciùs dictum, quod dicere in conſuetudine eſt Græcorum Geographorum. Sic igitur & infra Dionyſius ἠπείρου πλατὺν ἰσθμὸν λέγει τὸν μεταξὺ τοῦ Εὐξείνου πόντου, καὶ τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου. Nimis progreſſus eſt Curtius, ut, quidquid hoc eſt iſthmi Aſiatici, quod oppido quàm latiſſimè patet, *anguſtiſſimum Aſiæ ſpatium* diceret. *Inter hæc maria* (Ponticum & Cilicium) *anguſtiſſimum Aſiæ ſpatium eſſe comperimus, utroque in arctas fauces compellente terram. Quæ quia continenti adhæret, ſed magnâ ex parte cingitur fluctibus, ſpeciem inſulæ præbet; ac, niſi tenue diſcrimen objiceret, maria, quæ nunc dividit, committeret.* Iſthmum quidem, illum more ſuo vocant Græci; non tamen anguſtiſſimum. Strabo lib. 12. Ἔστι δ', ὥσπερ Χερρονήσου μεγάλης ἰσθμὸς οὗτος, σφιγγόμενος θαλάτταις δυσὶ, τῇ τε τοῦ Ἰσσικοῦ κόλπου μέχρι τῆς Τραχείας Κιλικίας, καὶ τῇ τοῦ Εὐξείνου, μεταξὺ Σινώπης τε, καὶ τῆς τῶν Τιβαρηνῶν παραλίας· ἐντὸς δὲ τοῦ ἰσθμοῦ λέγομεν χερρόνησον τὴν προσεσπέριον τοῖς Καππάδοξιν ἅπασαν, ἣν Ἡρόδοτος μὲν ἐντὸς Ἅλυος καλεῖ. Et lib. 14. Τὸ μὲν οὖν ἀληθὲς ὁ ἰσθμὸς τῆς περιωδευμένης Χερρονήσου, οὗτος ἐστὶν ὁ ἀπὸ Ταρσοῦ, καὶ τῆς ἐκβολῆς τοῦ Κύδνου μέχρι Ἀμισοῦ. Τὸ γὰρ ἐλάχιστον ἐξ Ἀμισοῦ διάστημα ἐπὶ τοὺς Κιλίκων ὅρους, τοῦτ' ἐστίν. Ἐντεῦθεν δ' ἑκατὸν εἴκοσιν εἰσὶν εἰς Ταρσὸν στάδιοι· κἀκεῖθεν οὐ πλείους πέντε ἐπὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ Κύδνου. Καὶ μὴν ἐπί γε Ἰσσὸν, καὶ τὴν κατ' αὐτὴν θάλατταν, οὔτ' ἄλλη ὁδὸς συντομωτέρα ἐστὶν ἐξ Ἀμισοῦ τῆς διὰ Ταρσοῦ,

σοῦ, οὔτ' ἐκ Ταρσοῦ ἐπὶ Ἰασὸν ἐγγυτέρω ἐστὶν, ἢ ἐπὶ Κύδνον. Totum hoc iſthmi Aſiatici intervallum, qua quidem breviſſimum eſt, definitum a Plinio ducentis paſſuum millibus: *Amiſum liberum, a ſinope* CXXX. M. *paſs. ejuſdemque nominis ſinus tanti receſſus, ut Aſiam penè inſulam faciat*, CC. *mill. paſſuum haud ampliùs per continentem ad Iſſicum Ciliciæ ſinum*. Ille Plinii ejuſdem nominis ſinus non eſt Sinopicus, ut putat vir doctus; ſed Amiſenus.

CAPUT XII.

Ἀκάματον Ὠκεανοῦ σθένος. Indulget Euſtathius ingenio. Homericum ῥόος ὠκεανοῖο. Metrica lex in citandis Poetarum locis neglecta Euſtathio. Vetuſtiſſimis quibuſque Poetarum Oceanus fluvius; quod vix creditum Herodoto. Mare extra Columnas Atlanticum Herodoto, qui tamen pernegat Oceanum. Herodotus Latinè verſus a Matthæo Palmerio Piſano. Herodoti locus reſtitutus. Oceanus, mare externum. Opinio de Oceano flumine ad allegoriam translata. Oceanus, mare magnum aliis & Atlanticum. Phavorini locus apud Stephanum reſtitutus. Oceani nomen non valde olim veteribus notum. Oceani etymologia Græca. Nilo antiquiſſimum nomen, Ὠκεάμης· quod Græcè Ὠκεανός. Inde fortaſſe Oceanus, fluvius exiſtimatus, quod eſt externum mare. Nilus, Ægypti fluvius, Herodoti temporibus, vocatus: qui, temporibus Homeri, Ægyptus. Homerus Heſiodo antiquior. Scholiaſta Heſiodi defenſus. Nili nomina. Antiquiſſimum, Oceanus; recentiſſimum, Nilus; inter hæc media, Aetus, & Ægyptus. Nilus dictus etiam Triton. Oceanum mare minimè ignoravit Homerus.

CITAT Euſtathius in Dionyſio ἀκάματον Ὠκεανοῦ σθένος. Ὅτι ἀκάματον τὸ τοῦ Ὠκεανοῦ σθένος λέγει, διὰ τὸ τοῦ στοιχείου ἀνέκλειπτον. Suſpicor, ingenio hîc ſuo Euſtathium indulſiſſe, ut pro ἀκαμάτου ὠκεανοῦ ῥόον ſcriberet ἀκάματον ὠκεανοῦ σθένος. Neque enim Euſtathius ipſe ſupra dubitare nos ſinit, quin, quemadmodum legimus nos, ipſe etiam in Dionyſio legerit, ἀκαμάτου ῥόος ὠκεα-

ὠκεανοῖο. Homericum eſt ῥόος Ὠκεανοῖο. Et Priſcianum legiſſe in Dionyſio ῥόος, indicio eſt hic ejus verſus, quo Dionyſianum verſum interpretatur:

Circuit Oceani gurges tamen undique vaſtus.

Homericum eſt πῦρ ἀκάματον, lib. ε' Iliad. Heſychius: ἀκάματον πῦρ, ἄπειρον πῦρ. Citat etiam Euſtathius Ἰνδικὸν κῦμα θαλάσσης, quod Dionyſius Ἰνδικὸν οἶδμα. Sed pro more ſuo Euſtathius facit, ut in citandis Poetarum locis metricam ſæpe legem negligat. Dionyſius, ubi de Oceano, οὐ ποταμὸν νοεῖ τὸν ὠκεανὸν, κατὰ τοὺς πολλοὺς τῶν Ποιητῶν. Quippe vetuſtiſſimi quique Poetarum Oceanum fluvium eſſe quendam ſunt opinati. Princeps ipſe Poetarum Odyſſ. lib. λ'.

Τὴν δὲ κατ' Ὠκεανὸν ποταμὸν φέρε κῦμα ῥόοιο.

Et Heſiodus in Theogoniâ:

Κούρης Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο.

Quod vix poſtea creditum Herodoto. Certè quidem Herodotus Homeri ſuperiorumque Poetarum figmentis fluvium hunc Oceanum accenſuit in Euterpe: Οὐ γάρ τινα ἔγωγε οἶδα ποταμὸν Ὠκεανὸν ἐόντα· Ὅμηρον δὲ, ἤ τινα τῶν πρότερον γενομένων Ποιητέων, δοκέω τὸ οὔνομα εὑρόντα ἐς τὴν Ποίησιν ἐσενείκασθαι. Quare neque in Melpomene fidem Græcis habet de Oceano: Τὸν δὲ Ὠκεανὸν λόγῳ μὲν λέγουσιν (Ἑλλήνων οἱ τὸν Πόντον οἰκέοντες) ἀπὸ ἡλίου ἀνατολέων ἀρξάμενον, γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν, ἔργῳ δὲ οὐκ ἀποδεικνῦσιν. Immo & ridere ſeſe ait, οἳ Ὠκεανόν τε ῥέοντα γράφουσι πέριξ, τήν τε γῆν ἐοῦσαν κυκλοτερέα ὡς ἀπὸ τόρνου. Pernegat igitur Herodotus Oceanum: qui tamen mare extra Columnas Atlanticum vocat. Quod præclarè animadvertit Theon, Scholiaſta doctiſſimus Arati: ὁ δὲ Ἡρόδοτος οὐ παραδέχεται τὸν ὠκεανόν· τὸ σύμπαν δὲ λέγει πλάσμα εἶναι Ποιητικόν· Ἀτλαντικὸν δὲ αὐτὸ πέλαγος καλεῖ· Locus eſt Herodoti in Clio: Τὴν μὲν γὰρ Ἕλληνες ναυτίλλονται πᾶσαν, καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη, καὶ ἡ Ἐρυθρὴ, μία τυγχάνει ἐοῦσα. Jacobus Gronovius ex codice Mediceo pro πᾶσαν ſcribebat πᾶσα· ita ut eſſet: πᾶσα γὰρ, τὴν Ἕλληνες μὲν ναυτίλλονται. Sed paullò aliter, & quidem, me judice, concinniùs, totum hunc locum legiſſe videtur Matthæus Palmerius Piſanus, qui Herodotum fecit Latinum. Latina

hæc Herodoti interpretatio, nondum, quod ſciam, typis edita, ad manus nuper meas, beneficio Clariſſimi Viri, Philippi Palmerii, patricii Piſani, pervenit; &, quantùm ex eâ interpretatione colligo, videtur mihi Palmerius totum illum Herodoti locum ita legiſſe: Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσά ἐστι ἐπ' ἑωϋτῆς, οὐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ, τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται. Πᾶσα μὲν γὰρ, καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη, καὶ ἡ Ἐρυθρὴ, μία τυγχάνει ἐοῦσα· ἡ δὲ Κασπίη, ἐστι ἑτέρη ἐπ' ἑωϋτῆς. Sic enim Palmerius eum locum reddiderat: *Caſpium verò mare a ceteris ſeparatum, neque alteri, quod Græci navigant, immixtum, ſe ſuo ſpatio continet. Etenim, quum extra Columnas, quod Atlanticum nuncupatur, atque Rubrum, unum eſſe pelagus contingat, Caſpium alterum habetur*; Ubi illis verbis: *alteri, quod Græci navigant*, expreſſum, quod Græcè eſt, τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ, τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται. Aliter, quàm illis Poetis, viſum eſt doctis illis & ſapientibus viris; quorum veſtigia Dionyſius perſequitur: τοῖς σοφοῖς, οἳ ἔξω θάλασσαν καλοῦσι τὸν ὠκεανόν. Tzetzes Chiliade VIII.

Ὠκεανὸς τοῖς Ποιηταῖς, ῥήτορσι, φιλοσόφοις,
Ἱστορικοῖς τε σὺν αὐτοῖς, καὶ τοῖς γεωγραφοῦσι,
Τοῖς μὲν δοκεῖ τις θάλασσα, γλυκεῖα δ' ὑπάρχειν,
Ἥτις καὶ θάλασσα ἐκτὸς καλεῖται παρ' ἐκείνοις,
Ὡς νῆσον, περικλείουσα τὴν οἰκουμένην πᾶσαν,
Καὶ πάσας τὰς θαλάσσας δὲ καθ' ἡμᾶς γεννῶσα.
Ἄλλοις δοκεῖ δὲ ποταμὸς, κυκλῶν τὴν οἰκουμένην.

Alios, quibus flumen eſſe Oceanus videtur, intelligit præcipuè Tzetzes vetuſtiſſimos Poetarum: quorum tamen opinionem ad allegoriam tranſtulit Ariſtoteles lib. I. Meteorolog. c. 9. Δεῖ δὲ νοῆσαι τοῦτον (κύκλον), ὥσπερ ποταμὸν ῥέοντα κύκλῳ ἄνω καὶ κάτω, κοινὸν ἀέρος, καὶ ὕδατος. πλησίον μὲν γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου, ὁ τῆς ἀτμίδος ἄνω ῥεῖ ποταμός· ἀφισαμένου δὲ, ὁ τοῦ ὕδατος κάτω· καὶ τοῦτ' ἐνδελεχὲς ἐθέλει γίγνεσθαι κατά γε τὴν τάξιν· ὥστ' εἴπερ ᾐνίττοντο τὸν ὠκεανὸν οἱ πρότερον, τάχ' ἂν τοῦτον τὸν ποταμὸν λέγοιεν τὸν κύκλῳ ῥέοντα περὶ τὴν γῆν. Ceteri, qui de Oceano planè ac propriè locuti ſunt, omnes mare appellarunt, non illud quidem dulce, γλυκὺ, quod Tzetzes ait; ſed externum, quod alii ma-

gnum,

gnum, alii etiam Atlanticum, vocarunt. Unde Phavorinus ἐν ταῖς παντοδαπαῖς ἱστορίαις. Προσαγορεύουσι δὲ τὴν ἔξω θάλατταν, ἐκείνων μὲν οἱ πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ὠκεανόν· οἱ δὲ τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντες, μεγάλην θάλατταν· οἱ δ᾽ Ἕλληνες, Ἀτλαντικὸν πέλαγος. Corruptè legitur hic Phavorini locus apud Stephanum. Sed pro ἐκεῖνον, quod ibi vulgò legitur, reſcribo ego ἐκείνων· ut ſit ἐκείνων τῶν βαρβάρων. Videtur Phavorinus, pro regionum varietate, varia barbarorum genera diſtinxiſse; itaque dicit, barbarorum illorum, de quibus antea nimirum loquebatur, pleroſque paſſim externum mare, oceanum nominare; eos verò, qui Aſiam incolunt, magnum mare; at verò Græcos, mare Atlanticum. Atque hinc ſatis conſtat, Oceani nomen non valde aliquando Græcis cognitum fuiſse; neque admodum mirandum eſse, quòd Herodotus tam parùm ſibi notum Oceanum habuerit: quum tamen, ut diximus, mare extra columnas Atlanticum, pro aliorum nimirum Græcorum conſuetudine, appellet. Sed ſi Oceanus, nomen eſt Barbaris uſitatum, cur, quæſo, voci huic barbaræ Græci etymologiam dant Græcam? Quod enim in aliis ferè omnibus vocibus ſolent, hîc etiam pro more & ingenio ſuo Græci magiſtri faciunt, ut ex linguæ ſuæ fontibus Oceanum derivent. Stephanus: ἐκλήθη δ᾽ οὕτω παρὰ τὸ ὠκέως νάειν, ὅ ἐστι ῥεῖν. Euſtathius ad Iliadem: Τὸ δὲ ὠκεανὸν λέγεσθαι ἀπὸ τοῦ ὠκέως νάειν, ὥσπερ καὶ ῥέαν, τὴν δ᾽ αὐτὴν καὶ ῥεῖαν, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, καθωμίληται. Theon ad Aratum: ὠκεανὸς ἐστὶ, ἡ ἐκτὸς καὶ μεγάλη θάλασσα καλεῖται, παρ᾽ ὅσον ὠκέως ῥεῖ. Alias etymologias Oceani vide apud Etymologiarum Scriptorem, atque alios. Nilo, Diodoro auctore, antiquiſſimum nomen fuit Oceames, Ὠκεάμης· quod Græcè, inquit, idem eſt atque Ὠκεανός. Diodorus: τὸν ἐστὶ ποταμὸν ἀρχαιότατον μὲν ὄνομα σχεῖν Ὠκεάμην, ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ Ὠκεανός. Ergo quem barbari *Oceamen* fluvium, Græci *Oceanum* dixerunt. Ab Oceano hoc flumine ego ſuſpicor ad Oceanum mare translatam appellationem fuiſſe; indeque Poetas vetuſtiſſimos anſam arripuiſse, ut externum mare, flumen nuncuparent. Oceanum dictum flumen quum Homerus inveniſset, exiſtimat Herodotus, eum id nominis in Poeſim ſuam retuliſse. Negat autem prorſus Herodotus, ſibi ullum compertum eſse fluvium Oceanum. Neque enim amnis ille Ægyptius, Herodoti

Digitized by Google

doti temporibus, Oceanus; ſed Nilus, vocabatur. Amni eidem, temporibus Homericis, nomen erat Ægyptus. Et ſic Homerus eum nominat lib. δ' Odyſseæ:

Πρίν γ' ὅτ' ἂν Αἰγύπτοιο διϊπετέος ποταμοῖο.

Et lib. ξ'.

Στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας.

Vetus Scholiaſta: Αἴγυπτος, ὁ Νεῖλος πρότερον ἐκαλεῖτο. Immo neque improbabile eſt, quod εἰκὸς, ſeu ſimile eſse veri Strabo affirmat, temporibus illis Homericis, Nili nondum nomen uſurpatum fuiſse. Unde Grammatici Græci colligebant, videri Heſiodum recentiorem eſse Homero, quòd quem Homerus Ægyptum, Heſiodus Nilum nominaverit. Scholiaſta Heſiodi ad verſum illum Theogoniæ:

Νεῖλον τ' Ἀλφειόν τε, καὶ Ἠριδανὸν βαθυδίνην·

ἐκ τούτου φαίνεται Ἡσίοδος Ὁμήρου νεώτερος. καὶ γὰρ Ὅμηρος Αἴγυπτον καλεῖ τὸν Νεῖλον. Et fruſtra ibi repugnat vir doctus: quia, ut Homerus Heſiodo antiquior eſse demonſtretur, ſatis eſt Scholiaſtæ, Græcos Ægypti ante nomine, quàm Nili, flumen illud cognitum habuiſse. Nomina Nilus ſubinde mutavit: quorum quidem nominum antiquiſſimum, ut dictum eſt, Oceanus; recentiſſimum atque poſtremum, Nilus. Diodorus: τὸν δὲ ποταμὸν ἀρχαιότατον μὲν ὄνομα σχεῖν Ὠκεάμην, ὅς ἐστιν Ἑλληνιστὶ Ὠκεανός· ἔπειτα, διὰ τὸ γενόμενον ἔκρηγμα, φασὶν Ἀετὸν ὀνομασθῆναι· ὕστερον δ' Αἴγυπτον ἀπὸ τοῦ βασιλεύσαντος τῆς χώρας προσαγορευθῆναι· μαρτυρεῖν δὲ καὶ τὸν Ποιητὴν, λέγοντα·

Στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας.

Κατὰ γὰρ τὴν καλουμένην Θῶνιν ἐμβάλλοντος εἰς θάλασσαν τοῦ ποταμοῦ, τοῦτον τὸν τόπον ἐμπόριον εἶναι τὸ παλαιὸν τῆς Αἰγύπτου· τελευταίας δὲ τυχεῖν αὐτὸν, ἧς νῦν ἔχει προσηγορίας, ἀπὸ τοῦ βασιλεύσαντος Νειλέως. Quæ Ægyptii linguâ ſuâ patrio flumini nomina indiderant, videntur Græci Græcè ea reddidiſse, atque adeo, quæ barbara erant Nili nomina, Græca ipſi feciſse. Hinc etiam eundem fluvium, ante quam Nilum dicerent, a nomine ter mutato Tritonem, ut ferunt, vocarunt. Tzetzes ad Lycophronem: Τρίτων ὁ Νεῖλος, ὅτι τρὶς μετωνομάσθη. πρότερον γὰρ Ὠκεανὸς ἂν ἐκαλεῖτο· δεύτερον Ἀετὸς, ὅτι ὀξέως ἐπέρρευσε· τρίτον Αἴγυπτος.

τὸ

τὸ δὲ Νεῖλος νέον ἐςίν. Ergo, ut ad Oceanum redeamus, quum amnis ille Ægyptius jam inde a principio Oceanus nuncupatus fuerit, videtur inde mihi apud antiquiſſimos Poetas illa Oceani fluminis nomenclatio ad mare externum tranſiiſse. Neque verò Homerus Oceanum mare ignoravit; ſed quòd Oceanum fluvium de mari ipſo externo diceret, fuit id utique licentiæ & libertatis Poeticæ: Euſtathius lib. ξ′ Iliad. ad Homericum illud: καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα Ὠκεανῦ. Τὸ δὲ ποταμοῖο ῥέεθρα Ὠκεανῦ, Ποιητικῆς ἀδείας λόγος. Ἡ γὰρ ἀλήθεια Ὠκεανὸν οἶδε τὴν ἔξω θάλασσαν: Διὸ καὶ ὁ Ποιητὴς λίμνην που ἔφη αὐτόν. Οὐ γὰρ ἠγνόει τὸ ἀληθὲς, εἰ καὶ ἄλλως Ποιητικῶς τὰ πλείω λαλεῖ. Et lib. λ′ Odyſs. εἰ καὶ ἐν ἄλλοις ὁ Ποιητὴς ἐμφαίνει θάλασσαν εἶναι τὸν Ὠκεανὸν, κατὰ τοὺς φιλοσόφους· ἀλλ' ἐνταῦθα ποταμὸν φανερῶς αὐτὸν λέγει, Ποιητικῶς φράζων, οὔτε τῆς ἀληθείας ἐθέλων ἀπέχεσθαι, καὶ τῇ ποιήσει δὲ τὰ εἰκότα χαριζόμενος.

CAPUT XIII.

Oceanus fluvius quibuſdam, alius ab Oceano mari. Homericorum verſuum ex Cratete explicatio. Oceanus ποταμὸς, *pars maris Oceani.* Θάλασσα ἡ κατὰ Κίρκην *duplici modo apud Homerum intellecta, tum de mari interno, tum de externo. Navigatio Ulyſſis Homerica ab Oceano ad Circæam inſulam. Oceanus, Homero* λίμνη. *Fluminum proprium, fontes habere & oſtia. Multiplex nomen Oceani. Oceanus Atlanticus & Heſperius. Zephyrus Locrus· ideſt, Locricus. Locri Epizephyrii a Zephyro, ſive a promontorio Zephyrio. Oceanus glacialis & Cronius. Arimaſpi, & Hyperborei.* Ἀρειμανεῖς, & Ἀρειμάνιοι. *Etymologus emendatus. Æſchylus illuſtratus. Arimaſpi, gens unocula. Jocus Plautinus explicatus. Unoculi, Romanis coclites. Arimaſporum unde appellatio, ſicuti etiam Niſitarum. Arimaſpi, nomen Scythicum.* Ἀρίμασπαι, & Ἀριμασποί.

FUERUNT tamen, qui Oceanum verè proprièque fluvium, aliumque prorſus atque omnino a mari Oceano facerent, ex verbis Homericis, initio lib. μ′ Odyſs. Αὐτὰρ

Digitized by Google

Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο
Νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.

Euſtathius ad lib. ξ' Iliadis: Ὅτι δὲ καὶ ἰδίως ἦν ἐκεῖ που ἐμβάλλων ποταμὸς εἰς τὸν κυκλοῦντα τὴν γῆν θαλάττιον ὠκεανὸν, ὁμώνυμος ἐκείνῳ, παρασημειοῦνται ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ τινές. Sed Homericorum horum verſuum multò eſt probabilior illa ex Cratete apud Strabonem explicatio: Βαθυῤῥοῦν μὲν γὰρ καὶ ἀψόῤῥοον λέγει, ὁμοίως δὲ καὶ ποταμὸν τὸν ὅλον Ὠκεανόν· λέγει δὲ καὶ μέρος τοῦ Ὠκεανοῦ τι ποταμὸν, καὶ ποταμοῖο ῥόον, οὐ τοῦ ὅλου, ἀλλὰ τοῦ μέρους, ὅταν οὕτω φησίν·

Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο
Νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.

Οὐ γὰρ τὸν ὅλον, ἀλλὰ τὸν ἐν τῷ Ὠκεανῷ τοῦ ποταμοῦ ῥόον μέρος ὄντα τοῦ Ὠκεανοῦ· ὅν φησιν ὁ Κράτης ἀνάχυσίν τινα, καὶ κόλπον ἐπὶ τὸν νότιον πόλον ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ διήκοντα. Τοῦτον γὰρ δύναιτ' ἄν τις ἐκλιπὼν, ἔτι εἶναι ἐν τῷ Ὠκεανῷ· τὸν δὲ ὅλον ἐκλιπόντα ἔτι εἶναι ἐν τῷ ὅλῳ, οὐχ οἷόν τε. Ὅμηρος δέ γε οὕτω φησὶ, ποταμοῖο λίπεν ῥόον, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης· ἥ τις οὐκ ἄλλη τίς ἐστιν, ἀλλὰ Ὠκεανός. Γίνεται οὖν, ἐὰν ἄλλως δέχῃ, ἐκβὰς ἐκ Ὠκεανοῦ, ἦλθεν εἰς τὸν Ὠκεανόν. Hoc modo quum Homerus inter Oceanum ποταμὸν, & Oceanum θάλασσαν diſtinguat, Oceanus ποταμὸς non totus eſt Oceanus; ſed pars Oceani. Locum hunc Strabonis citat atque illuſtrat Euſtathius ad Odyſſeam: Ὁ δὲ Γεωγράφος φησὶν, ὅτι ἐν τῷ, ἐπὶ ποταμοῦ λίπε ῥόον ὠκεανοῦ, μέρος τι ὠκεανοῦ ὁ ποταμός. Ἄλλως γάρ, φησιν, οὐκ ἂν λέγοιτο, ὅτι ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ ἦλθεν εἰς τὸν ὠκεανόν· ὥστε, κατὰ τὸν Γεωγράφον, δοκεῖ λέγειν Ὅμηρος, ὡς ἐκ τοῦ μεγάλου ὠκεανοῦ, τοῦ ἔξω δηλαδὴ θαλάσσης, περὶ ἣν πλάττεται μυθικῶς καὶ ἡ τῆς Κίρκης εἶναι νῆσος, πλεύσας εἰς ᾅδην διὰ ποταμοῦ ὠκεανοῦ, εἶτα διὰ τοῦ αὐτοῦ αὖθις ποταμοῦ ἐπαλιννόστησεν εἰς τὴν θάλασσαν, ἔνθα ἣν ἡ Κίρκη. Ἐπάγει γάρ· ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο Νῆσον ἐς Αἰαίην· ὥστε ἀπὸ θαλάσσης Ὀδυσσεὺς διὰ ποταμοῦ ὠκεανοῦ εἰς ᾅδην ἐλθὼν, εἶτα διὰ τοῦ αὐτοῦ ποταμοῦ ἐνεχθεὶς, εἰς τὴν κατὰ Κίρκην εὐρύχορον ἀποκατέστη θάλασσαν. Quanquam θάλασσα ἡ κατὰ Κίρκην poſſit etiam, ac fortaſſe debeat intelligi in Homero mare internum, ſeu mediterraneum, quò Ulyſſes ex Oceano ad Ææam inſulam re-

na-

navigaverat. Cujus etiam explicationis meminit Euſtathius in verbis, quæ ſtatim ſequuntur: ἡ τίς ποτε αὕτη θάλασσα, εἴτε ἡ ἔξω κατὰ τὸν ὠκεανόν, εἴτε καὶ μάλιστα ἡ καθ' ἡμᾶς ἑσπερία ἡ μετὰ τὸν μέγαν ὠκεανόν, πρὸς τῇ οἰκουμένῃ μὲν ἀληθῶς οὖσα περί που τὰ Τυῤῥηνικά, ἢ Σικελικά· τῷ δὲ μύθῳ μεταγομένη, ὅποι περ ἐκείνῳ δοκεῖ, τῷ καὶ ἀποσχηματίσαντι τὸν ἀπείριτον, ἢ ἀπέραντον ποταμὸν εἰς πανημέριον πλοῦν. Utroque igitur modo intelligi poteſt θάλασσα, quæ ibi ab Homero vocatur, tum externum mare, ſeu Oceanus, tum etiam noſtrum hoc occidentale, idque maximè quod eſt mediterraneum, περί που τὰ Τυῤῥηνικά, ἢ Σικελικά· ita ut fabula illa Homerica navigationem Ulyſſis ab Oceano atque a Cimmeriis ad inſulam illam mediterranei maris Circæam intra diei unius ſpatium concluſerit. Priori modo, ſi ἡ θάλασσα externum mare intelligitur, Oceanus ποταμὸς pars eſt, ut diximus, maris Oceani; altero verò modo, ſi nimirum ἡ θάλασσα, mare intelligitur mediterraneum, Oceanus ποταμὸς de toto accipi debet Oceano. Hunc autem Homerus vocat etiam alibi λίμνην, *lacum*, in illo verſu:

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε, λιπὼν περικαλλέα λίμνην.

Scholiaſta: λίμνην, νῦν τὸν ὠκεανόν. Et notat Euſtathius, id appellationis in Oceanum magis convenire, quàm appellationem alteram ποταμοῦ, ſeu fluminis. Fluminum nanque & fontes ſunt, ex quibus oriantur, & oſtia, per quæ tandem exeant. Quæ ambo ut maximè propria ſunt fluminum, ſic minimè omnium cadere poſſunt in Oceanum. Euſtathius ad librum γ' Odyſſ. Κρεῖττον δὲ, λίμνην λέγειν τὸν ὠκεανόν, ἤπερ ποταμόν. Ποταμοῦ γὰρ ἀνάγκη πας τε πηγὰς δοῦναι, καὶ τὸ τῆς ἐκβολῆς καταντημα. Ὠκεανὸς δὲ οὐκ ἂν ἔχῃ ταῦτα. Διὰ οἱ σοφοὶ ὠκεανὸν θέλοντες εἰπεῖν, τὴν ἔξω θάλασσαν φασίν. Neque verò de multiplici Oceani nomine omittendum illud: Ὠκεανὸς, εἷς ὢν, πολλαῖς ἐπωνυμίαις ἥρμοσται. Agathemerus: ἡ δὲ μεγάλη θάλασσα, καὶ τὴν ὅλην οἰκουμένην περιῤῥέουσα, κοινῷ μὲν ὀνόματι Ὠκεανὸς καλεῖται, κατὰ κλίματα δὲ διαφόρους ἔχει ἐπωνυμίας. Sic, exempli cauſſâ, Oceanus Atlanticus & Heſperius, ὁ μὲν Λοκροῖο παρ' ἐσχατιὴν ζεφύροιο. Zephyrus Locrus· hoc eſt, Locricus. Locri verò dicti Epizephyrii, ὡς πρὸς ἀνέμῳ ζεφύρῳ κείμενοι. Quanquam & alia quibuſdam eſſe videatur

tur

tur appellationis hujus ratio: καὶ ἄλλῳ λόγῳ Ἐπιζεφυρίους καλοῦσί τινες τοὺς τοιούτους Λοκρούς. Porro autem a Zephyrio promontorio Locros appellatos fuiſse Epizephyrios, diximus & nos ad librum β′ Iliadis. Sic & Oceanus glacialis, atque Cronius, ἵνα παῖδες ἀρειμανέων Ἀριμασπῶν. Gens Euſtathio Scythica, Arimaſpi. Stephanus: Ἀριμασποὶ, ἔθνος Ὑπερβορέων. Alii quidem Herodoto Arimaſpi ab Hyperboreis: ſed Hyperboreorum generalior aliquando fuiſſe videtur appellatio. Strabo lib. II. Οἱ δ᾽ ἔτι πρότερον διελόντες, τοὺς μὲν ὑπὲρ τοῦ Εὐξείνου, καὶ Ἴστρου, καὶ Ἀδρίου κατοικοῦντας, Ὑπερβορέους ἔλεγον, καὶ Σαυρομάτας, καὶ Ἀριμασπούς. Antimachus Hyperboreos eoſdem cenſuit, atque Arimaſpos, ut teſtatur Stephanus. Arimaſpos hos Dionyſius quidem ἀρειμανέας, ἢ ἀρειμανίους λέγει· perinde quaſi Euſtathius duplici modo ſcriptum repererit in codicibus Dionyſii, ἀρειμανέων, & ἀρειμανίων. Et utroque modo rectè ſeſe habet ſcriptura. Malè apud Etymologum ἀρειμάνειος, pro quo ſine dubio reponendum ἀρειμάνιος. Ἀρειμάνιος, inquit, ὁ πολεμικός· ὥσπερ παρὰ τὴν ἄρει δοτικὴν γίνεται ἀρείφατος ὁ πολεμικὸς, τουτέστιν, ὁ ἐν πολέμοις ὀνομαζόμενος, ἢ ὁ πεφονευμένος· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἀρειμάνιος διὰ τῆς ει διφθόγγου, παρὰ τὴν ἄρει δοτικήν. Ortum mendum fuit ex illis verbis, quæ inepti librarii aliter, atque debebant, acceperunt, διὰ τῆς ει διφθόγγου. Suidas: Ἀρειμάνιος, ὁ ἐν τῷ Ἄρει μαινόμενος. De Arimaſpis Æſchylus: Αἰσχύλος δὲ μονῶπα στρατὸν ὀνομάζει. Æſchylus in Prometheo:

> Γρύπας φύλαξαι, τόν τε μουνῶπα στρατὸν
> Ἀριμασπὸν, ἱπποβάμον᾽, οἳ χρυσόρρυτον
> Οἰκοῦσιν ἀμφὶ νᾶμα Πλούτωνος πόρου.

Sic Solino Arimaſpi, *unocula gens eſt*. Unoculi, Latinis coclites, Unde jocus Plautinus in Curculione:

> *Unocule, ſalve*. Cur. *quæſo, derides ne me?*
> *De Coclitum proſapiâ te eſſe arbitror.*
> *Nam ii ſunt unoculi.*

Id Turnebus non de Romanorum Coclitum familiâ; ſed de Arimaſpis dictum intelligebat · quod ego tamen non cenſeo. Exiſtimo enim, Lyconem illum Plautinum vim vocis ſimpliciter attendiſſe, quippe quòd cocles Romanis idem eſſet atque unoculus; ideoque

Cur-

Digitized by Google

Curculionem unoculum, tanquam de Coclitum proſapiâ, ſcurriliter deriſiſſe; itaque ad Horatium illum Coclitem lepidè alluſiſſe. Pervulgatum illud Plinii: *Qui altero lumine orbi naſcerentur, Coclites vocabantur; qui parvis utriſque, Ocellæ; Luſcini injuriæ cognomen habuerunt*. Nec opus erat, Lyconem ad Arimaſpos reſpicere. Subjungitur ratio, cur Æſchylus Arimaſpos μονῶπας nuncupaverit, διοτι τοξικώτατοι ὄντες, ἐπιμύουσι τὸν ἕτερον ὀφθαλμὸν, διὰ τὸ πρὸς τὴν βολὴν εὔστοχον. Contra atque ab eadem cauſsâ tradit Plinius Niſitas, Æthiopiæ popolos, appellatos: *quod ſignificat*, inquit, *ternûm & quaternûm oculorum viros: non quia ſic ſint; ſed quia ſagittis præcipuâ contemplatione utantur*. Inde verò ductum Scythicè nomen Arimaſporum· ἀρὶ μὲν γὰρ τὸ ἕν, Σκυθιστὶ, μασπὸς δὲ, ὁ ὀφθαλμός. Scholiaſta Æſchyli, editus a Stanlejo, ad Prometheum: Ἀριμασποὶ καλοῦνται διὰ τὸ ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχειν· ἄρι γὰρ, κατὰ γλῶσσαν, τὸ ἕν, καὶ μασπὸς ὁ ὀφθαλμὸς, καὶ αὐτὸ κατὰ γλῶσσαν. Paullò tamen aliter Herodotus in Melpomene: καὶ οὐνομάζομεν αὐτοὺς Σκυθιστὶ Ἀριμασπούς· ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι Σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. Matthæus Palmerius, qui Herodotum vertit Latinè, videtur hîc in Herodoto ſuo legiſſe Ἀριμάσπας, non Ἀριμασποὺς· ſcribit nanque *Arimaſpas*. Eoſdem Ἀριμάσπας vocat Orpheus in Argonauticis. Pomponius Mela: *Hominum primi ſunt Scythæ, Scytharumque, queis ſinguli oculi eſſe dicuntur, Arimaſpæ*· ubi tamen alii legunt *Arimaſpi*.

CAPUT XIV.

Gryphes, cuſtodes auri. Arimaſporum cum gryphis pugnæ. Solinus contra Salmaſium defenſus. Lapides, guttis auri notati, eruti a gryphis. Smaragdi in aurifodinis. Solini peccatum. Gryphi in rebus Indiæ fabuloſis. Iidem malè adſcripti Æthiopiæ. Loquendi genus & Plinii & aliorum in partitionibus illuſtratum. Valerii locus reſtitutus. Pegaſi auribus equinis in Æthiopiâ. Hyperborei ſi ſunt, eſſe & Hypernotios, *argumentum Herodoti. Hyperborei qui eſſe dicantur. Hyperborei verè οἱ βορειότατοι. Virgilius explicatus, & contra doctos viros defenſus. Servius reprehenſus. Abaris ille Hyperboreus.*

 Hera-

Digitized by Google

Heraclidis de eo commentarius. Riphæi montes ſupra Arimaſpos. Hyperborei ultra Riphæos montes. Olen Lycius, Poeta vetuſtiſſimus. Nivem nunquam in Riphæis montibus deficere.

SUPRA Arimaſpos, quos diximus, Gryphes, auri cuſtodes. Ἱστορεῖ δὲ Ἡρόδοτος καὶ τοὺς χρυσοφύλακας Γρῦπας ἀνωτέρω τῶν Ἀριμασπῶν οἰκεῖν. Herodotus in Melpomene: Ἰσσηδόνων ὑπεροικέειν Ἀριμασποὺς, ἄνδρας μουνοφθάλμους. ὑπερ δὲ τουτέων, τοὺς χρυσοφύλακας γρῦπας· τουτέων δὲ, τοὺς Ὑπερβορέους, κατήκοντας ἐπὶ θάλασσαν. Arimaſporum cum gryphis, auri cauſsâ, pugnas pleniùs deſcripſerat in Arimaſpeis Ariſteas ille Proconneſius, ex quo hæc Pauſanias in Atticis: Τούτους τοὺς γρῦπας ἐν τοῖς ἔπεσιν Ἀριστέας ὁ Προκοννήσιος μάχεσθαι περὶ τοῦ χρυσοῦ φησιν Ἀριμασποῖς ὑπὲρ Ἰσσηδόνων· τὸν δὲ χρυσὸν, ὃν φυλάσσουσιν οἱ γρῦπες, ἀνιέναι τὴν γῆν· εἶναι δὲ Ἀριμασποὺς μὲν ἄνδρας μονοφθάλμους πάντας ἐκ γενετῆς. Et Plinius lib. 7. cap. 2. *Arimaſpi, quos diximus, uno oculo in fronte media inſignes: quibus aſſiduè bellum eſſe circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgò traditur, eruente ex cuniculis aurum, mirâ cupiditate & feris cuſtodientibus & Arimaſpis rapientibus, multi, ſed maxime illuſtres, Herodotus & Ariſteas Proconneſius, ſcribunt.* De his Arimaſporum pugnis cum gryphis nonnihil etiam tetigerat Herodotus in Thaliâ: Πρὸς δὲ ἄρκτου τῆς Εὐρώπης πολλῷ πλεῖστος χρυσὸς φαίνεται ἐών. ὅκως μὲν γινόμενος, οὐκ ἔχω οὐδὲ τοῦτο ἀτρεκέως εἶπαι· λέγεται δὲ ὑπὲρ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμασποὺς, ἄνδρας μουνοφθάλμους. Solinus cap. 5. *In Aſiaticâ Scythiâ terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen. Nam, quum auro & gemmis affluant, grypes tenent univerſa, alites ferociſſimæ, & ultra omnem rabiem ſævientes: quarum immanitate obſiſtente, ad venas divites acceſſus difficilis ac rarus eſt. Quippe viſos diſcerpunt, velut geniti ad plectendam avaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant, ut intercipiant lapides, quorum non aſpernabimur perſequi qualitatem.* Agit deinde Solinus de ſmaragdis, & cyaneis, ac cryſtallo. Nec malæ penitus fidei damnandus erat a Salmaſio Solinus, perinde quaſi id, quod ait de Arimaſpis dimi-

can-

cantibus cum gryphibus, ut lapides intercipiant, ipſe ſibi finxiſſet, locum ut hîc ſibi faceret tractandi de lapidibus. Nec enim, inquit Salmaſius, Arimaſpi cum grypibus dimicant; ut intercipiant lapides; ſed aurum ut rapiant, quod ſervant grypes *χρυσοφύλακες*. Atqui aurum, quod gryphes effodiunt, lapides ſunt, iique guttis auri, veluti ſcintillis quibuſdam, notati. Philoſtratus de Vitâ Apollonii lib. 3. c. 48. *Ὃν δὲ ὀρύττουσι χρυσὸν οἱ γρῦπες, πέτραι εἰσὶν, οἷον σπινθῆρσιν, ἐστιγμέναι ταῖς τοῦ χρυσοῦ ῥανίσιν, ἃς λιθοτομεῖ τὸ θηρίον τοῦτο τοῦ ῥάμφους ἰσχύϊ*. Quales etiam lapides in aurifodinis Æthiopicis a robuſtioribus hominibus *τυπίσι σιδηραῖς*, inde ut aurum colligerent, cædebantur, Diodoro teſte lib 3. Non igitur exiſtimandus eſt Solinus ſibi temere omnino confinxiſſe, ſed Ab aliis accepiſſe id, quod ſcribit de lapidibus, quorum intercipiendorum cauſâ Arimaſpi in Scythiâ cum gryphibus decertarent. ab his lapidibus, ex quibus aurum colligebatur, occaſionem Solinus arripit agendi de lapidibus Scythicis, & primùm de Smaragdis. *Smaragdis*, inquit, *hic locus patria eſt*, nempe *Scythia*, quam dixerat, *Aſiatica*. Alibi autem ſcimus, Smaragdos in aurifodinis innaſci, ut de aurifodinis ad ſinum Arabicum Strabo teſtatur. In eo peccaſſe videtur Solinus, quòd gryphas nimis per Scythiam illam, quam Aſiaticam vocat, propagaverit, atque adeo ad Smaragdos ceteroſque lapides longè extenderit, quod de auro a gryphibus cuſtodito fabulabantur. Veruntamen Philoſtratus gryphas in Indiâ collocat, & quod Herodotus aliique Scriptores de Arimaſpis pugnantibus cum gryphis, id ipſum de Indis ex Cteſiâ refert Ælianus libro 4. De Animalibus cap. 27. Et gryphos quidem alii etiam tribuunt Indiæ, eoſque rebus Indiæ fabuloſis accenſet Arrianus libro quincto de Expeditione Alexandri. Sed non adſentior docto viro adſcribenti gryphas Æthiopiæ, ex verbis illis Plinii lib. 10. cap. 49. *Pegaſos equino capite volucres, & gryphas aurita aduncitate roſtri, fabuloſos reor: illos in Scythia, hos in Æthiopiâ*. Non percepit vir doctus genus hoc loquendi Plinianum, quale eſt etiam aliorum veterum Scriptorum, ut pronomen *ille* in partitionibus de propinquiori; *hic* de remotiori accipiatur · cujuſmodi planè illud Salluſtii de Bello Jugurthino: *Interim, Romanis omnibus, hoſtibuſque prælio intentis, magnâ vi utrinque, pro glo-*

gloriâ atque imperio his, illis pro ſalute certantibus, repente a tergo ſigna canere· & Val. Maximus lib. 5. cap 8. *Brutus, par gloria Romulo, quia ille Urbem, hic libertatem Romanam condidit*· & Quinctiliani lib. 10. c. 2. *Quo fit, ut minùs ſanguinis ac virium declamationes habeant, quàm orationes: quòd in illis vera, in his aſſimulata materia eſt*. Quibus hoc conſtruendæ orationis genus diſplicebat, mutaverant illud Valerii, & fecerant: *Par Romulo gloria L. Brutus*. Sic igitur & Plinius in illo loquendi genere, *illos in Scythiâ*, intelligit *gryphas*, quos proximè dixerat; *hos in Æthiopiâ*, quos priùs nominaverat, *Pegaſos equino capite volucres*. Pomponius Mela lib. 2. c. 1. de de Scythiâ Europeâ: *Deinde eſt regio ditis admodum ſoli, inhabitabilis tamen: quia gryphi, ſævum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egeſtum mirè amant, mirèque cuſtodiunt, & ſunt infeſti attingentibus*. Et lib. 3. cap. 9. de Æthiopiâ: *ſunt miræ aves cornutæ Tragopanes, & equinis auribus Pegaſi*. Hinc etiam Solinus gryphas Scythiæ, Pegaſos vindicat Æthiopiæ: niſi quòd Solinus Scythiam illam vocat, ut diximus, Aſiaticam. Supra Gryphas Hyperborei: de quibus ex Herodoto Euſtathius notat, ὅτι ὥσπερ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι, οὕτω καὶ Ὑπερνότιοι. Herodotus autem non affirmat; ſed argumentatur in Melpomene, ſi ſunt Hyperborei, eſſe & alios Hipernotios: εἰ δέ εἰσί τινες Ὑπερβόρεοι ἄνθρωποι, εἰσὶ καὶ Ὑπερνότιοι ἄλλοι. De loco hoc & argumento Herodoti egregiè diſputat Strabo lib. 1. Peccaſſe autem in eo Herodotum ait, quòd Hyperboreos ipſe tales exiſtimaverit, quales a Poetis finguntur: παρ' οἷς ὁ βορέας οὐ πνεῖ· quum tamen Hyperborei revera dicendi ſint βορειότατοι. Hoc modo Hypernotii non ii fuerint, παρ' οἷς ὁ νότος οὐ πνεῖ, ſeu οἱ ὑπὲρ τὸν νότον, ſed οἱ νοτιώτατοι. Sic bene dixerit Virgilius:

Qualis Hyperboreis Aquilo cum denſus ab oris.

Argutiæ ſunt illæ docti viri, dictum id a Virgilio videri contra opinionem Græcorum, ipſamque vocabuli notionem, quaſi Hyperborei trans Aquilonem incolant. Oræ nanque Hyperboreæ Virgilio, αἱ βορειόταται. Sic eæ e Græcis explicandæ. Strabo: Ὑπερβορέους τοὺς βορειοτάτους φασὶ λέγεσθαι. Contra notionem ipſam vocabuli id potiùs eſt, quod ad Virgilium notat Servius, Hyperboreos mon-

tes

Digitized by Google

tes ſic dictos, *quòd ſupra, ideſt, ultra eos, ſlat boreas*. Hyperboreus, decantatus ille Abaris: ὁ Ἄβαρις ὁ ὑμνούμενος, Ὑπερβόρειος ἦν. Codices, meus & Monilianus, Ἄβαρις, προπαροξυτόνως. Herodotus: Τὸν γὰρ περὶ Ἀβάριος λόγον τοῦ λεγομένου εἶναι Ὑπερβορέου οὐ λέγω, λέγων, ὡς τὸν ὀϊστὸν περιέφερε κατὰ πᾶσαν τὴν γῆν, οὐδὲν σιτεόμενος. Multa olim veteres, & fabuloſa de hoc Abari, de quo etiam commentarium ſcripſerat Heraclides. Cognomentum ei Αἰθροβάτης, ὅτι ἄρα ὀϊστῷ τοῦ ἐν Ὑπερβορέοις Ἀπόλλωνος δορηθέντι αὐτῷ ἐποχούμενος, ποταμούς τε καὶ πελάγη καὶ τὰ ἄβατα διέβαινεν, ἀεροβατῶν τρόπον τινά, ut de eo ajunt Jamblichus & Porphyrius. Eundem in templis verſari conſueviſſe, neque quid unquam edere, aut bibere viſum fuiſſe, Jamblichus teſtatur. Euſebius in Chronicis Abarin refert ad Olympiadem quartam & quinquageſimam. Sed de tempore alii diſſentiunt. Hyperboreorum etiam montes Riphæi. Hi quidem montes ſupra Arimaſpos: τὰ ἄνω τῶν Ἀριμασπῶν Ῥιπαῖα ὄρη. Damaſtes ἐν τῷ περὶ ἐθνῶν. Ἄνω δ' Ἀριμασπῶν τὰ Ῥιπαῖα ὄρη, ἐξ ὧν τὸν βορέαν πνεῖν· χιόνα δ' αὐτὰ μήποτε ἐκλείπειν. Quòd ſi ex Riphæis montibus boreas, fuerint planè Hyperborei ii, qui ultra montes Riphæos. Homines eſſe quoſdam, qui ſupra boream ventum incolerent, primus verſibus mandavit Olen Lycius. Pauſanias lib.5. εἶναι δὲ ἀνθρώπους, οἳ ὑπὲρ τὸν ἄνεμον οἰκοῦσι τὸν βορέαν, πρῶτος μὲν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἀχαΐαν ἐποίησεν Ὠλὴν ὁ Λύκιος. Olenis hujus Lycii meminit Herodotus in Melpomene. At enim, qui ultra montes iſtos, ſi Deo placet, Riphæos, ii certè non ſupra boream, ſed maximè ad boream, ideoque βορειότατοι. Tales, qui verè ſunt Hyperborei. Proditum eſt, in montibus illis Riphæis nivem nunquam deficere: ἔνθα χιὼν οὐδέποτε ἐπιλείπει. Ideo Virgilius:

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Ripæis nunquam viduata pruinis.

Glacies hyperboreas dicit Virgilius τὰς βορειοτάτας. Plinius lib.4. c.12. *Mox Riphæi montes & aſſiduo nivis caſu, pinnarum ſimilitudine, Pterophoros appellata regio: pars mundi damnata a rerum natura, & denſa merſa caligine: neque in alio, quàm rigoris opere, gelidiſque aquilonis conceptaculis.*

C A-

CAPUT XV.

Oceanus Hyperboreus. Appellationes variæ Oceani borealis, magno frigori cognatæ. Oceani borealis natura non bene quondam explorata. Unde Oceanus Cronius. Rejecta recentiorum opinio. Error Harduini. Χρόνος *Sarmatiæ fluvius. Rubo fluvius ſeſe effundens in ſinum Chilipenum. Rubeæ promontorium, unde Oceano Cronio initium. Oceani ſeptentrionalis aliæ alibi appellationes. Saturni ſtella frigida. Ei attributa in mare Boreale dominatio.* Ἀποτελεσματικοὶ, *Mathematici. Fabula de Saturni genitalibus projectis in Oceanum ſeptentrionalem, translata ad allegoriam a Porphyrio. Cronium etiam mare, Sinus Adriaticus, a Croniâ inſulâ. Cronia inſula, eadem atque Corcyra. Eadem olim* Δρεπάνη· *quæ & Lycophroni* Ἄρπη. *Drepanon, oppidum Siciliæ. Appellationis hujus ex fabulis ratio. Corcyræ ex Apollonio deſcriptio. Utrâ ex falce, an Saturni, an verò Jovis, Corcyra dicta Drepane. Aliis ita dicta a falce Cereris. Vera Drepanes, & Drepani etymologia a figurâ falcis. Icarium mare ab Icariâ inſulâ. Orientis periphraſis. Occidentis ſimul & Orientis periphraſis Homerica. Oceanus ad Orientem, Dionyſio Eous & Indicus. Aliis Eous, alius ab Indico. Oceanus Indicus a meridie.* Ἠὼς *ſæpe de Oriente.* Ἠὼς, λέξις πολυσήμαντος. *Homerus illuſtratus.*

HINC ut ad Oceanum variaque ejus nomina redeamus, ὠκεανὸς πεπηγὼς τε καλεῖται, καὶ Κρόνιος, καὶ νεκρός. Agathemerus: Ὁ μὲν γὰρ ὑπὸ τοῖς ἄρκτοις, πᾶς μὲν Ἀρκτικὸς καὶ Βόρειος λέγεται· ἤδη δὲ αὐτοῦ τὸ μὲν ἀνατολικώτερον Σκυθικὸς Ὠκεανὸς, τὸ δὲ δυτικώτερον Γερμανικός τε καὶ Βρεττανικὸς καλεῖται· ὁ δὲ αὐτὸς οὗτος σύμπας καὶ Κρόνιον πέλαγος, καὶ Πεπηγὸς, καὶ νεκρὸν ἐπονομάζεται. Idem etiam Oceanus Ptolemæo Ὑπερβόρειος. Et addit Codex Palatinus: ὁ αὐτὸς καλεῖται πεπηγὼς ὠκεανὸς, καὶ Κρόνιος, ἢ νεκρός. Solinus ex Plinio: *Oceanum ſeptentrionalem ex parte, qua a Paropamiſo amne Scythia alluitur, Hecatæus Amalchium* ap-

appellat, *quod gentis illius linguâ ſignificat congelatum*. *Philemon*, *a Cimbris ad promontorium Rubeas Morimaruſam dicit vocari*, *hoc eſt*, *Mortuum mare*. *Ultra Rubeas id*, *quidquid eſt*, *Cronium nominant*. Omnes hæ Oceani illius borealis appellationes permagno illi frigori convenientes atque cognatæ. Ψυχρὸς ὢν ὡς ἀληθῶς ὁ πόντος, καὶ διὰ τοῦτο κλήσεις αὐτῷ συγγενεῖς τῷ ἄγαν ψυχρότητι. Qualis eſt etiam appellatio maris concreti. Plinius: *A Thule unius diei navigatione mare concretum*, *a nonnullis Cronium appellatur* · itemque maris pigri. Solinus: *Ultra Thulen pigrum & concretum mare*. Piger Oceanus Priſciano in Periegeſi:

> *At boreæ qua gens fervens Arimaſpa ſub armis*,
> *Dicitur ille piger*.

Avienus:

> *Hic denſata ſali ſtant marmora*, *pigraque ponti*
> *Se natura tenet*.

Sed appellationes hujuſcemodi plerunque ortæ ex non bene illis temporibus exploratâ naturâ illius maris. Quis enim hodiernorum nautarum non re ipsâ falſum comperiat, quod Tacitus affirmat in Vitâ Agricolæ: *Mare pigrum*, *& grave remigantibus perhibent*, *ne ventis quidem proinde attolli*? Et De moribus Germanorum: *Trans Suionas aliud mare*, *pigrum ac propè immotum*. Quid autem ſit, quamobrem Oceanus idem Cronius vocetur, explicatur illis verbis: Κρόνιος δὲ καλεῖται, διὰ τὸ λέγεσθαι τῶν ἐκεῖ τόπων ἄρχειν τὸν ἀστέρα Κρόνου. Nugantur recentiores, qui Oceanum illum dictum ſuſpicantur Cronium, quaſi Gronium, quaſi ſcilicet a Gronlandiâ veteres Græci hanc Oceani borealis appellationem ſint mutuati, aut verò notitiam Gronlandiæ ullam habuerint. Contra Harduinus nugari ait veteres, qui ἀπὸ τοῦ Κρόνου, hoc eſt, a ſtellâ Saturni frigidâ, Oceani Cronii appellationem deducunt. Neque ipſe tamen aliquantò meliùs, aut etiam veriùs, nomen illud deducit ἀπὸ τοῦ Κρόνου ποταμοῦ, cujus in Sarmatiâ fluminis meminiſſe ait Ptolemæum lib. 3. cap. 5. Amnis ille, cujus in Sarmatiâ Ptolemæus meminit, non Κρόνος eſt; ſed Χρόνος · neque verò hic Chronus in Oceanum influit, quem veteres Cronium, ultra Rubeas promontorium, nominant; ſed in ſinum Venedicum. Venedico huic ſinui in ſinu magno Codano proximus eſt Chilipenus, in quem

Digitized by Google

quem Rubo ſeſe fluvius effundit. Unde facilè etiam perſpicere poterat Harduinus non poſſe Rubeis promontorio, quod ipſe Harduinus in extremâ Norvegiâ, ſeptentriones verſus, poſitum fatetur, undeque Oceanus Cronius incipit, nomen eſſe a Rubone hoc amne · quod tamen Harduinus ſuſpicatur. Totius quidem Oceani ſeptentrionalis videntur apud pleroſque fuiſſe appellationes illæ Cronii, Mortui, Congelati, ut apud Ptolemæum & Agathemerum. Verùm alii non totius illius Oceani appellationes eas generales ac communes eſſe voluerunt; ſed pro locis proprias ac peculiares, ut alibi aliter ſeptentrionalis idem Oceanus vocaretur. Sic ex Hecatæo, a Paropamiſo amne, qua idem ipſe Oceanus Scythiam alluit, appellatus eſt Congelatus; ex Philemone verò, a Cherſoneſo Cimbricâ ad Promontorium Rubeas, Mortuum mare; ultra Rubeas, Cronium. Viſus eſt autem Mathematicis in mare illud Boreale Saturnius dominari, quia frigidus: ὃς εἰς ψύξιν τίθεται, ψυχρὸς ἀπὸ τῶν ἀποτελεσματικῶν ἐκλαμβανόμενος. Henricus Stephanus mavult alteram lectionem, ἀποτελεσμάτων · ego ἀποτελεσματικῶν, quæ lectio codicum eſt, mei & Moniliani. Ἀποτελεσματικοὶ, Mathematici, qui τῶν ἀποτελεσμάτων ſcientiam profitentur; & ſcientia ipſa ἀποτελεσματική. Exiſtimant autem οἱ ἀποτελεσματικοὶ, Saturni ſtellam frigidam eſse, ejuſque eſse, refrigerare. Proclus Diadochus ex Ptolemæo: Ὁ δὲ Κρόνος ψύχει, καὶ ξηραίνει, ἐπειδὴ τῆς τε θερμασίας τῆς τοῦ Ἄρεος, καὶ τῶν ἀναθυμιάσεων τῆς γῆς πλεῖστον ἀπέχει· ἀλλὰ τὸ μὲν ψυχρὸν πλέον ἔχει, τὸ δὲ ξηρὸν μετριώτερον. At verò longè aliter fabula. Ὁ δὲ μῦθος καὶ τὰ τοῦ Κρόνου ἐκτεμὼν αἰδοῖα, ἐκεῖ ῥίπτει. Hac de fabulâ præclarè Porphyrius in Commentario de Antro Nympharum: Παρὰ δὲ τῷ Ὀρφεῖ ὁ Κρόνος μέλιτι ὑπὸ Διὸς ἐνεδρεύεται· πλησθεὶς γὰρ μέλιτος μεθύει, καὶ σκοτοῦται ὡς ἀπὸ οἴνου, καὶ ὑπνοῖ· ὡς παρὰ Πλάτωνι ὁ Πόρος τοῦ νέκταρος πλησθείς· οὔπω γὰρ οἶνος ἦν. Φησὶ γὰρ παρ' Ὀρφεῖ ἡ Νὺξ τῷ Διὶ, ὑποτιθεμένη τὸν διὰ μέλιτος δόλον·

Εὖτ' ἂν δή μιν ἴδηαι ὑπὸ δρυσὶν ὑψικόμοισιν
Ἔργοισιν μεθύοντα μελισσάων ἐριβόμβων,
Αὐτίκα μιν δῆσον.

ὃ καὶ πάσχει ὁ Κρόνος, καὶ δεθεὶς ἐκτέμνεται, ὡς Οὐρανός· τοῦ Θεολόγου δι' ἡδονῆς δεσμεῖσθαι, καὶ κατάγεσθαι τὰ θεῖα εἰς γένεσιν αἰνι-

αἰνισσομένου, ἀποσπερματίζειν τε δυνάμεις, εἰς ἡδονὴν ἐκλυθέντα. ὅθεν ἐπιμυθίζει μὲν συνουσίας τὸν Οὐρανὸν κατιόντα εἰς γῆν ἐκτέμνει Κρόνος· ταυτὸν δὲ τῇ ἐκ συνουσίας ἡδονῇ παρίσταται αὐτοῖς ἡ τοῦ μέλιτος· ἀφ' οὗ δολωθεὶς ὁ Κρόνος ἐκτέμνεται. Sic ex theologiâ gentium pulchrè ad allegoriam a Porphyrio tranſlata fabella hæc de abſciſſis ab Jove Saturno patri genitalibus. Hæc Euſtathius projecta dicit in Oceanum Septentrionalem, quæ alii in mare Jonium. Nam & pars, ſeu ſinus maris Jonii, mare Cronium. *Παρὰ δέ γε Ἀπολλωνίῳ τῷ Ποιητῇ εὕρηται Κρονία λεγομένη θάλασσα*. Sinus Adriaticus maris Jonii, mare Cronium Apollonio lib. 4. Argonautic. in illo verſu:

Δή ῥα τότε Κρονίην Κόλχοι ἅλα δ' ἐκπρομολόντες.

Scholiaſta: *τὴν Ἀδρίαν φησί*. Scholiaſta antiquus Æſchyli ad Prometheum: *καὶ Ἀπολλώνιος Κρονίην ἅλα τὸν Ἰόνιον (κόλπον) φησίν· οὕτω γὰρ ἐκαλεῖτο*. Iſaacius Tzetzes ad Lycophronem: *πρότερον γὰρ Κρόνιος, καὶ Ῥέας κόλπος ἐλέγετο· εἶτα Ἰόνιος οὗτος ἐκλήθη*. Mare hoc Cronium appellatum Euſtathius ait a Croniâ inſulâ: *καὶ ὁ μυχὸς τοῦ Ἰονίου κόλπου ἀπὸ νήσου τινὸς Κρονίας καλουμένης τὴν τοιαύτην κλῆσιν λαχών*. Hæc autem inſula Cronia, eadem mihi eſſe videtur, atque Corcyra, quæ & Phæacia, & Scheria; quæ etiam dicta olim fuit Drepane *ἀπὸ τῆς δρεπάνης*, *a falce*, qua reſecta fuerunt virilia Saturno. Quare etiam Lycophron eandem inſulam *Ἅρπην* vocat:

νῆσον δ' εἰς Κρόνου στυγουμένην
Ἅρπην περάσας, μειζόνων κρεανόμον.

Tzetzes: *τὴν Φαιακίαν νῆσον, τὴν Κέρκυραν, ἐν ᾗ ἦν κεχωσμένον τὸ δρέπανον ἐν ᾧ ὁ Ζεὺς Κρόνον ἐξέτεμε*. Fuit etiam Drepanon oppidum Siciliæ, idem quoque ſic vocatum *ἀπὸ τοῦ δρεπάνου*, *a falce*, Saturni. Sed Tzetzes ad Lycophronem inter Drepanum, ſeu Drepanen, inſulam, & Drepanum, Siciliæ oppidum, ita diſtinguit, ut Drepane inſula id nominis habuerit a falce, qua Juppiter Saturnum exſecuit; Drepanum oppidum a falce, qua Saturnus ipſe pudenda Cœlo amputavit. Tzetzes: *Ἔστι δὲ Σικελικὸν χωρίον Δρέπανον καλούμενον, ἀπὸ τοῦ κεκρύφθαι ἐκεῖ τὸ δρέπανον, μεθ' οὗ Κρόνος ἀπέτεμεν Οὐρανοῦ τὰ παιδογόνα*· quam etiam appellationis rationem de oppido Siciliæ Drepano memorat Servius

ad Virgilium: *quòd Saturnus poſt amputata virilia Cælo patri, illuc falcem projecit, quæ drepanon dicitur Græcè*. Volunt tamen alii, Drapanen quoque inſulam dictam a falce hac οὐρανοτόμῳ atque his favere videtur Apollonius. Deſcribitur Apollonio Corcyra.

πορθμοῖο παροιτέρη Ἰονίοιο,
Ἀμφιλαφὴς, πίειρα, Κεραυνίῃ, εἰν ἁλὶ νῆσος,
Ἧι ὕπο δὴ κεῖσθαι δρέπανον φάτις. ἵλατε, Μοῦσαι.
Οὐκ ἐθέλων ἐνέπω προτέρων ἔπος. ᾧ ἄπο πατρὸς
Μήδεα νηλειῶς ἔταμε Κρόνος.

Utrâ ex falce, an qua Cœlum Saturnus, an verò qua Saturnum Juppiter exſecuit, Corcyra inſula dicta ſit Drepane, in dubio reliquit Timæus. Utrumque enim erat in fabulis, tum Saturnum Cœlo patri, tum Saturno patri Jovem genitalia abſcidiſſe. Inde igitur Drepanen hanc inſulam, ſeu Corcyram, Croniam intelligo, quæ mari Jonio, ſeu Adriatico, nomen Cronio impoſuerit. Alii Drepanes inſulæ etymologiam petunt a falce Cereris. Mihi verò neceſſe aliquando eſt Græcas fabellas conſectari, ut, quando omnia ferè jam Græci fabulis repleverunt, quæ ex fabulis fuerit appellandorum ſæpe locorum ratio, oſtendam. Neque enim ſum neſcius, tum Drepanen inſulam, tum Drepanon, oppidum Siciliæ, id nominis accepiſſe a figurâ τοῦ δρεπάνου, quam referebant: quod vel ipſis quidem fabellis Græci Sapientes viri adumbrarunt. Sic autem a Croniâ inſulâ dictum volunt Cronium illud mare, ὡς καὶ ἀπὸ Ἰκάρου τινὸς νήσου, κατα τινας, τὸ Ἰκάριον λεγόμενον πέλαγος. Strabo lib. 14. Παράκειται δὲ τῇ Σάμῳ νῆσος ἡ Ἰκαρία, ἀφ᾽ ἧς τὸ Ἰκάριον πέλαγος. Alia Oceani ad Orientem nomina: quæ ut doceat Dionyſius, Orientem περιφράζει, ὅπου πρώτιστα φαείνεται ἀνθρώποις ἥλιος. Periphraſis Orientis eſt & illa interpretum, Feſti Avieni:

Aſt qua prima dies rutilo ſuſtollitur ortu,
Aureus & tremulas latè rubor inficit undas.

Et Priſciani:

Unde tamen primo conſcendit lumine Titan.

Occidentis ſimul & Orientis periphraſis Homerica: ὅπη ζόφος, ὅπη ἠὼς, ὅπη ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ᾽ ὑπὸ γαῖαν, ὅπη ἀννεῖται· hoc eſt, ὅπου δύσις, ὅπου ἀνατολή. Immo & periphraſis ſimul hæc eſt Septentrionum, atque Meridiei, atque adeo quatuor ſimul cardi-

di-

dinum, ſeu plagarum Mundi, τ͂ τεσσάρων κλιμάτων, ſi eos audimus, qui ἠῶ hîc apud Homerum τὸ νότιον μέρος, ζόφον verò τὸ ἀρκτικὸν μέρος, accipiunt · qua de re Strabo lib. 10. Nos enim Euſtathio adhæremus. Oceanus igitur ad Orientem, Dionyſio Eous & Indicus: ἔνθα καὶ τ͂ ἠῷον, καὶ τ͂ Ἰνδικὸν εἶναί φησιν ὠκεανόν. Agathemerus: τὸ μὲν κατ᾽ ἀνατολὰς Ἑῷον πέλαγος καὶ Ἰνδικὸς ὠκεανός. Verùm aliis Oceanus Eous, alius eſt ab Indico. Mela lib. 1. c. 2. *Eous ab Oriente, a Meridie Indicus.* Plinius lib. 5. c. 13. *Tribus hic e partibus cœli alluens Aſiam: Scythicus a Septentrione, ab Oriente Eous, a Meridie Indicus vocatur, variéque per ſinus & accolas in complura nomina dividitur.* Sic Ptolemæo *Indicum pelagus*, quod eſt ad Meridiem. Oceanus porro ad Orientem, dictus Eous, quia ἠὼς ſæpe dicitur de Oriente: ἠὼς γὰρ πολλάκις καὶ ἡ ἀνατολή · ut apud Homerum lib. μ´ Iliad.

Εἴτ᾽ ἐπὶ δεξί᾽ ἴωσι πρὸς ἠῶ τ᾽ ἠέλιόν τε,
Εἴτ᾽ ἐπ᾽ ἀριστερὰ τοί γε, ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

Vetus Scholiaſta ad hunc locum: Δεξιὰ, τὰ ἀνατολικὰ καλεῖ · ἀριστερὰ δὲ, τὰ δυτικά. Πρὸς ἠῶ, πρὸς ἀνατολήν. Huic ipſi explicationi adjungit ibidem alteram Euſtathius; ſed tamen ita, ut ἠῶ καὶ ζόφον utrobique exponat ἀνατολὴν, καὶ δύσιν. Et lib. κ´ Odyſſ.

Ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ᾽ ἴδμεν, ὅπη ζόφος, οὐδ᾽ ὅπη ἠώς.

Scholiaſta: Οὐ γὰρ ἴσμεν, ὅπου δύσις, ἢ ὅπου ἀνατολή. Euſtathius: ἔνθα ζόφον μὲν τὴν δύσιν εἰπὼν, ἠῶ δὲ τὴν ἀνατολὴν, ἡρμήνευσε τὰς λέξεις εὐθὺς πλατύτερον. Siquidem ἠὼς, λέξις πολυσήμαντος, atque inter alia ſignificat τ͂ τόπον, ὅθεν ἀνατέλλει ὁ ἥλιος · quemadmodum in loco hoc Homerico accipiendam eſſe hanc vocem, docuit Ariſtarchus. Et ſic ſæpe ἕως ἀντὶ τ͂ ἀνατολῆς. Strabo lib. 16. ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν ἅμα, καὶ τὴν ἕω. Unde ἑῷος, ὁ ἀνατολικός. Juvenalis:

Omnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus uſque
Auroram & Gangem.

Uſque auroram, μέχρι τ͂ ἕω, μέχει τ͂ ἀνατολῆς, *uſque ad Orientem.*

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Oceanus ad meridiem Dionyſio, Erythræus atque Æthiopicus. Erythræi atque Æthiopici Occani differentia. Erythræum idem & Rubrum mare, aliud a ſinu Arabico. Arabiæ τῆς εὐδαίμονος latus Orientale, ſinus Perſicus; Occidentale ſinus Arabicus; Auſtrale, Rubrum mare. Rubrum mare Peſidi ad Meridiem. Sinus Arabicus effuſus e mari Rubro. Mare Rubrum etiam ſinus Perſicus. Mare Rubrum quo ſenſu geminum dictum a Plinio. Irrumpere τὸ ἐσέχειν. Ἐρυθρὰ θάλασσα. *Mare* Erythræum *ab* ἐρυθρὰ· *ſive ab Erythra rege. Sinus quoque Arabicus ſpeciatim Erythræus· quod &* κατ᾽ ἐξοχὴν *Rubrum mare. Septuaginta Interpretes illuſtrati. Mare Rubrum, ſinus etiam Perſicus. Joſephus illuſtratus. Rubri maris ſinus duo, Arabicus & Perſicus. Iſraelitarum ex mari Rubro, in Palæſtinam tranſitus teſtatus Herodoto. Paullus Apoſtolus ad exemplum Septuaginta Interpretum locutus. Rubrum mare, ex uſu Sacrorum Scriptorum, dictum de ſinu duntaxat Arabico. Philoſtorgius illuſtratus atque emendatus. Maris Rubri ſinus duo, alter Clyſma, alter Aila.* Αἰλὰθ, *urbs divinis in libris memorata. Hieronymus defenſus. Palæſtinæ fines ad urbem Ailam. Urbs* Αἰλὰθ, *dicta etiam* Ἠλὰθ. *Unde ſinus Aelanniticus, ſeu Elaniticus. Alter ſinus, Clyſma, dictus etiam Heroopoliticus.*

OCEANUM Eoum atque Indicum excipit apud Dionyſium Oceanus Erythræus atque Æthiopicus: ὁ Ἐρυθραῖος πόντος, καὶ ὁ Αἰθιόπιος. Totus ille ad meridiem Oceanus, Auſtralis & Meridianus. Sed Erythræi, & Æthiopii aliqua eſt differentia. Nanque idem ipſe Oceanus auſtralis, qua propinquior eſt Orienti, mare eſt Erythræum; qua ad Occidentem tendit, Æthiopium. Agathemerus: Ὁ δὲ ὑπὸ τῇ Μεσημβρίᾳ, σύμπας μὲν καλεῖται μεσημβρινός τε καὶ νότιος Ὠκεανός. Πάλιν δ᾽ αὐτοῦ τὸ μὲν ἀνατολικώτερον, Ἐρυθρὰ θάλασσα· τὸ δὲ δυτικώτερον, Αἰθιοπικὸς Ὠκεανὸς προσαγορεύεται. Agathemero atque aliis, Rubrum dicitur mare,

Ἐρυ-

Ἐρυθρὰ θάλασσα, idem, quod Erythræum. Idque mare aliud omnino eſt a ſinu Arabico, atque extra ambos ſinus, Arabicum, & Perſicum, qui ex eo funduntur, a meridie. Euſtathius, ad mentem Dionyſii: ἕτερός ἐστιν (ὁ Ἐρυθραῖος πόντος) τοῦ Ἀῤῥαβικοῦ κόλπου, ὅς τῆς νοτίας θαλάσσης ἐστὶν ἀποχέτευμα, καθὰ καὶ ὁ Περσικός. Strabo lib. 16. ubi de Arabiâ τῇ εὐδαίμονι καλουμένῃ. Ταύτης δὲ τὸ μὲν προσάρκτιον πλευρὸν, ἡ λεχθεῖσα ἐστὶν ἔρημος· τὸ δ' ἑῷον, ὁ Περσικὸς κόλπος, τὸ δὲ ἑσπέριον, ὁ Ἀράβιος· τὸ δὲ νότιον, ἡ μεγάλη θάλαττα, ἡ ἔξω τῶν κόλπων ἀμφοῖν, ἣν ἅπασαν Ἐρυθρὰν καλοῦσι. Ptolemæus lib. 6. c. 7. Ἡ Εὐδαίμων Ἀραβία περιορίζεται, ἀπὸ μὲν ἄρκτων, ταῖς ἐκτεθειμέναις πλευραῖς μεσημβριναῖς τῆς τε Πετραίας, καὶ τῆς Ἐρήμου Ἀραβίας, καὶ τῷ νοτίῳ μέρει τοῦ Περσικοῦ κόλπου· ἀπὸ δὲ δύσεως, τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ· ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ· ἀπὸ δὲ ἀνατολῶν, μέρει τοῦ Περσικοῦ κόλπου, καὶ τῇ ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ, μέχρι τοῦ Συάγρου ἀκρωτηρίου, θαλάσσῃ. Et lib. 8. Tab. IV. Africæ: Περιορίζεται δὲ ὁ πίναξ, ἀπὸ μὲν ἀνατολῶν, Ἀραβίῳ κόλπῳ, καὶ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Pomponius Mela lib. 3. cap. 8. *Rubrum mare Græci, ſive quia ejus coloris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit*, Ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellant: procelloſum, aſperum, profundum, & magnorum animalium magis, quàm cetera, capax. Primò recedentes oras æquabiliter impellit, &, ut non intret interiùs, aliquantùm patens, ſinus arcuat. Sed quas ripas inflexerit, bis irrumpit, duoſque iterum ſinus aperit. Perſicus vocâtur, dictis regionibus propior; Arabicus ulterior*. Marcianus Heracleota in Periplo: μετὰ δὲ τὸ στόμα τοῦ Ἀραβίου κόλπου ἑξῆς ἐστὶν ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα· & rurſus: μετὰ δὲ τὰ στενὰ τοῦ Ἀραβίου κόλπου ἐκδέχεται ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα. Quanquam Marcianus Rubrum mare non longè in orientem, aut certè in ſinum Perſicum, protraxerit; ſed huic mari ſtatim poſt Homeritas ſuccedere fecerit Indicum: quod Indicum quidem mare Marcianus ipſe ponit ad meridiem. Agathemerus: Τοῦ δὲ Ἰνδικοῦ πελάγους ἔχεται τὸ Καρμάνιον, προϊὸν ὡς ἐπὶ δύσεις. Τούτου δὲ ἡ Ἐρυθρὰ θάλασσα ὡς περὶ τὰς συμβολὰς κατὰ τοῦ Περσικοῦ κόλπου στόμα κεῖται. Et Rubrum verè mare Perſidi ad meridiem. Herodotus in Melpomene: Πέρσαι οἰκέουσι κατήκοντες ἐπὶ τὴν νοτίην θάλασσαν, τὴν Ἐρυθρὴν καλεο-

καλεομένην. Et paullò poſt: Ἡ δὲ δὴ ἑτέρη (ἡ ἀκτὴ), ἀπὸ Περσέων ἀρξαμένη, παρατέταται ἐς τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν. Supra in Euterpe Herodotus dixerat, ſinum maris Arabicum erumpere atque effundi ex mari Rubro: Ἔστι δὲ τῆς Ἀραβίης χώρης, Αἰγύπτου δὲ οὐ πρόσω, κόλπος θαλάσσης ἐσέχων ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης. Arrianus in Indicis: παρέπλωσεν (Νέαρχος) ἀπὸ τοῦ Ἰνδοῦ τῶν ἐκβολέων ὁρμηθεὶς, καὶ τὴν θάλασσαν τὴν μεγάλην ἐς τε ἐπὶ τὸν κόλπον τὸν Περσικὸν, ἣν δὴ Ἐρυθρὴν θάλασσαν μετεξέτεροι καλέουσι. Suidas: Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη ὁ Περσικὸς κόλπος. Plinius lib.6. c.36. *Perſæ Rubrum mare ſemper accoluere, propter quod is ſinus Perſicus vocatur.* Unde a duplici maris Rubri ſinu, Perſico atque Arabico, mare ipſum *geminum* ſupra Plinius vocaverat, eodem libro cap. 23. *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod Rubrum dixere noſtri, Græci Erythræum, a rege Erythrâ, aut, ut alii, Solis repercuſſu talem reddi colorem exiſtimantes.* Geminum mare in terras irrumpere id ipſum Plinio eſt, quod de uno & eodem mari Rubro Mela dicit, bis id mare irrumpere. Solinus: *Irrumpit hæc littora Rubrum mare, idque in duos ſinus ſcinditur*. Eſt hîc irrumpere τὸ ἐσέχειν· quo verbo ad hanc ipſam rem exprimendam Herodotus utitur. Dicunt autem Latini Rubrum mare, quam Græci Ἐρυθρὰν θάλασσαν. Inde ab Ἐρυθρὰ, τὸ ἐθνικὸν, Ἐρυθραῖος, καὶ Ἐρυθραία, καὶ Ἐρυθραῖον, ut docet Stephanus. Hinc Latini bene dixerint mare Erythræum. Sed & eſt Ἐρύθρας rex, & ἀπὸ τοῦ Ἐρύθρα τὸ Ἐρυθραῖος. Atque hinc etiam, ab Erythrâ nimirum rege, facilè dictum fuerit mare Erythræum. Solinus cap.33. *Ad Rubrum pertinens mare, quod Erythræum ab Erythrâ rege, Perſei, & Andromedæ filio, non ſolùm a colore appellatum Varro dicit.* Atque hæc quidem de mari Erythræo, ſecundùm Dionyſium. Ἕτεροι δὲ, τὸν Ἀῤῥαβικὸν κόλπον, καὶ τὸν Ἐρυθραῖον ταυτίζοντες, ἱστοροῦσιν, ὅτι ὁ Ἐρυθραῖος κόλπος, ποταμοῦ δίκην στενός ἐστιν. Hi nimirum, qui Erythræi, ſeu Rubri maris nomine non Oceanum donant, quem diximus, auſtralem; ſed ſinum ſpeciatim Arabicum. Certè quidem Erythræum, ſeu Rubrum mare, ſinum alii Arabicum κατ' ἐξοχὴν intelligunt. In his adnumerandus videtur alicubi Plinius. Nam lib.6. cap.28. ubi ſic ait de Arabia: *Ipſa verò peninſula*

Ara-

Arabia inter duo maria, Rubrum Perſicumque percurrens; Rubrum certè mare, ſinum dicit Arabicum, inter quem & ſinum Perſicum Arabia peninſula procurrit. Et Rubrum ſanè dicit ad differentiam Perſici· quomodo etiam *θάλασσαν τὴν Ἐρυθρὰν*, reſtrictâ ad ſinum Arabicum Rubri maris appellatione, uſurpaſſe videntur Interpretes Septuaginta. Niſi forte ſeptuaginta illi interpretes ſinum quoque Arabicum, veluti partem maris Rubri, de totius nomine, *Ἐρυθρὰν θάλασσαν* vocaverint· qua quidem ratione videtur Joſephus Arabicum ſinum maris Rubri nomine appellaſſe, Antiq. Judaic. lib. 2. c. 15. *εἰς Βελσεφῶντα χωρίον τριταῖοι παραγίνονται τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης*. Nam Rubrum quidem mare dicit etiam Joſephus ſinum Perſicum, in quem flumina magna duo, Euphrates & Tigris, effunduntur, ut perſpicuum eſt ex his ejus verbis lib. 1. c. 1. *Εὐφράτης δὲ καὶ Τίγρις ἐπὶ τὴν Ἐρυθρὰν ἀπίασι θάλασσαν*. Quem Joſephi locum citat Euſebius libro de Locis Hebraicis: *Τίγρις, ποταμὸς ἀπὸ Παραδείσου ἐξιὼν, φερόμενος μὲν, ὡς ἡ Γραφὴ, κατέναντι Ἀσσυρίων, ἐκπίπτων δὲ ἐπὶ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν, ὥς φησιν Ἰώσηππος*. ita ut Joſephus, ſimiliter atque alii Scriptores Græci, Rubrum mare intelligendum velit Oceanum auſtralem, cujus ſint ſinus illi duo, Arabicus & Perſicus, uterque etiam Rubri maris appellatione inſignitus. Et ſic etiam Rubrum mare accipit Herodotus: qui, quum ſinum Arabicum a mari Rubro auſtrali, cujus eſt ſinus, ſuâ ac propriâ Arabici appellatione ſecernere videatur, ut in Euterpe: *τῇ δὴ ἐλάχιστόν ἐστι καὶ συντομώτατον ἐκ τῆς Βορηίης θαλάσσης ὑπερβῆναι ἐς τὴν Νοτίην, καὶ τὴν Ἐρυθρὴν τὴν αὐτὴν ταύτην καλεομένην, ἀπὸ τοῦ Κασίου οὔρεος τοῦ οὐρίζοντος Αἴγυπτόν τε καὶ Συρίην, ἀπὸ τούτου εἰσὶ στάδιοι χίλιοι ἐς τὸν Ἀράβιον κόλπον*. & rurſus: *καὶ τριήρεες αἱ μὲν, ἐπὶ τῇ Βορηίῃ θαλάσσῃ ἐποιήθησαν, αἱ δ' ἐν τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ, ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ*· tamen ipſum quoque hunc ſinum, mare Rubrum nuncupat, tum alibi, tum etiam in Polymniâ, eo loci, quo Iſraelitis ex mari Rubro in Palæſtinam tranſgreſſis luculentum teſtimonium tribuiſſe viſus eſt illis verbis: *οὗτοι δὲ οἱ Φοίνικες τὸ παλαιὸν οἴκεον, ὡς αὐτοὶ λέγουσι, ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσῃ· ἐνθεῦτεν δὲ ὑπερβάντες τῆς Συρίης οἰκέουσι τὸ παρὰ θάλασσαν. Τὸ δὲ Συρίης τοῦτο τὸ χωρίον καὶ τὸ μέχρι Αἰγύπτου πᾶν, Παλαιστίνη καλέεται*. Sic

igi-

igitur videri poſſunt Interpretes Septuaginta Rubrum mare uſurpaſſe; atque adeo, qui ad interpretum illorum exemplum locutus eſt, Paullus Apoſtolus in epiſtolâ ad Hebræos, ubi ſic ait: *Πίστει, διέβησαν τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν ὡς διὰ ξηρᾶς*. Inde tamen uſus, certè quidem apud rerum noſtrarum Scriptores, qui ſacram illam hiſtoriam attingunt, obtinuit, ut Rubri maris nomine ſinus duntaxat Arabicus, ad ceteri maris diſtinctionem, cenſeretur. Philoſtorgius lib. 3. c. 6. *οἳ (Αἰθίοπες οἱ Αὐξουμῖται) κατὰ τὰς πρώτας ὄχθας κατῴκηνται τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, ἣν ὁ ταύτῃ ὠκεανὸς εἰσκολπιζόμενος ἐργάζεται πᾶσαν· ἡ μέν τοι Ἐρυθρὰ ἐπὶ πλεῖστον μηκυνομένη εἰς δύο τινὰς ἀπομερίζεται κόλπους. καὶ τὸ μὲν αὐτῆς ἐπ' Αἰγύπτου χωρεῖ, Κλύσμα, καθ' ὃ τελευτᾷ τὸ ἐπώνυμον φέρον· δι' οὗ πάλαι καὶ τὸ Ἰσραηλιτικὸν φεύγοντες τοὺς Αἰγυπτίους, ἀβρόχῳ τὸ ῥεῖθρον διεπεραιώθησαν ποδί· τὸ δὲ ἕτερον μέρος ἐπὶ Παλαιστίνης ἔρχεται κατὰ πόλιν Ἀειλὰ ἐκ παλαιοῦ καλουμένην*. Mare hîc Rubrum Philoſtorgius palam diſtinguit ab Oceano, idque mare in ſinus duos diviſum facit, alterum, Ægyptum verſùs, quem quidem ſinum cognominatum ait Clyſma; alterum, Palæſtinam verſus, ad *Ἀϊλὰ* urbem, quæ ſic antiquitus vocabatur. Videntur eſſe *τὰ Ἀϊλὰ*, pariter atque *τὰ Ἀίλανα*, ſeu *Αἴλανα*, aut *Ἔλανα*, ut alii quidem vocant. Malè in libris editis Philoſtorgii, atque etiam Nicephori Callixti, *Ἀειλά*. Scribendum utrobique *Ἀϊλά*. Eſt *Ἀϊλὰθ*, ſeu *Ἀϊλὰμ*, urbs antiquiſſima, divinis in libris memorata. Euſebius de Locis Hebraicis: *Ἀϊλὰθ, ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς ἐσχάτης θαλάσσης ἐν τῇ Ἐδώμ. Ἀϊλὰμ, ἐν ἐσχάτοις ἐστὶ, παρακειμένη τῇ πρὸς μεσημβρίαν ἐρήμῳ, καὶ τῇ πρὸς αὐτὴν Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, πλωτὴ οὖσα τοῖς τε ἀπ' Αἰγύπτου περῶσι, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς. ἐγκάθηται δὲ αὐτόθι τάγμα Ῥωμαίων τὸ δέκατον. καλεῖται δὲ νῦν Ἀϊλά*. Epiphanius Hæreſi LXVI. *Ὁ μὲν εἷς (ὅρμος) ἐπὶ τὴν Ἀϊλὰν, ἥ τις ἐστὶν ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ Ἀϊλάθ*. Sic ibi ſcribendum. Eadem, retracto accentu, *Ἀίλα*. Et ab ipsâ hac urbe ſinus ille, *Ἀίλα*. Stephanus: *Τινὲς δὲ κόλπον Ἀίλα φασίν*. Hîc legunt alii *Ἀίλαν*· ut apud Strabonem lib. 16. *Ἐντεῦθεν δ' ὑπέρβασις λέγεται χιλίων διακοσίων καὶ ἑξήκοντα σταδίων εἰς Ἀίλαν πόλιν ἐπὶ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀραβίου κόλπου κειμένην*. Citat Stephanus ex Glauco in Arabicis: *τὰ πρὸς ἕω τῆς Ἀίλας*. Hieronymum,

Digitized by Google

nymum, qui Euſebium de Locis Hebraicis non tam Latinè vertit, quàm interpolavit, vir doctus miratur, quòd urbem hanc *in extremis finibus Palæſtinæ* poſuerit, creditque ipſe, ab Hieronymo ſcriptum, *in extremis finibus Idumææ*. Equidem ab Hieronymo eſt, non ab Euſebio, illud de extremis finibus Palæſtinæ, quod Euſebius tantùm dixerat ἐν ἐσχάτοις. Sed tamen Hieronymum a peccato ἀπροσεξίας vir ille doctus facilè abſolviſſet, ſi Procopium quoque meminiſſet ad urbem uſque Ailam Palæſtinæ fines porrexiſſe lib. I. De Bello Perſico cap. 19. Τὰ Παλαιςίνης ὄρια πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ἐς θάλασσαν τὴν Ἐρυθρὰν καλουμένην διήκουσι· αὕτη δὲ ἡ θάλασσα ἐξ Ἰνδῶν ἀρχομένη, ἐνταῦθα τελευτᾷ τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς· καὶ πόλις Ἀΐλας καλουμένη πρὸς τῇ ταύτης ἠϊόνι ἐςὶν, ἔνθα ἡ θάλασσα, ὥσπερ μοι εἴρηται, ἀπολήγουσα, πορθμός τις ἐς ἄγαν ςενὸς γίνεται. Eadem quoque urbs Αἰλὰθ, & Ἡλάθ. Unde *Ælana*, & *Elana*; & ſinus *Ælaniticus*, ſeu *Elaniticus*. Sed, quemadmodum huic ſinui nomen eſt, ut diximus, Aila; ita & ſinus alter ab occaſu, ſeu ab Ægyptio maris Rubri latere, appellatus eſt Clyſma. Eſt ibi Clyſma φρούριον Ptolemæo, idem, quod Epiphanio Hæreſi LXVI. Κάςρον τοῦ Κλύσματος, & Κλύσμα Κάςρον Hierocli in Synecdemo. Et ab hoc Caſtro nomen ſinui Clyſma. Qui ſinus dictus eſt Ptolemæo Ἡρωοπολίτης, Plinio *Heroopoliticus*, ab Heroopoli, ſeu oppido Heroum.

CAPUT XVII.

Arabici ſinus menſuræ. Sinus Arabici longitudo, & latitudo. Plinius illuſtratus. Anguſtiæ ad Diram. Agathemerus emendatus. Marcianus Heracleota reſtitutus. Latus ſinus Arabici Troglodyticum. Ptolemais ἡ ἐπὶ θήρας. *Quantum intervalli ab oppido Heroum ad urbem Ptolemaidem; atque inde ad fauces ſinus Arabici. Dictus idem ſinus & Erythræus. Cauſſæ hujus appellationis aliæ apud alios. Dictus Erythræus a rubro colore. Variè id explicatum. Uranii verba illuſtrata. Mare Rubrum dictum, ſecundùm alios,* διὰ τὸ πυροῦσθαι μάλιςα τῷ ἡλίῳ τὸ ἐκεῖ κλίμα. *Similis appellationis cauſſa rejecta ab*

Agatharchide. Zona torrida, Rubra vocitata. Æthiopum etymologia.

SINUS ille Arabicus ςενός ἐςι καὶ μακρὸς, ἐπὶ πολλὰς πάνυ ςαδίας, μέχρι τοῦ ςόματος, ςενοῦ καὶ αὐτοῦ παντάπασιν ὄντος. Pomponius Mela lib. 3. cap. 8. *Arabici & os arctius* (nimirum, quàm Perſici) *& latitudo minor eſt, major aliquantò receſſus, & multò magis longa latera.* Longitudinis & latitudinis menſuræ hæ apud Plinium lib. 6. cap. 29. *Timoſthenes totum ſinum quatridui navigatione in longitudinem taxavit, bidui in latitudinem, anguſtias* $\overline{\text{VII.}}$ *mill.* D. *paſſ. Eratoſthenes ab oſtio* $\overline{\text{XIII.}}$ *mill. in quamque partem. Artemidorus Arabiæ latere* $\overline{\text{XVII.}}$ *quinquaginta mill. Troglodytico verò,* $\overline{\text{XI.}}$ XXXVII. D. *paſſ. Ptolemaida uſque. Agrippa* $\overline{\text{XVII.}}$ XXII. *mill. paſſuum, ſine differentiis laterum. Plerique latitudinem* CCCCLXXV. *prodiderunt; fauceſque hiberno orienti obverſus, alii* VI. *mill. alii* VII. *mill. alii* XII. *mill. paſſuum patere.* Quo loci valde mihi mirum, Timoſthenem totum ſinum quatridui navigatione in longitudinem, bidui in latitudinem, taxaſſe: quando Herodotus, ſiquis remigatione utatur, ſinus Arabici longitudinem ab intimo receſſu uſque ad mare latum atque apertum, quadraginta dierum; latitudinem verò, ubi ſinus patet quàm latiſſimè, dimidiati diei navigatione dimetitur. Sic enim in Euterpe; μακρὸς οὕτω δή τι, καὶ ςενός, ὡς ἔρχομαι φράσων· μῆκος μὲν, πλόου ἀρξαμένῳ ἐκ μυχοῦ διεκπλῶσαι ἐς τὴν εὐρεῖαν θάλασσαν, ἡμέραι ἀναισιμοῦνται τεσσεράκοντα, εἰρεσίῃ χρεωμένῳ· εὖρος δὲ, τῇ εὐρύτατός ἐςι ὁ κόλπος, ἥμισυ ἡμέρης πλόου. De anguſtiarum menſurâ ſecutus ſum in Plinio ſcripturam codicis Chiffletiani, ut legerem VII. *mill.* non, ut erat in libris editis, IIII. *mill.* Et de hac menſurâ, VII. *mill.* D. *paſſ.* quæ eſt ſtadiorum ſexaginta, conſentiunt cum Timoſthene Strabo, Arrianus, Agathemerus. Arrianus in Periplo maris Rubri: αὐλὼν ἐςιν οὐ μακρὸς, ὁ συνάγων, καὶ εἰς ςενὸν ἀποκλείων τὸ πέλαγος· οὗ τὸ μεταξὺ ἑξήκοντα ςαδίων μεσολαβεῖ νῆσος ἡ Διοδώρου. Anguſtiæ illæ ad Deram, ſeu Diram, quæ promontorium eſt & urbs cognominis πρὸς τῇ Αἰθιοπίᾳ. Strabo: Τὰ δὲ κατὰ Δείρην ςενὰ συνάγεται εἰς ςαδίους ἑξήκοντα. Agathemerus.: Τὰ δὲ κατὰ Δείρην ςενὰ

ςα-

Digitized by Google

σταδίων ξ΄. De longitudine ejuſdem ſinus nihil planè definit Diodorus; ſed variat de latitudine: qui & oſtii & intimi receſſus anguſtias ad ſex & decem ſtadia reſtringit. Ὁ δὲ, inquit, προσαγορευόμενος Ἀράβιος κόλπος ἀνεστόμωται μὲν εἰς τὸν κατὰ μεσημβρίαν κείμενον ὠκεανόν, τῷ μήκει δ᾽ ἐπὶ πολλοὺς πάνυ παρήκων σταδίους, τὸν μυχὸν ἔχει περιοριζόμενον ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς Ἀραβίας, καὶ Τρωγλοδυτικῆς· εὖρος δὲ κατὰ μὲν τὸ στόμα, καὶ τὸν μυχὸν ὑπάρχει περὶ ἑκκαίδεκα σταδίους· ἀπὸ δὲ πανόρμου λιμένος πρὸς τὴν αντιπέραν ἤπειρον (ἔχει) μακρᾶς νεὼς διωγμὸν ἡμερήσιον· τὸ δὲ μέγιστόν ἐστι διάστημα κατὰ τὸ Τυρκαῖον ὄρος, καὶ Μακαρίαν δυσπελαγίαν, ὡς ἂν τῶν ἠπείρων οὐχ ὁρωμένων ἀπ᾽ ἀλλήλων· ἀπὸ δὲ τούτου τὸ πλάτος ἀεὶ μᾶλλον συγκλείεται, καὶ τὴν συναγωγὴν ἔχει μέχρι τοῦ στόματος. Quod deinde Plinius ait, Eratoſthenem ab oſtio decies & ter centena millia paſſuum in quamque partem cenſuiſſe, non valdè abſcedit a menſurâ illâ Agathemeri lib. 2. c. 14. Τοῦ δὲ Ἀραβίου κόλπου ἐκκλίνοντος πρὸς ἀνατολὰς τὸ μῆκος τῶν στενῶν οὐκ ἔλαττόν ἐστι μυρίων σταδίων, ἅ ἐστι μίλια ατλγ΄. γ΄. Nam decies planè & ter centena millia paſsuum, ſtadia ſunt decies mille ac quadringenta. Sequitur de Artemidoro, eum Arabiæ quidem latere decies ſepties centena, & quinquaginta millia; Troglodytico verò undecies centena, & ſeptem ac triginta millia paſſuum, & paſſus præterea quingentos, Ptolemaida uſque, taxaſſe. Ubi, quum ſcripturam ſequar codicis Chiffletiani; tamen facilè aſſentior Harduino, priori loco de latere Arabiæ, unius numeri notam excidiſſe, & pro $\overline{\text{XVI}}$. quod repræſentat codex Chiffletianus, reſcribendum eſſe $\overline{\text{XVII}}$. ita ut totus atque integer numerus ſit, $\overline{\text{XVII}}$. *quinquaginta millia*· ex quibus planè quatuor & decem ſtadiorum millia conficiuntur. Nam totidem quidem ſtadia videtur Artemidorus numerata ab Arabiæ latere voluiſſe. Sed depravatus eſt hic locus Agathemeri: τὸ δὲ παρὰ τὴν Ἀραβίαν πλευρὰν ἀπ᾽ Ἐλανίτου μυχοῦ σταδίων μυριάδων, Δ΄. Sive, ut nihilo adhuc minùs depravatè citat Harduinus, μυριάδων δ΄. Quid eſt enim, ſodes, iſtud, σταδίων μυριάδων δ΄, niſi *quadraginta millium ſtadiorum*? Sunt enim ſtadiorum myriades quatuor. Aut, ſi ſcribis, σταδίων μυριάδων ͵δ, quid hoc, quæſo, niſi *quatuor millium myriadum ſtadiorum*, quæ ſunt quidem ſtadiorum quadringenties centena

 mil-

millia? Apage, vir docte, hæc puerilia. Legendum eſt, *σταδίων μυρίων καὶ πεντακισχιλίων*, ut diſertè apud Strabonem lib. 16. *Τοῦ δ' Ἀραβίου κόλπου, τὸ μὲν παρὰ τὴν Ἀραβίαν πλευρὰν ἀρχομένοις ἀπὸ τοῦ Ἐλανίτου μυχοῦ, καθάπερ οἱ περὶ Ἀλέξανδρον ἀνέγραψαν καὶ Ἀναξικράτη, μυρίων καὶ πεντακισχιλίων σταδίων ἐστίν· εἴρηται δὲ ἐπιπλέον.* Aut, ſi forte mavis, per notarum compendia, *σταδίων* M ͵δ· itaque a primo ſcriptum fortaſſe fuerat, indeque ab imperitis librariis natum illud monſtrum, *μυριάδων* ͵δ. Atque hinc etiam reſtituendus eſt numerus Marciano Heracleotæ, qui Artemidori epitomen fecit, ubi de hoc eodem ſtadiorum intervallo verba hæc ſic miſerè affecta ſunt: *Ἀπὸ τοῦ Αἰλανίτου μυχοῦ ὅρων τὴν ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τοῦ περίπλου τῆς Ἀσίας ἀριστερῶν μέχρι τῶν στενῶν τοῦ Ἀραβίου κόλπου στάδιοι* ͵α χ θ'. Corrigebam: *Ἀπὸ τοῦ Αἰλανίτου μυχοῦ, ὅθεν τὴν ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τοῦ περίπλου τῆς Ἀσίας ἀριστερῶν μερῶν, μέχρι τῶν στενῶν τοῦ Ἀραβίου κόλπου στάδιοι* ͵ι, ͵δ. Quod autem ad latus Troglodyticum attinet, quod Ptolemaida uſque, ex Artemidoro, apud Plinium, in codice quidem certè Chiffletiano, $\overline{\text{XI}}$. XXXVII. D. paſſ. definitur, prope abeſt hæc menſura ab illâ Agathemeri & Strabonis novem millium ſtadiorum: quippe quum eam centum duntaxat ſtadiis excedat. Eſt autem Ptolemais *ἡ ἐπὶ θήρας*, de qua paullò poſt Plinius: *Ptolemais a Philadelpho condita ad venatus elephantorum, ob id Epitheras cognominata, juxta lacum Monoleum.* Ad urbem hanc Ptolemaidem id intervalli eſſe ajunt ab oppido Heroum. Agathemerus lib. I. cap. 3. *Ὁ δὲ Ἀράβιος κόλπος, στενὸς ὤν, καὶ προμήκης, ἄρχεται ἀφ' Ἡρώων πόλεως παρὰ τὴν Τρωγλοδυτικήν, ἕως τῆς Πτολεμαΐδος, τῆς ἐπὶ θήρας, σταδίων* ͵θ *τὸ μῆκος.* Hinc porrò a Ptolemaide ad fauces ſinûs Arabici, numerant ferè quatuor ſtadiorum millia, & quingenta. Strabo: *Τὸ δὲ κατὰ τὴν Τρωγλοδυτικὴν (πλευρὰν), ὅπερ ἐστὶν ἐν δεξιᾷ ἀποπλέουσιν ἀπὸ Ἡρώων πόλεως, μέχρι μὲν Πτολεμαΐδος, καὶ τῆς τῶν ἐλεφάντων θήρας ἐνακισχίλιοι πρὸς μεσημβρίαν στάδιοι, καὶ μικρὸν ἐπὶ τὴν ἕω· ἐντεῦθεν δὲ μέχρι τῶν στενῶν, ὡς πεντακισχίλιοι, καὶ πεντακόσιοι πρὸς τὴν ἕω μᾶλλον.* Ut, ſi totum Troglodyticum latus ab intimo Arabici ſinûs receſſu, hoc eſt, ab Heroum oppido, ad ipſas uſque fauces dimetimur, ſumma inde conficiatur ſtadiorum ampliùs trium, & de-

cem

cem millium, ac quingentorum. Hæ menſuræ ſinûs Arabici. Hic porro & idem ipſe Erythræus: cujus certè appellationis aliæ apud alios cauſſæ. Καλεῖται δὲ Ἐρυθραῖος, ἢ ἀπὸ τῆς ὑποκειμένης τῷ ὕδατι μιλτώδους ἐρυθρᾶς γῆς. Huc refer, quod Plinius ait, mare Rubrum alios dixiſſe *ab arena terraque*. Inde ex circumjacentibus terris minium erui præſtantiſſimum, ſcribit etiam Iſidorus. Alia ejus appellationis cauſsa, ἢ ἐκ τῶν ὑπερκειμένων τοιουτοχρόων ὀρέων. Sed hanc Rubri maris appellandi rationem improbat Agathemerus: qui & aliam affert, deſumptam tamen a colore. Ὃν (Ἀράβιον κόλπον) τὸ χρῶμά φασιν ἐρυθρὸν ἔχειν, οὐδ᾽, ὡς σχεδιάζοντες ἀπὸ τῶν προσπαρακειμένων ὀρῶν ἐρυθρῶν ὄντων λέγουσι, προσπίπτειν τινὰ πρόσπτωσιν γαληναίῳ ὄντι τῷ ὕδατι, καὶ τὴν τοῦ ἐρυθροῦ φαντασίαν ἀπεργάζεσθαι· ἀλλὰ τὰ πολλὰ τοῦ πελάγους τούτου ἐρημαίου ὄντος, ἅτε πνευμάτων, ὡς λόγος, ἐκεῖ μήτε μεγάλων, μήτε συνεχῶν γινομένων, διὰ τὸ πλησίον ἐνιαυτοῦ κατὰ κορυφὴν τὸν ἥλιον συστάσεις διερῶν νεφῶν συνίστασθαι, εἰς ἃ ἐμπίπτουσαι αἱ τοῦ ἡλίου αὐγαὶ χρωννύουσιν αὐτὰ, καθάπερ ἡμῖν συνεχῶς τὰ περὶ τὸν ὁρίζοντα πάσχειν εἴωθεν ἀνίσχοντος, ἢ καταδεδυκότος ἤδη τοῦ ἡλίου, εἶθ᾽ οὕτω τὰς χρόας δέχεσθαι τὴν θάλασσαν, ὅταν λείαν ἔχῃ τὴν ἐπιφάνειαν. Citat Euſtathius ex Ethnicographo illud Uranii, ὅτι τὰ παρακείμενα ὄρη δεινῶς ἐρυθρά εἰσι καὶ πορφυρᾶ. Et ſic legendum apud Ethnicopraphum, non πορφύρα. Etymologici Magni Auctor: ἢ ἀπὸ τῶν παρακειμένων ὀρέων ἐρυθρῶν, ἃ εἰσιν ἐρυθρὰ δεινῶς, ἢ πορφυρᾶ: Item ex Uranio: καὶ ἐπὰν βάλλῃ εἰς αὐτὰ ὁ ἥλιος, καταπέμπει εἰς τὴν θάλασσαν ἡ αὐγὴ σκιὰν ἐρυθράν. Stephani Epitome atque Etymologus: καὶ ἐπὴν. Fruſtra vir doctus ad Stephanum, καὶ ἐπεί. Itemque ex Uranio: καὶ ὄμβρῳ δὲ κατακλυσθέντων τῶν ὀρέων εἰς θάλασσαν συῤῥέοντι. Depravatè in Stephano: καὶ ὄμβρῳ δὲ κατακλυσθέντων τῶν ὀρέων, κάτω συῤῥυέντων εἰς θάλασσαν. Conſtat ex Euſtathio, pro συῤῥυέντων reponendum eſſe συῤῥέοντι· ut id referatur ad τὸ ὄμβρῳ. Euſtathius ex eodem: τοιαύτη, φησὶ, γίνεται ἡ θάλασσα τὴν χροιάν. Stephanus: οὕτω γίγνεται. Etymologus quoque, οὕτω. Rurſus de appellatione maris Erythræi: Τινὲς δὲ Ἐρυθρὰν εἶπον, διὰ τὸ πυροῦσθαι μάλιστα τῷ ἡλίῳ τὸ ἐκεῖ κλίμα. Ad hanc cauſsam referri poteſt illa alia, quæ tamen rejecta eſt ab Agatharchide, ὅτι τοῦ Ἀραβίου κα-

λου-

Digitized by Google

λιμένου κόλπου τὰ πρὸς ἑσπέραν ὄρη, θερμείας καὶ διαπύρου τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος βαλλούσης, ἄνθρακος φαντασίαν ἀποδίδωσι. Placebat nuper docto viro, Rubri maris apellationem a fervore zonæ torridæ arceſsere, quam idcirco zonam rubram vocaverint. Inde & dicti videntur Æthiopes: Διὸ, φασὶ, καὶ Αἰθίοπες οἱ κατοικοῦντες λέγονται, ὡς κεκαυμένοι τὴν ὄψιν. Euſtathius ad Odyſseam: ἀπὸ τοῦ αἴθω, ἐξ οὗ καὶ ὁ παρὰ τῷ Κωμικῷ αἰθὸς, καὶ λέων αἴθων, καὶ οἶνος αἴθοψ, καὶ οἱ Αἰθίοπες λέγονται, διὰ τὸ ἐπικεκαῦσθαι τὴν ὄψιν ὑπὸ τοῦ ἡλίου, ὅς φασι, κατὰ κάθετον ὢν ἐν Αἰθιοπίᾳ, ἐπικαίει πλέον. Eadem Æthiopum etymologia apud Etymologum.

CAPUT XVIII.

Appellandi maris Erythræi variæ cauſſæ apud Geographum ex Artemidoro. Fons in littore maris Erythræi, cujus aqua ἐρευθής. *Solinus illuſtratus. Erythra, ſive Erythrus, a quo nomen mari Erythræo. Falſa etymologia Erythræi maris a rubro colore aquarum. Salmaſius reprehenſus. Vocabula accentu ſæpe diſtincta pro diverſitate ſignificationis.* Ἔρυθρος, *nomen proprium.* ἐρυθρὸς, *epitheton.* Ἐρύθραι *Bœoticæ.* Ἐρυθραὶ *Jonicæ.* Ἔρυθρος *Græcis idem, qui* Ἔδωμος, *ſeu* Ἄδωμος *Hebræis. Hic autem Eſavus. Mare* Ἐρυθραῖον, ἀπὸ τοῦ Ἐρύθρα. Ἀπὸ Ἐρύθρα Ἐρυθρὰ θάλασσα. *Inde ab* Ἐρυθρά, Ἐρυθραία. *Hæc verior maris Erythræi etymologia. De Erythrâ rege ampliùs quæſitum. Agatharchidis apud Strabonem ſententia reſtituta.* Μίλτος, *rubrica. Naves Homero* μιλτοπάρῃοι. *Minium poſt Homerica tempora inventum a Calliâ Athenienſi. Trojanis temporibus in honore rubrica. Minium vocatum a quibuſdam cinnabari. Theophraſtus illuſtratus. Minium aliud naturale; aliud factitium. Minium pro cinnabari perniciosè adhibitum.* Κιννάβαρι *idem &* Τιγγάβαρι. Μίλτος, *minium ex uſu poſteriorum temporum. Minium, Græcis* ἄμμιον. *Dioſcorides illuſtratus.* Μίλτος, *propriè rubrica. Minii nomine Latinis notata aliquando rubrica* καταχρηστικῶς. *Mons ad ſinum Arabicum* μιλτώδης. *Rubricæ*

Digitized by Google

bricæ varia genera. Stephani Evodii Aſſemani, Archiepiſcopi Apamenſis, in nos promerita.

DE appellatione maris, ſeu ſinus Erythræi, quæ a multis multa dicta ſunt, paucis ſimul complexus Geographus, τὰ τῶν πολλῶν ἐπιτέμνων ex Artemidoro. Ibi etiam cauſsarum hujus appellationis una, ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἐρυθραινομένων ὑπὸ τῆς καύσεως. Strabo, ἐκ τῆς ἀποκαύσεως. Alia ibi ex Cteſiâ Cnidio appellationis hujus ratio. Οἱ δὲ, ἀπὸ πηγῆς τινος ὕδωρ εἰς τὴν θάλασσαν εἰσαγούσης ἐρυθρὸν καὶ μιλτῶδες. Geographus: Κτησίας δὲ ὁ Κνίδιος πηγὴν ἱστορεῖν ἐκδιδοῦσαν εἰς τὴν θάλατταν ἐρυθρὸν, καὶ μιλτῶδες ὕδωρ. Fons eſt, de quo Solinus ex Varrone: *qui affirmat, in littore maris iſtius* (Erythræi) *fontem eſſe, quem ſi oves biberint, mutent vellerum qualitatem; & antea candidæ, amittant quod fuerint uſque ad hauſtum, ac furvo poſtmodum nigreſcant colore.* Codex meus manu exaratus, *furvo*, non *fulvo*, quod aliis placebat. Alii Erythræum ſinum dictum voluerunt ab Erythrâ. Οἱ δὲ, ἀπὸ Ἐρύθρα τινός. Hæc autem valde probata eſt Erythræi maris etymologia ab Erythrâ, ſeu Erythro. Utroque enim modo eum appellant, qui nomen dedit mari Erythræo. Q. Curtius lib.8. cap.9. *Ab Erythro rege inditum eſt nomen: propter quod ignari rubere aquas credunt.* Et tamen Latini vocant *mare rubrum*, Græci θάλασσαν ἐρυθρὰν, quaſi nimirum a rubore. Ἀπὸ τῆς Ἐρύθρας, nomen eſt, ut diximus, gentis, aut etiam loci, Ἐρυθραῖος, & Ἐρυθραία. Unde Ἐρυθραῖος βασιλεὺς Dionyſio, is, qui τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης, ſeu maris Rubri, imperio potiebatur. Itemque ἀπὸ Ἐρύθρα τὸ κτητικὸν, Ἐρυθραῖος, & Ἐρυθραία. Et ſic etiam ab Erythrâ rege mare Erythræum. Utrâque ab origine benè dici poteſt mare Erythræum. Rationes tamen hæ appellationis valde inter ſeſe diverſæ: quanvis appellatio ipſa una & eadem eſse videatur. Aliud nanque eſt dicere mare Erythræ regis; aliud mare a colore rubro appellatum. Falſam autem eſse volunt etymologiam illam a rubro colore aquarum. Agatharchides: Τὰ μὲν οὖν αἴτια τῆς κλήσεως ἔχοντα διαφοράν. Μέγα γὰρ τὸ παράλλαγμα, Ἐρύθραν θάλατταν εἰπεῖν, ἢ θάλατταν Ἐρυθράν. Τὸ μὲν γὰρ κυριεύσαντα σημαίνει τῆς θαλάττης ἄνδρα· τὸ δὲ τὴν πυρρότητα δηλοῖ τῆς ῥη-

ῥηθείσης φύσεως, ἐν τύποις. Ἔστι δέ, φησι, τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ χρώματος τὴν κλῆσιν κατασκευάζον, ψεῦδος· οὐ γάρ ἐστιν ἐρυθρά· τὸ δ' ἀπὸ τοῦ δυναστεύσαντος, ἀληθὲς, ὡς Πέρσης λόγος ἐπιστώσατο. Hic verò Erythras, dictus etiam Erythrus· quod perperam negat Salmaſius: qui & in Curtio, & in Solino ſuo, pro *Erythro*, reſcribit *Erythrâ*. *Nam Græcis*, inquit, Ἐρύθρας, *non* Ἐρυθρὸς, *hic rex dicitur*. Equidem non dicitur ferè Græcis hic rex Ἐρυθρός. hac in parte non repugno ego penitus Salmaſio. Solent enim plerumque Græci vocabula, pro vario vocabulorum ipſorum uſu, variâque ſignificatione, accentu inter ſeſe diſtinguere. Non igitur hic rex ferè Græcis Ἐρυθρός· Sed ad epitheti differentiam, Ἔρυθρος ipſe, & non tantùm Ἐρύθρας, appellatus. Stephanus: Ἐρυθρὰ, ἡ θάλασσα, ἀπὸ Ἐρύθρου τοῦ ἥρωος. Ἐρύθρου Stephanus, non Ἐρύθρα, a recto Ἔρυθρος. Etymologici Magni Auctor: Ἐρυθρὰ θάλασσα, ἀπὸ Ἐρυθροῦ Βασιλέως. Scribe, ἀπὸ Ἐρύθρου. Suidas: Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη ὁ Περσικὸς κόλπος, οὐκ ἀπὸ τῆς χροιᾶς τοῦ ῥοθίου, καθάπερ τινὲς οἴονται· ἀλλ' ἔκ τινος ἀνδρὸς Ἐρυθροῦ τὴν προσηγορίαν. Hîc etiam ſcribendum, Ἐρύθρου. Sic & Ἔρυθρος, a quo nomen Erythris, oppido Bœotiæ; & ipſum idem oppidum apud pleroſque Ἐρύθραι, βαρυτόνως, ad differentiam Erythrarum Jonicarum, quæ Ἐρυθραὶ, ὀξυτόνως, quum tamen Ἐρύθρα dicta ſit etiam Harpocrationi urbs Jonica, βαρυτόνως. Euſtathius ad lib. β' Iliadis: Ἀπίων μὲν οὖν, καὶ Ἡρόδωρος ὀξύνουσι τὴν λέξιν, λέγοντες Ἐρυθρὰς, ὡς καλάς. Ἕτεροι δέ, φασιν, ὅτι Ἐρύθραι μὲν βαρυτόνως, αἱ τῆς Βοιωτίας, ἀπὸ τοῦ Ἐρύθρου, υἱοῦ Ποσειδῶνος, καὶ Ἀμφιμεδούσης θυγατρὸς Δαναοῦ. Minùs benè ibi a nobis editum, Ἐρυθροῦ· quod corrigendum. Pauſanias lib. 6. Οἱ δὲ καὶ ἐπαριθμοῦσι τοῖς κατειλεγμένοις Ἔρυθρον παῖδα Λεύκωνος τοῦ Ἀθάμαντος· ἀπὸ τούτου Ἐρυθραὶ πόλισμα ἐκαλεῖτο Βοιωτῶν. Sic etiam Ἔρυθρος, a quo Erythræ Jonicæ. Pauſanias item lib. 7. Ἐρυθραῖοι δὲ τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἀφικέσθαι σὺν Ἐρύθρῳ τῷ Ῥαδαμάνθυος φασὶν ἐκ Κρήτης, καὶ οἰκιστὴν τῇ πόλει γενέσθαι τὸν Ἔρυθρον. Neque verò *Erythrum* pro *Erythrâ* appellare abſurdum perinde eſt, ac ſiquis *Æneum* diceret, qui eſt Æneas, quod objicit Salmaſius. Eſt enim Græcis Ἐρυθρὸς, ſeu potius, differentiæ cauſsâ, Ἔρυθρος, idem, qui Hebræis Ἔδωμος, ſeu Ἄδωμος, quo Eſavus

Eſavus cognomento eſt appellatus: a quo etiam vocatam volunt Edumæam, ſive Idumæam. Joſephus de Adomo, ſeu Edomo: ἔνθεν διὰ τὴν ξανθότητα τοῦ βρώματος, ὑπὸ τῶν ἡλικιωτῶν καὶ παιδιὰν Ἄδωμος (alii Ἔδωμος) ἐπεκλήθη. Ἄδωμα γὰρ (alii Ἔδωμον) Ἑβραῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσι· καὶ τὴν χώραν οὕτω προσηγόρευσαν. Ἕλληνες γὰρ αὐτὴν ἐπὶ τὸ σεμνότερον Ἰδουμαίαν ὠνόμασαν. De Idumæâ Euſebius in Locis Hebraicis: Ἰδουμαία, χώρα Ἡσαῦ, ἐξ αὐτοῦ παρωνύμως ὀνομασθεῖσα, ἐπεί περ αὐτὸς Ἐδὼμ ἐκαλεῖτο. Quam etiam Ἰδουμαίαν Græci nominarunt Ἐδουμαίαν, ut non obſcurè colligitur ex Stephano. Sentiunt autem homines eruditi, idque valdè probabiliter, regem hunc, ſeu heroem, a quo nomen Erythræo mari impoſitum, eundem eſse, atque Edomum illum Hebræorum. Ἔδωμος idem, atque ἐρυθρὸς, ſeu *ruber*. Hinc Græci, qui vocem illam Hebraicam Græcè redditam atque expreſsam vellent, Ἔρυθρον, & non tantùm Ἐρύθραν, eundem dixerunt. Non hìc ſanè peccant homines eruditi. Mare quidem benè vocatum fuerit Ἐρυθραῖον ἀπὸ τοῦ Ἐρύθρα. Et certè quidem ab Erythrâ *Erythræum* mare vocatum Plinius ſcribit. Et *Erythra* ſcriptum eſt apud Solinum in veteri meo codice in his verbis: *mare, quod Erythræum ab Erythrá rege, Perſei & Andromedæ filio, non ſolùm a colore appellatum Varro dicit*. Unde etiam Martianus Capella: *mare, quod Erythræum, ab Erythrá rege, Perſei & Andromedæ filio vocitatum, a colore etiam dictum Rubrum*. Sed non idcirco non etiam nuncupatus fuerit Ἔρυθρος, is, a quo mare illud nominatum. Hoc ideo negat Salmaſius, quòd ab Ἐρυθρὸς τὸ ἐθνικὸν eſſet Ἐρύθριος, non Ἐρυθραῖος. Fruſtra; ſicuti enim ἀπὸ τοῦ Ἐδώμου, qualis cognominatus fuit Eſavus, dicta eſt a Græcis Ἰδούμη, regio, quaſi Ἐδούμη, unde *palmarum dives Idume* Lucano, & *Idume* aliis Poetis Latinis; atque inde ab Ἰδούμη, Ἰδουμαία, *Idumæa*; ſic etiam ἀπὸ Ἐρύθρου, qui eſt ipſe Ἔδωμος, θάλασσα appellata eſt a Græcis Ἐρυθρὰ, atque inde ab Ἐρυθρὰ, Ἐρυθραία. Hæc verior eſt, me quidem judice, maris Erythræi, ſeu Rubri, etymologia. Ferunt de Erythrâ, eum rate primum in quandam ibi inſulam tranſmiſiſse, διὰ ἱπποφόρβιον οἰστρηθὲν ὑπὸ λεαίνης. Strabo ex Agatharchide: διότι Πέρσης τις Ἐρύθρας, ἱπποφορβίου τι-

 νὸς

νὸς ὑπὸ λεαίνης οἴστρῳ κατασχομένου, ἐξελαθέντος δὲ μέχρι θαλάττης, κἀκεῖθεν εἰς νῆσον τινὰ διάραντος, χεδίαν πηξάμενος, πρῶτος περαιωθείη πρὸς τὴν νῆσον. Vetuſtiorem interpretem legiſſe in Strabone, *ἱπποφορβίου τινὸς ὑπὸ λεαίνης οἴστρῳ κατασχομένης ἐξελαθέντος μέχρι θαλάττης*· certò oſtendit hæc ejus interpretatio: *cum equorum armentum a leænâ, aſilo tacta, uſque ad mare agitaretur*. Lectionem hanc probavit in Strabone Caſaubonus. Sed ab antiquiori eâque vulgatâ lectione ſtare videtur Euſtathius, qui non leænam ipſam dicit *οἴστρῳ κατασχομένην*, *percitam œſtro*; ſed *ἱπποφόρβιον οἰστρηθὲν ὑπὸ λεαίνης*, *equarum armentum œſtro percitum propter leænam, ſeu viſæ irruentiſque leænæ metu conſternatum, actumque in furorem*. Hæc vera eſt Agatharchidis apud Strabonem ſententia: quam ſanè confirmant ipſa etiam Excerpta ex Agatharchide apud Photium: Sic enim in iis Excerptis: *Τούτου* (Erythræ) *φορβάδων ἀγέλῃ μείζονι λέοντες ἐπορούσαντες, τινὰς μὲν αὐτῶν ἀπέκτειναν· αἱ δὲ περισωθεῖσαι, τῷ δέει τῆς ὄψεως, οἶστρον λαβοῦσαι, ἐπὶ τὴν θάλατταν ἠλαύνοντο*. Non hîc quidem leones *οἶστρον λαβόντες*· ſed equæ, leonibus in eas irruentibus, *τῷ δέει τῆς ὄψεως οἶστρον λαβοῦσαι*· quo etiam ex œſtro ſeſe in mare præcipites egerunt; itaque a fluctibus abreptæ, in adverſam inſulam emerſerunt. Excerpta rurſus Photiana de Erythrâ: *ὁ οὖν Ἐρύθρας ζητῶν τὰς οὐ φαινομένας φορβάδας, πρῶτος τὴν ἐκεῖσε χεδίαν ἐπήξατο, μεγέθει μὲν σύμμετρον, τῇ δυνάμει δὲ στερέαν· καὶ λαβὼν στάσιν οὐρίου, καὶ συμμέτρου πνεύματος, ἀφῆκεν εἰς τὸν πόρον. Ταχὺ δὲ τοῦ κύματος αὐτὸν περαιώσαντος, εὗρε μὲν τὰς ἵππους, εὗρε δὲ τὸν νομέα. Θαυμάσας δὲ τὴν νῆσον, καὶ πόλισμα ἐπὶ λιμένος εὐκαίρου ἱδρύσατο, καὶ ἐκ τῆς ἀντιπέραν τοὺς ἀπορῦντας βίου μετοικίσας, ἐπόλισεν*. Meminerat ſupra Euſtathius *μιλτώδους ἐρυθρᾶς γῆς*· itemque *πηγῆς τινος ὕδωρ εἰς τὴν θάλατταν εἰσαγούσης ἐρυθρὸς καὶ μιλτῶδες*. Nunc verò: *ὅτι δὲ*, inquit, *τὸ μιλτῶδες χρῶμα, ἐρυθρὸς ἐστιν, ὡς ἀνωτέρω γέγραπται, δῆλον τῇ αἰσθήσει*. Euſtathius ipſe ad lib. *β′* Iliadis: *Ἱστέον δὲ καὶ, ὅτι μίλτος, χρῶμα ἐστὶν ἐρυθρόν*. Suidas: *Μίλτος, χρώματος εἶδος ἐρυθροῦ*. *Μίλτος* ibi rubrica eſt, non minium, ut explicant viri docti. Heſychius: *Μίλτος, εἶδος ἐρυθρὸν σινωπίδος*. Hîc *μίλτος*, rubricæ

bricæ

bricæ genus, ſeu rubrica ſinopica, quæ *μίλτος Σινωπικὴ* Dioſcoridi. Hoc coloris genere proræ olim navium inſignitæ· unde eædem *μιλτοπάρῃοι· ὅθεν καὶ ὁ Ποιητὴς ἐμβάπτων ταῖς ναυσὶ τὰ πρόσωπα, μιλτοπαρῄους αὐτὰς καλεῖ*. Rurſus Euſtathius ad lib. *β'* Iliadis: *δι' οὗ (μίλτου) τὰ τῶν νηῶν ἔμπροσθεν βάπτονται εἰς ὡραϊσμόν· ἅπερ πρῷραι λέγονται, ὡς ἐκ τοῦ προορᾷν, κραθέντων τῶν δύο οό εἰς ω μέγα. Ἐντεῦθεν δὲ οἱ Ποιηταὶ ὁρμώμενοι, τολμῶσι καὶ παρειὰς λέγειν τὰ τοιαῦτα μέρη τῶν νηῶν, καὶ πρόσωπα*. Hinc Homero naves *μιλτοπάρῃοι*. Quo ex navium epitheto Homerico manifeſtè apparet, non poſse *μίλτον* explicari, neque intelligi de minio; &, ſi minium Euſtathius intelligit, eum a vero vehementer aberrare. Neque enim Trojanis, atque adeo Homericis temporibus notum erat minium, quod inventum poſtea primùm fuit a Calliâ Athenienſi. Illis temporibus in honore erat Rubrica, eaque *μίλτος* vocata. Plinius lib.33. cap.7. *Auctoritatem colori fuiſſe non miror. Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat, Homero teſte, qui naves eâ commendat, aliàs circa picturas pigmentaque rarus. Milton vocant Græci: minium quidam, cinnabari. Unde natus error, Indico cinnabaris nomine.* Optimè diſtinxit Plinius inter minium & rubricam. Rubricam Græci *μίλτον* vocant; minium quidam, cinnabari. Nec enim, poſteaquàm repertum fuit minium, aliud iis tunc nomen, quo minium a rubrica diſcernerent, ſuppetebat, niſi cinnabaris. Hoc nomine appellaſse quoſdam minium, veriſſimum ſanè eſt; idque patet ex Theophraſto Libro de Lapidibus, ubi loquitur de minio: *Γίνεται δὲ καὶ κιννάβαρι, τὸ μὲν αὐτοφυὲς, τὸ δὲ κατ' ἐργασίαν. Κιννάβαρι* eſt hîc minium, cujus duplex genus facit Theophraſtus, aliud naturale, aliud factitium. Tzetzes:

Ὅπως τὰ θελαμβδόοντα χείσαντες κινναβάρει,
Ἢ καὶ σινωπιδίῳ γε, ἐφ' ἅρματος ἱστῶσι.

Κιννάβαρι hîc, minium; *σινωπίδιον*, rubrica Sinopica. Minio autem triumphantium corpora illini conſueviſse, Plinius teſtatur. Iſidorus: *Minium autem hoc, quidam dicunt eſſe cinnabarin.* Hinc minium a quibuſdam confuſum cum cinnabari, & a medicis aliquando pro cinnabari pernicioſiſſimè adhibitum. *Κιννάβαρι*, At-

Digitized by Google

ticis etiam Τιγγάβαρι· unde & minium, τιγγάβαρι. Diocles: ἡ μίλτος, οἶμαι, καὶ τὸ τιγγάβαρι. Μίλτος hìc dicitur minium, quod & τιγγάβαρι. Lexicon Oratorium apud Euſtathium: Τιγγάβαρι καὶ μίλτος ἀναμεμιγμένη. Μίλτον hìc minium intelligi, non rubricam, manifeſtum eſt ex his verbis, quæ ſtatim ſequuntur: οὗ τὴν ἐργασίαν φασὶ πρῶτον εὑρεῖν Καλλίαν Ἀθηναῖον. Minium nanque, non rubrica, inventum fuit Calliæ Athenienſis. Sic & μίλτος Straboni, minium Hiſpanicum. Sed μίλτον, minium dicere, ex uſu fuit poſteriorum temporum, cum, quod nomen erat rubricæ, fuit tandem cum minio communicatum. Quanquam communiùs atque uſitatiùs Græci, ut minium a rubricâ diſtinguerent, vocaſse illud videantur ἄμμιον. Quod me docuit Dioſcorides lib.5. cap.109. Κιννάβαρι οἴονταί τινες ταυτὸν ὑπάρχειν τῷ καλουμένῳ ἀμμίῳ, πλανώμενοι. Τὸ μὲν γὰρ ἄμμιον σκευάζεται ἐν Ἱσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ. Et cap. 110. Ὑδράργυρος δὲ σκευάζεται ἀπὸ τοῦ ἀμμίου λεγομένου, καταχρηστικῶς δὲ καὶ τοῦ κινναβάρεως λεγομένου. Conſtat, loqui Dioſcoridem de minio, ac præſertim Hiſpanico: & hoc vocatum ait ἄμμιον· perinde quaſi ſic Græci minium vulgò nominarent, quod non niſi καταχρηστικῶς cinnabaris diceretur. Περὶ μίλτου, hoc eſt de rubricâ, agit poſtea Dioſcorides. Ergo Græcis minium, propriè ἄμμιον· & μίλτος, rubrica. Contra verò Latini minii aliquando nomine rubricam notarunt, nempe καταχρηστικῶς· ut minium Sinopicum dicit Celſus rubricam ipſam Sinopicam. Et hoc modo videtur mihi Iſidorus minium, rubricam ipſam vocaſse, in his verbis de mari Rubro: *vicinis littoribus vitiatur gurges atque inficitur, quia omnis terra, quæ circumſtat pelago, rubra eſt, & ſanguineo colori proxima. Ideoque inde minium acutiſſimum excerpitur, & alii colores, quibus pictura variatur.* Minium hìc Iſidoro, rubrica: unde Rubrum quidam mare denominatum opinabantur. Artemidorus, ad ſinum Arabicum, a latere Ægyptum verſus Troglodytico, ὄρος eſſe ſcripſit ἐν πεδίῳ μιλτῶδες, montem *rubricâ plenum*, ut bene μιλτῶδες reddidit vetus interpres Strabonis. Hinc fortaſſe eruebatur *minium* illud *acutiſſimum*, quod dicit Iſidorus. Quo de eodem monte hæc

hæc Agatharchides in Periplo Maris Rubri: *πλησίον δὲ τῆς λίμνης, δὲ μεγέθει πεδίῳ βεβηκὸς ὄρος ἀναφαίνεται μιλτῶδες, ἄλλων μὲν ἐδεμίαν ὑποδεικνύον ἰδιότητα, χροιὰν δὲ τοιαύτην ἀπὸ τῆς κορυφῆς σημαῖνον τῆς ἄκρας, ὥστε τῶν ἀτενιζόντων τὰς ὄψεις ἐπὶ πλέον βλάπτεσθαι*. Eadem de monte hoc *μιλτώδει* Diodorus. Rubricæ varia genera apud Dioſcoridem & Plinium. Erat autem & rubrica, ſeu *μίλτος*, Ægyptiaca. Plura nos de his ad librum β' Iliadis. Hæc autem ad Dionyſium Periegetam nunc ſatis: quæ ut in manus hominum exire interea ſineremus, facilè adducti ſumus ſummâ apud nos auctoritate ampliſſimi & doctiſſimi viri, optimèque de nobis meriti, Stephani Evodii Aſsemani, Archiepiſcopi Apamenſis.

F I N I S.

ΕΙΣ

Digitized by Google

ΕΙΣ ΣΥΓΓΡΑΦΕΑ ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

Ἥρως ἄκρι δοθεὶς θεόθεν γῇ, ὄφρα φανείη
 Ὅσης δὴ ἀρετῆς δεκτικὸς ἔσκε μέροψ.

Σοὶ φύσις ὤχεν ἑοὺς θησαυροὺς, χεῖρά τε, καὶ ἃ
 Ἔσπορεν εἰν ἄλλοις πάντα ἔδωκε τεῖν.

Νῦν ὕπερ ἢ σέθεν δ' ἐπὶν ἀλκιῶ τε λόγοιο,
 Ἡ δὲ ἐπιστήμη σεῖο ἄμυξος ἔει.

Ῥήτορα ὅν σ' ἑλλὰς γιγνώσκει κάλλει γλώττης,
 Ἐν σοὶ καὶ Ῥώμη ὃν Κικέρωνα βλέπει.

Εἰ τὰ πάλ' ἱστορέεις, φαίνῃ τάδε ὄσσεσιν εἰδὼς,
 Θεῖα γράφων φαίνῃ ἔμμεναι οὐρανόθι.

Μηδὲν τῶν ὄντων σοὶ ἄγνωστον· φρὴν σεο πάντα
 Εἴδει, γνωστὰ λέγεις ξείνῳ ἅπαντα τρόπῳ.

Οὐδεὶς τῶν ζώντων σε ἰσοῖ, σὺ δὲ τοὺς τεθνεῶτας,
 Εἰ μὴ ὑπερβαίνεις, τοῖσδε τῷ ὄντι ἰσοῖς.

THOMAS MARTINIUS
Ex eiſdem Cler. Reg. Schol. Piarum.

EXCUDEBANT ROMÆ
NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
BIBLIOPOLÆ ET TYPOGRAPHI
AD THEATRUM POMPEII
ANNO CIↃ. IↃCC. XLII.
SEDENTE
BENEDICTO XIV. PONT. OPT. MAX.
ANNO III.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google